-32.95)
D67

St. Mark's Library
THE
General Theological
Seminary

Chelsea Square · New York
Maryland Diocesan Library
The Memorial Library
of the Reverend Edwin A. Dalrymple.
Whittingham Collection

Rev. Edwin A. Dalrymple, D.D.

MARYLAND
DIOCESAN LIBRARY
DALRYMPLE DEPT. 721

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

JESU IN VITAM REDITU.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

JESU IN VITAM REDITU,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET LITT. ORIENT. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

AC

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS ISAÄCUS DOEDES,

E PAGO LANGERAK.

A. D. XVI M. JUNII, A. MDCCCXLI, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST JUNIOREM,

Bibliopolam.

232.97
D67

195177

1305
8 Edition

TYPIS K. J. GIEBEN.

PARENTIBUS OPTIMIS

CARISSIMIS

SACRUM.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/bwb_T3-CBS-009

PRAEFATIO.

Habeo sane, quod gaudio exsultem, quum, jucundissimo juventutis stadio peracto, recolere mihi liceat, quaecunque in me contulerint beneficia omnes, quos amore et amicitia prosequor; simul vero, dolore me affici non est quod diffitear, quum ab Academia avocer, cui tot ac tanta debeo. Mihi enim contigit, dulcissimam vitae partem Theologiae studiis consecrare, quodque in summis semper habui votis assequi. Disquisitionem instituere mihi licuit de re gravissima, quam summi esse momenti omnes lubentes agnoscant. Dolet certe meliora dare me non potuisse, at aequus quisque judex concedat, ubi pro virium tenuitate in rem, expositu difficilem, tiro indagat, benevole ejus disquisitionem esse dijudicandam, neque vel acerba crisi contorquendam, vel aculeatis vexendam esse verbis. Si cui alii, huic certe meae disputationi benigno judice opus est. Quod si mirum cui videatur, in hoc potissimum argumentum me oculos convertisse, perpendat, quaeso, ejus gravitatem atque nexum, et cum variis rerum capitibus, et cum aetatis, qua vivimus, indole. Si plura his inesse animadvertat

benevolus lector, quae emendatione indigeant, haec juveni non admodum perito ignoscat.

Haec cum lectoribus de hoc opusculo communicanda habui. At vero, tibi, Carissime Pater! illud dicavi, quippe cui arctissimo pietatis vinculo devinctum me sentio, quemque summo jam gaudio affectum esse scio. Qui me a teneris inde dilectum habuisti, instituisti, puero prospexisti, juvenem Minervae sacrum templum ingredi voluisti, tibi, Pater, quum filio verba desint, quae habeo, offero. Studiorum hae primitiae testes tibi sint grati animi, quod me ad munus obeundum adhortatus es, cujus et difficultates ipse, et fructus uberrimos cognovisti; testes tibi sint amoris, quo numquam non te colendum esse duxi. Utinam Deus O. M. det tibi vitam longam, qua CHRISTI *honorem provehere, iisque, quos curae tuae mandavit, consulere pergas, mihique aliquando dux existas et monitor, ubi honorificentissimum mihi munus offeretur. Quum verba deficiant, testentur facta, prouti ipse semper factis paternum mihi amorem significare maluisti, quam verbis.*

Quam pater inchoavit institutionem, vos, Praeceptores! absolvere voluistis, quos praesertim hac in Academia egregios nactus sum doctores. Non facile liberalis institutionis, qua in scholis Cll. HEUSDII (*cheu! nobis erepti*) GOUDOEVERI, GROENEWOUDI, SCHRÖDERI, *usus sum, memoriam delebit dies, multo vero minus comitatis, qua vos me recepistis, Viri Clarissimi! in Theologicis studiis duces mihi ac suasores. Per quatuor ferme annos, quibus Cl.* BOUMANNI *scholis interfui, eximia ejus institutione frui mihi licuit, quamque discipuli ejus cognitam habent, viri bene-*

volentiam expertus sum, quoties comiter consilium rogantem me recepit. Jubent in me collata beneficia, ut Cl. ROYAARDSIO *gratias agam, cujus discipulis me annumerari glorior. Multifaria ratione mihi providit, utque de aliis taceam, eo praesertim temporis spatio, quo in dissertatione conscribenda versatus sum, quoties Virum Cl. adibam, liberaliter mihi suppeditavit, quibus indigebam, libros. Utriusque Viri institutio hanc in me habuit vim, ut in dies feliciorem me praedicarem, quod in alma hac Musarum sede Theologiae operam navarem, iisque ducibus ad studia exegetica, critica, historica incumberem.*

Accedit, quod tibi, Cl. VINKE, *Praeceptor carissime, praeter alia et hoc debeam, quod Promotoris partes suscipere haud recusasti, et amicus mihi exstitisti, quem maximi non facere non possum. Benevole consiliis mihi adfuisti, viam monstrasti, quumque hanc conscriberem dissertationem, monitis auxilium roganti succurristi. Tua quoque institutio effecit, ut scientiarum amor excitaretur, ardor aleretur, studium confirmaretur. Quam ut in aliis quoque habeat vim, vobis, Viri Clarissimi! utinam Deus O. M. felicem concedat vitam, in Academiae emolumentum, Ecclesiae salutem, patriae decus!*

Est omnino quod beatum me praedicem. Si enim vere dixerit SIRACIDES: *ὁ εὑρὼν (φίλον πιστὸν) εὗρεν θησαυρὸν, me* CROESO *ditiorem esse credatis.*

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae

hac in Academia versatus sum, quod ne de gemmis accipiatis velim, aut divitiis, sed de vestra, carissimi Sodales! amicitia. Singularis enim mihi fortuna

concessit, vestra, Amici conjunctissimi! societate frui, qua ad quodcunque bonum incitarer, qua veri quaerendi studio urerer. Recordemini, quaeso, horas illas vespertinas, subinde nocturnas, quibus, sodalitio quodam conjuncti (meministisne Societatis זמן לכל*?) vel de variis doctrinae capitibus, vel de quibuscunque tandem juvenili aetati gratis jucundisque colloquebamur, quibus vel praeterita recolebamus, vel futura vaticinabamur, praesenti tempore semper quam suavissime utentes. Festivitas, hilaritas nobis praeses erat; lubensque equidem profiteor, quoties vobiscum licuerat*

Ducere sollicitae jucunda oblivia vitae,

domumque redibam, et amicis conjunctiorem et meliora edoctum me sensisse. Sensim abierunt, quibus seriora peragenda erant, quosve munera manent, jamque ipse vobis valedico. At vestrum memor sum, Amici dilectissimi! prouti vos mei, scio enim, non facile obliturus estis. Conjunxit nos amoenissima illa urbs Trajectina, exoptatissima mihi, cui, quod vitam vere vitalem mihi reddidit, acceptum refero, cujusque, aeque minus ac vos, obliturus sum. Valeatis, amici! quorum curam et novissime compertam habui, valeatis, quorum amicitia tristitiam propulit, gaudium aluit, scientiarum studium incitavit. Sit dulce, quod nos junxit, vinculum aere perennius!

Scripsi Trajecti ad Rhenum,
10 Jun. 1841.

DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

INTROITUS.

Pag.

Introitûs argumentum . . . . . 1— 3.

§ 1. *Rei nostrae adversarii* . . . . . 4.

I. Qui diserte eam negarunt, aut ambigue de ea locuti sunt 4—21.

II. Qui JESUM vere mortuum fuisse infitias iverunt . 21—23.

§ 2. *Rei nostrae propugnatores* . . . . . 23—32.

Disputationis distributio . . . . . 32.

PARS I.

JESU IN VITAM REDITUS VINDICATUR.

Partis argumentum . . . . . 33.

CAPUT I.

EVANGELISTARUM DE JESU IN VITAM REDITU NARRATIONES DIJUDICANTUR.

SECTIO I. Narrationum Evangelistarum expositio 34.

§ 1. *Matth.* XXVIII: 1—8 . . . . . 34—39.

§ 2. *Marc.* XVI: 1—8 . . . . . 39—42.

§ 3. *Luc.* XXIV: 1—12 . . . . . 42—44.

§ 4. *Joh.* XX: 1—13 . . . . . 45—47.

SECTIO II. Narrationum Evangelistarum fides historica.

§ 1. *Narrationes inter se conveniunt* . . . . . 48.

I. Pugnae species exponitur, quam in iis animadvertimus 49—51.

Pag.

II. De varia ratione, qua interpretes de hac pugnae specie senserint, agitur . . . . . 51.
1. Qui eam tolli posse statuerunt (Harmonistae) 51—54.
2. Qui eam tolli posse negarunt (STRAUSSII sententia) 55, 56.
III. Narrationes minime inter se dissentiunt . . . . 57.
Praemonenda . . . . . 57—59.
Narrationum consensus . . . . . 59—70.
Narrationum, in concordiam redactarum, conspectus . 71, 72.
Conclusio . . . . . 72, 73.
§ 2. *Iis narrationibus nihil inest, quod fieri non potuerit.* 73.
STRAUSSII de Angelophaniis sententia exponitur et refutatur (PAULUS, HASE) . . . . . 73—79.
§ 3. *A testibus fide dignis hae narrationes originem ducunt* 79—85.

CAPUT II.

ARGUMENTA PRO REI VERITATE RECENSENTUR.

Capitis distributio . . . . . 85, 86.

SECTIO I. Fraudis suspicio removetur (*Argumentum q. d. negativum*) . . . . . 86.
Iis, qui vel fraudi tribuunt, vel mythum dicunt JESU in vitam reditum, obstant . . . . . 87.
§ 1. *Apostolorum indoles cogitandique ratio* . . . . 88.
I. Animus eorum simplex verique amans . . . . . 88, 89.
II. Apostolorum animi tristitia eorumque exspectationes 89—91.
Eas cum STRAUSSII sententia pugnare ostenditur . 91, 92.
§ 2. *Fraudis adhibendae difficultates* . . . . . 93.
I. Senatûs Judaeorum agendi ratio JESU resuscitationis veritatem comprobat . . . . . 93—96.
II. Milites, sepulcrum custodientes, fraudem impedire potuerunt . . . . . 97.
Adversariorum, contra hanc de militibus narrationem, objectiones exponuntur . . . . . 98, 99.
Narrationis fides historica vindicatur . . . . . 100—105.
III. Sepulcrum vacuum testatur, in vitam rediisse JESUM 105.
WEISSII sententia, fabulam dicentis narrationem de sepulcro vacuo, exponitur et refutatur . . . . 106—110.
STRAUSSII hac in re disputandi ratio improbatur . 110, 111.

Pag.

SECTIO II. JESU in vitam revocati apparitiones (*Argumentum q. d. positivum*) . . 111.

Evangelistarum de JESU, a discipulis conspecto, narrationes brevi exponuntur . . . . . 112—116.

Ann. Loci Marc. XVI: 9—20 authentia vindicatur. 112—114.

Ann. De Joh. XXI authentia . . . . . 115, 116.

Quatuor rerum capitibus earum fidem historicam probaturi sumus . . . . . 116, 117.

§ 1. *Quae de* JESU, *in vitam revocato, a discipulis conspecto, referunt Evangelistae, egregie inter se conveniunt* . . . . . 117.

I. Sententia STRAUSSII de repugnantia, in his narrationibus obvia, exponitur . . . . . 117—122.

II. Pugnae tantum speciem adesse, earum consensu vindicato, ostenditur . . . . . 122—132.

Narrationum, in concordiam redactarum, conspectus. 133, 134.

§ 2. JESU *redivivi apparitiones suadent, ut fidem habeamus iis, qui de illis testimonium ferunt* . . 135.

Corpore humano indutus, conspiciendum se JESUS praebuit discipulis, qui de re, sub sensus cadente, judicium ferunt.

I. Quonam corpore indutus fuit JESUS in vitam revocatus? . . . . . 136.

A. Quid alii de hac quaestione statuerunt?

a. Alii corpus subtile, aethereum, CHRISTO tribuerunt . . . . . 136—138.

b. Alii idem corpus, sed glorificatum, dixerunt 138—140.

c. Alii CHRISTI corpus non mutatum esse statuerunt . . . . . 140, 141.

B. S. Scriptores humanum JESU corpus tribuerunt, idem illud, quo antea indutus et mortuus est 142—151.

II. Quibusnam conspiciendum JESUS se praebuit? . . 151, 152.

Nullam movet difficultatem, quod inimicis se videndum non praebuit . . . . . 153—156.

III. Harum apparitionum indoles . . . . . 156.

Antecedentia STRAUSSII de *visionibus* sententiae obsunt 156—158.

Pag.

Neque WEISSIO, cujus sententia exponitur et refellitur, favent . . . . . 158—165.

Conclusio . . . . . 165, 166.

§ 3. *Omnia, hucusque ex Evangeliis percepta et disputata, egregie confirmantur* PAULI *testimonio*, 1 *Cor.* XV: 4—7 . . . . . 166.

Loci interpretatio . . . . . 167—169.

Male STRAUSSIUM provocasse ad 1 Cor. XV: 8, ut CHRISTI apparitiones *visionum* nomine insigniret, ostenditur . . . . . 169—174.

§ 4. *His nihil inest, quod cum naturae legibus pugnare jure quis statuat* . . . . . 174.

Quo jure negent STRAUSSIUS aliique, mortuum in vitam posse revocari, indagatur . . . . . 175—179.

Conclusio . . . . . 179—181.

PARS II.

JESU IN VITAM REDITUS MOMENTUM PROBATUR.

Partis argumentum . . . . . 182, 183.

CAPUT I.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM EJUS VITA ANTE MORTEM TERRESTRI INTERCEDIT.

STRAUSSII in JESU vita describenda agendi ratio improbatur 184, 185.

§ 1. *Nexus cum fatis* JESU *extraordinariis* . . . . 186—191.

§ 2. *Nexus cum doctrina, quam de se ipse professus est* 191.

I. Qui *ἀναμαρτησίαν* sibi tribuit . . . . . 192—195.

II. Qui *τὴν ζωὴν* et *τὴν ἀνάστασιν* se esse professus est 195—198

III. Qui in vitam se rediturum esse vaticinatus est . 198—204.

Erravit SCHLEIERMACHERUS, JESU reditum in vitam ad doctrinam de Ejus persona referendum esse negans 204—207.

§ 3. *Nexus cum fatis Ejus mirificis* . . . . . 208—211.

CAPUT II.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM HISTORIA APOSTOLORUM INTERCEDIT.

§ 1. *Nexus cum mutata Apostolorum animi conditione*. 212.

Dubitantium observamus inconcussam fidem . . . 213, 214.

Pag.

Animo deficientium atque in agendo infirmorum videmus audaciam et constantiam . . . . . 214—216.

Anxiorum tristiumque cernimus animum lactum . 216—219.

§ 2. *Nexus cum Apostolorum fatis post* JESU *in coelum ascensionem* . . . . . 219—223.

CAPUT III.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI, CUM FATIS ECCLESIAE CHRISTIANAE PRIMAEVAE INTERCEDIT.

§ 1. *Nexus cum Ecclesiae Christianae origine inter Judaeos* . . . . . 224—228.

PAULI Apostoli ad sacra Christiana conversio . . 228—230.

§ 2. *Nexus cum Ecclesiae Christianae propagatione inter alienigenas* . . . . . 231—235.

Negato JESU in vitam reditu, nullo modo explicari potest, qua ratione aliquando exstiterit Ecclesia Christiana . . . . . 235—239.

CAPUT IV.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM SPE NOSTRA SALUTIS FUTURAE INTERCEDIT

§ 1. *Nexus cum justificatione nostra* . . . . . 240—245.

§ 2. *Nexus cum emendatione nostra* . . . . . 246.

JESU in vitam reditus imago est emendationis nostrae moralis . . . . . 246—248.

Idem ejus stimulus est habendus . . . . . 248—249.

§ 3. *Nexus cum resurrectione nostra vitaque futura* . 250.

Resurrectionis nostrae pignus. . . . . 250—252.

Vitae aeternae fundamentum . . . . . 252—253.

ἡ ζωὴ ἐφανερώθη.

1 Joh. 1 : 2.

INTROITUS.

Quo magis recentiori denuo tempore viderunt Theologi, tum demum in JESU CHRISTI persona perfectissimam cerni Dei patefactionem, quum vitam Ejus, fata, actus, doctrinam, accurate exponerent, eo majore studio hoc eos fecisse videmus, ubi firmissimum illud religionis Christianae argumentum a nonnullis labefieri animadverterent. In eo nostra aetas praesertim de religione Christiana bene meruit, quod accuratius, quam antea factum esset, *et* sanctissimi Sospitatoris vitam *et* doctrinam de CHRISTO exposuerit. Quod in primis temporum ratio suasit. Etenim philosophi, quum eorum placita rarius convenirent cum doctrina Christiana, discrimen hocce dissimulare studuerunt, quocirca alii ad codicis sacri usum loquendi se accommodarunt, ut sic pugnae speciem saltem evitarent, alii vero illius effata et doctrinam infringentes, convenire illa prorsus cum sua philosophia probasse sibi visi sunt. Quod utrumque, quam perniciosum indoctis reique minus peritis, quam perniciosum ipsi doctrinae Christianae fuerit, sponte patet. Histo-

riam quoque biblicam contortam videmus, atque JESU CHRISTI vitam, caeteris convenienter expositam, ut pugnae species evanesceret. Praeterierunt quidem tempora, quibus Deïstae, ex Anglia potissimum oriundi, fraudi fere tribuerent omnia, quae de JESU tradiderunt Evangelistae et Apostoli, illisque in Germania multi faverent. At eorum dubiis, licet satis refutatis, recentiores sub alia forma usi sunt, quamque tum in JESU vita irridenda tum in CHRISTI *resurrectionis* veritate debilitanda, operam posuerant multi, eam itidem, quotquot religionem Christianam nostra aetate oppugnare atque evertere studuerunt, in fidei, JESU resuscitationi habendae, detrahendo consumserunt. Quis vero illud miretur? Quod si CHRISTUS habeatur *ἀκρογωνιαῖος*, atque e sepulcro redivivus Dei filius declaratus sit hac ipsa e mortuis resuscitatione, hanc si quam aliam vitae ejus partem aggressi sint necesse est adversarii, quos CHRISTI vita a scriptoribus *ἀξιοπίστοις* tradita atque Christiana religio offendit. Accesserunt philosophi, qui historiam idearum involucrum potius, quam testem temporum, lucem veritatis et nuntiam vetustatis haberent, quique ad libidinem eam fingerent, sibique construerent. Hos quoque resurrectionis CHRISTI veritatem historicam nonnumquam negare, at ejus significationem symbolicam magni facere videmus. Attamen, CHRISTUM, *vere mortuum*, *in vitam e mortuis die tertio rediisse*, *corpore indutum*, docent N. T. libri, quod a JESU inde temporibus ad hujus saeculi initium negarunt multi, tuiti sunt atque probarunt quam plurimi. Adversarios vero,

qui nuper exstiterunt, quum data opera ex omni parte nondum refutatos observarem, gravissimam hancce, simulque expositu difficillimam vitae JESU partem mihi tractandam sumsi, ejusmodi disquisitionem cum nostrae aetatis meisque studiis congruere existimans. Supervacaneam fortasse quis eam putet, ubi tot ac tanta jam de JESU in vitam reditu dicta esse videt; at, quaeso, ad hoc attendat, quamdiu dubia moventur contra rem, cujus veritas nostra tanti interest, tamdiu eam, nisi convicti ab adversariis haberi velimus, argumentis esse comprobandam ac tuendam.

Omnibus adversariis, qui rem nostram in dubium vocarunt, respondere non nostrum est, quum eorum recentissimi silentio nonnulla praetermiserint, quae ab antiquioribus satis superque refutata sunt. Quod ut luculentius pateat, antequam ad ipsam disquisitionem accedamus, *primum* videndum est de iis, qui JESU in vitam reditum negarunt, brevi addito conspectu *et* interpretationum, quas de re nostra dederunt, *et* argumentorum, quibus usi sunt singuli adversarii, quorum tamen catalogum dare neque necessarium nec gratum esset; magis attendendum esse censuimus ad motas difficultates et dubitationes, quam ad illos, qui eas moverint; *deinde* de iis, qui rem nostram probare ac tueri conati sunt, videbimus.

§ 1.

Rei nostrae adversarii.

Inter eos, qui in vitam e mortuis rediisse JESUM, corpore indutum, negasse censendi sunt, fuerunt alii, qui totidem verbis ac sine ambagibus novae CHRISTI his in terris vitae initium infitias irent, aut ambigue de eo loquerentur, Eum mortuum fuisse omnino concedentes; alii, qui JESUM in vitam rediisse affirmarent, at revera mortuum eum fuisse negantes potius de animi deliquio cogitarent. Num vero e mortuis resuscitatus dici potest ille, qui mortuus non est, quem e gravi somno potius expergefactum haberi oportet? Hos igitur cum adversariorum numero conjungimus, quia JESUM *e mortuis* in vitam rediisse numquam concedent.

I. In vitam rediisse JESUM negarunt nonnulli, ac fraudi discipulorum tribuerunt totam rem, alii contra, licet de fraude discipulos non criminarentur, satis ambigue tamen de veritate historica resurrectionis locuti sunt. Separatim de iis videamus.

Aequales Sospitatoris nostri numquam publice, quatenus saltem Evangelistarum narrationes consulere atque ex iis concludere nobis licet, in vitam rediisse JESUM negarunt, vel fraudem quamdam suspicati sunt, at vel sic tamen diligenter non tantum prohibere studuerunt redivivi annuntiationem, sed etiam ipsi eorum proceres auro corrumpere milites, qui CHRISTI sepulcrum custodierant, non veriti sunt, eos dicere jubentes: »de-

»functi discipulos noctu venisse, ipsisque dormienti-»bus cadaver subduxisse," cujus furti fama viguit, cum Graecum MATTHAEI Evangelium conscriberetur (1). Quod isti excogitarunt, omni aevo statuerunt Judaei. Ex JUSTINI *Martyris* (165) Dialogo *πρὸς Τρύφωνα Ἰουδαῖον* eandem famam a Judaeis ubique divulgatam fuisse audimus; sc: *οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κλέψαντες αὐτὸν ἀπὸ τοῦ μνήματος νυκτὸς — πλανῶσι τοὺς ἀνθρώπους, λέγοντες ἐγηγέρθαι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. κτλ.* (108) et TERTULLIANUS (220), »Nihilominus tamen," inquit, »primores, quorum intererat et scelus divulgare et po-»pulum vectigalem et famularem sibi a fide revocare, »surreptum a discipulis jactaverunt;" quod ex Judaeorum scriptis quam luculentissime patet, qui multa hac de re fabulantur, atque furis nomen se cognitum habuisse jactant. Istum enim JUDAM fuisse tradit scriptor libri תולדות ישו (2).

Ab illis recedens CELSUS, medio saec. II, in libro deperdito, cui titulus *ἀληθὴς λόγος*, religionis Christianae acerbus adversarius, negavit in vitam rediisse JESUM, quam narrationem fictitiam dixit, a discipulis defuncti, fortasse etiam visionibus deceptis, excogitatam. Provocat, tum ad ejusdem generis praestigia, quibus apud gentiles ZAMOLXIS, PYTHAGORAS, RAMPSINITUS aliique credulos deceperunt; tum ad difficultates, quod mortuus eodem

(1) Matth. XXVIII: 12—15.

(2) Ed. WAGENSEILII, p. 18. Cf. EISENMENGERI *Entdecktes Judenthum*, I, 193 sq.

corpore resurrexerit, quod Judaeis JESUS oculis usurpandum se non praebuerit, atque unice Eum viderit *γυνὴ πάροιστρος, καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν ἐκ τῆς αὐτῆς γοητείας, ἤτοι κατὰ τινα διάθεσιν ὀνειρώξας, κτλ.* (1). Quum vero aliorum religionis Christianae adversariorum scripta perierint temporum injuria, nescimus quid caeteri objecerint. Ex CYRILLI autem *Alexandrini* contra JULIANUM scripto constare videtur, Imperatorem in ea fuisse sententia, ut statueret Apostolos, magicis artibus usos, de mortuo in vitam revocato et a se conspecto sibi persuasisse (2). Hac dubitatione obsoleta satisque refutata denuo usi sunt recentiores, quorum multi rem nostram adorti sunt, sive universe Christianam religionem oppugnantes, sive resurrectionem CHRISTI negantes, Deïstae Angli. *Resurrectionis* CHRISTI adversarios cum unice spectemus, videamus de iis, qui exstiterunt saec. XVIII: TH. WOOLSTON, in *Disc. on the Miracles of our Saviour*, sermone 6°; TH. CHUBB, in primis in Operis: *Posthumous Works*, vol. I; TH. MORGAN, in libro: *The Resurrection of Jesus considered*, Lond. 1743; prae caeteris vero auctor libri: *The Resurrection of Jesus considered, in answer to the Tryal of the Witnesses, by a Moral Philosopher*, Lond. 1744. Hic acerbe pugnam animadvertit inter Evangelistarum de JESU in vitam revocato narrationes, quae eum impediunt, quominus fidem iis habeat; monet porro neque JESUM praedixisse suum

(1) Cf. ORIGENES, *contra* CELSUM, libro II, passim.

(2) *Contra* JULIANUM, X, pag. 340. Lips. 1696.

in vitam reditum, neque militum custodiam sepulcro appositam fuisse, atque argumentum sibi, ut putat, favens ex eo petit, quod JESUS se Judaeis conspiciendum non praebuerit. His argumentis ante eum alii jam usi erant (1), fraudique, quaecunque de JESU in vitam reditu traduntur, tribuerant. — Peculiarem hac de re sententiam proposuit D. HUME, in scripto: *Enquiry concerning human understanding;* scilicet fuisse Apostolos enthusiastas, qui JESUM in vitam rediisse opinati, doctrinam illam optimo consilio aliis annunciarint. Ut sententiam confirmet, atque ostendat, quomodo tot hominum millia fidem habuerint JESU e mortuis resuscitati fabulae, mentionem facit ALEXANDRI, de quo narrat LUCIANUS (2), qui variis modis Paphlagones decepit, quae comparatio, instituta inter JESU discipulos et ALEXANDRUM, neque rem explicat, neque illis honorifica est. Caeterum totam de miraculis doctrinam ex ipsius religionis indole ortam dicit, fidemque perire rationis humanae, si illa, religio, vim habere incipit.

Anglis assensit in Germania J. C. EDELMANN († 1767), qui praesertim *ἐναντιοφανείας* caeterasque difficultates ita urget, ut rem nostram fictitiam dicat, in primis

---

(1) Singulorum dubia exposuit LILIENTHAL, *Oordeelkundige Bijbelverklaring*, XI, passim. HAMELSVELD, *Bijbel verd.* VI, p. 9 sqq. passim. De libro: *the Resurr.* etc. cf. LELAND, *Schriften der Deisten*, I, p. 302 sqq.

(2) Hujus fraudulenti hominis vitam conscripsit LUCIANUS, in narratione, cui titulus *Ἀλέξανδρος ἢ ψευδομάντις.*

in libro: *Abgenöthigter Glaubensbekenntniss;* praeterea, qui tela sua in religionem Christianam conjecerunt, veritatem historicam resurrectionis infitiatos esse, atque fraudi originem suam debere hanc narrationem dixisse, non est, quod moneamus.

Omnium autem hujus generis acerrimus jure habetur anonymus ille (1), qui fragmentum scripsit *über die Auferstehungsgeschichte*, (quod edidit G. E. LESSING, in *Beiträge zur Geschichte u. Litteratur, aus den Schätzen der Wolfenb. Bibl.* 4er *Beitr.* a°. 1777, fragm. 5um). Acute et dilucide hic omnia dubia expo-

---

(1) Fragmentista *Guelpherbytanus* quisnam fuerit, si quaeras, vulgo respondent, fuisse H. S. REIMARUM († 1768), quod diu Viris Doctis verosimile visum est, quodque e. g. THOLUCK, *Verm. Schrift.* II, 22 (nota) confirmat: »*jetzt ist die Frage in Betreff des Verf.*" (Fragm. Guelph.) »*auch durch das eigene Geständniss desselben auf dem* »*Sterbebette als entschieden anzusehen; es ist* SAM. REIMARUS." Cf. quae monet V. Cl. in libro: *Glaubwürdigkeit d. Ev. Gesch.* p. 34 sq. Illum autem auctorem fuisse non verosimile, imo negandum fere esse censuit C. F. ILLGEN: *Ein Beitrag zur Geschichte der Wolfenb. Fragmente* (in *Zeitschrift für die hist. Theol.* ab ipso edito, 1839, IV, 99 sqq.) ubi brevem tradit conspectum operis: A. THAER, *Sein Leben und Wirken* u. s. w. *von* W. KÖRTE, 1839, cui adjecit animadversiones quasdam, ut pateret ex variorum testimoniis, in primis J. A. H. REIMARI, filii († 1814), contrarium testantibus, atque ex tota REIMARI, patris, indole cogitandique et agendi ratione, minime verosimile esse, cum fuisse Fragmentistam *Guelpherbytanum*. Conferri tamen meretur G. KRÜGER, in *Allg. Kirchenzeit.* 1840. No. 39, p. 316 sqq. qui ILLGENO non assensit.

nit, quae antea jam mota fuerant, at plerumque irrisione ludit, quae sancta habentur, neque placide in rei veritatem inquirit. Fabulam dicit et militum custodiae narrationem, et JESU in vitam reditum, tum quia Evangelistarum narrationes inter se pugnant, quod ostendere conatus est decem animadversionibus, tum quia Judaeis non apparuit resuscitatus, sed unice cum amicis versatus est; itaque a discipulis cadaver furtim sublatum esse opinatur. Ultimum hocce ab eo dictum esse negavit quidem LESSING (1), at vero ipsius Fragmentistae verba satis ostendunt, hoc eum cogitasse et statuisse.

---

(1) *Sämmtl. Schriften*, Voss. Berolini, 1818, VI, 219. »*Es ist* »*nicht wahr, dass mein Ungenannter schlechthin sagt:* »» *Christus* »»*ist nicht auferstanden, sondern seine Jünger haben seinen* »»*Leichnam gestohlen.*«" *Er hat die Apostel dieses Diebstahls* »*weder überwiesen, noch überwiesen wollen.*" At ipsum audiamus: *Fragmente und Antifragmente*, 1788, ed. DOEDERLEIN, I, p. 132. »*Demnach ist es*," sunt verba Fragmentistae, »*nach dem* »*eigenen Berichte der Evangelisten ganz wohl möglich gewesen,* »*dass die Jünger Jesu dessen Leichnam in der Nacht heimlich aus* »*dem Grabe anderswo hinbrächten*," et postquam omnem de militibus, sepulcrum custodientibus, narrationem dixerat fictitiam, inferius pergit, ibid. p. 149. »*es bleibt allerwege möglich, und bei aller* »*Betrachtung der Sache höchst wahrscheinlich, dass die Jünger* »*des Nachts zum Grabe gekommen, den Körper gestohlen, und* »*darnach gesagt, Jesus sey auferstanden.*" Equidem statuo, LESSINGII verba: »*Es ist nicht wahr, das mein Ungenannter schlecht-*» *hin sagt*" u. s. w. egregie ipsius Fragmentistae verbis refutari, nec quî LESSINGIUS haec scripserit intelligo.

De Franco-Gallis leviter de re nostra locutis, nihilque novi proferentibus, non est quod dicamus, neque de commentis libri, cui titulus: *Horus, oder Astrognostisches Endurtheil* etc. cujus scriptor fuit C. E. WÜNSCH, qui statuit, discipulos JESU, postquam in animi deliquium, ex cruce pendens, incidisset, opinatos fuisse JESUM esse *Horum* (ex Theologia Aegyptiorum), qui revera miracula fecerit, e mortuis resurrexerit et ad coelestes sedes escenderit. Unice commemorare liceat librum, quem conscripsit Anglus mercator HENNELL, quemque in Germanicam linguam transtulit STRAUSS, inscriptum: HENNELL'S *Untersuchung über den Ursprung des Christenthums. Aus d. Engl. eingeführt von Dr.* D. F. STRAUSS, Stuttg. 1840, qui tamen nihil novi attulit.

His potissimum, de quibus vidimus, argumentis usi veritatem negarunt historicam resuscitationis JESU CHRISTI, et de fraude cogitarunt discipulorum. Fuerunt autem praeterea quam plurimi, qui JESUM in vitam rediisse negarent, attamen fraudis discipulos minime accusarent, verum mente anteceptis opinionibus ducti vario modo rem nostram exponerent. Horum, e. g. *Sadducaeorum* objectio erat »μὴ εἶναι ἀνάστασιν" (1), cui consequens erat, negare CHRISTI resurrectionem, quod monet PAULUS in Epistola ad ecclesiam Corinthiacam, cujus socii nonnulli dicebant, »ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν »οὐκ ἔστιν" (2). Hi de furibus Apostolis aut de fraude

(1) Act. Ap. XXIII: 8.

(2) 1 Cor. XV: 12, 13.

non cogitarunt; at exstiterunt alii, qui fidei tamen historicae JESU resurrectionis detraxerunt.

Quid enim dicemus de DOSITHEO, SATURNINO, CERDONE, MARCIONE, aliisque hos sectatis *Gnosticos*, qui mortem et resurrectionem CHRISTI imaginariam dixerunt, et putativam, symbolicam tantum significationem iis tribuentes; »resurrectioni, sicut omnibus CHRISTI »actionibus sub sensus cadentibus, veritatem objectivam »abjudicarunt, eamque tali ratione factam esse dixe»runt, qua dici posset vere non facta" (1); quid de *Docetis*, qui specie tantum et *ἐν φαντάσματι* apparuisse, atque sic mortuum etiam esse et resuscitatum Sospitatorem dixerunt, uti et de iis, qui aethereo et subtili corpore indutum fuisse CHRISTUM existimarunt, quod legibus naturae non obediens, mortem non subire neque igitur e mortuis resuscitari posset, ut *Valentiniani*, BARDESANES, aliique? Quid existimandum de plurimis *Monophysitis*, phantasticam JESU vitam dicentibus post reditum in vitam, et de *Manichaeis*, qui *φαντασιώδη καὶ οὐκ ἀληθῆ τοῦ Σωτῆρος τὴν ἀνάστασιν γεγονέναι* putarunt (cf. CYRILL. *Hier.* Cat. XIV.). Statuerat adeo CERINTHUS antea, teste IRENAEO (*adv. Haer.* I, 26), »CHRISTUM in fine revolasse iterum de JESU, et JESUM »passum esse et resurrexisse; CHRISTUM autem impassi-

(1) Verba sunt C. L. MÜLLERI, in Diss. *de resurrectione* JESU CHRISTI, *vita eam excipiente et ascensu in coelum, sententiae, quae in Eccl. Chr. ad finem usque Saeculi VI viguerunt*, 1836, p. 66, qui Patrum doctrinam et Haereticorum placita ibidem exponit.

»bilem perseverasse, existentem spiritualem," et EPIPHANIO auctore *φάσκει* (CERINTHUS) *Χριστὸν πεπονθέναι καὶ ἐσταυρῶσθαι, μήπω δὲ ἐγηγέρθαι* (*adv. Haer.* 28). Quae ejus sententia explicanda est tum ex illius sectae doctrina, materiae mali originem tribuentis, atque humanum corpus Messiae adscribere non ausae, tum ex doctrina de dignitate Messiae; de eo enim statuerunt, cum vero homine JESU, in baptismo JOHANNIS, aeonem se conjunxisse CHRISTUM, quo factum, ut in JESU CHRISTO duae conjunctae personae unum Messiam efficerent. Hunc autem aeonem una cum homine passum et mortuum esse negarunt, at potius ab eo secessisse, ita quidem, ut solus homo resuscitatus non is esset, cui Messiae dignitas tribuenda fuisset. Sic quoque *Ophitae*, monente IRENAEO (*adv. Haer.* I: 30), docuerunt a JESU moriente »ipsum quidem CHRISTUM cum Sophia abstitisse in incorruptibilem aeonem — JESUM autem cruci affixum; — non autem oblitum suum CHRISTUM, sed misisse desuper virtutem quandam in eum, quae excitavit eum in corpore." Hos omnes negasse censemus JESU e mortuis in vitam reditum, corpore vere induti, quotquot statuerent, personam CHRISTI morientis mutationem subiisse, aut Ejus corpus minime morti traditum fuisse, quibus annumerentur quoque, qui aethereum et spirituale corpus tribuerent CHRISTO redivivo. Nam vidit hoc jam TERTULLIANUS (*adv. Marc.* III: 8): »negata morte, dum caro negatur, nec de resurrectione constabit," et AUGUSTINUS (*Serm.* 238 in pasch.). »Tollite" inquit »veram carnem, non erit vera passio,

»non erit vera resurrectio," et CYRILLUS (*Catech.* XIII: 37) »εἰ φαντασία ὁ σταυρὸς, φαντασία καὶ ἡ ἀνάστασις."

Quid? quod BASILIDIS nonnulli asseclae statuerunt, Christum non mortuum esse, verum loco illius ad crucem actum dixerunt SIMONEM *Cyrenaeum*.

Caeteros de persona et corpore CHRISTI errores, veritatem resurrectionis penitus auferentes, jam mittimus, neque ad *Priscillianistas* (1) aut *Paulicianos* (2) attendimus, neque ad MOHAMMEDIS fabulam (*Sur.* IV: 156), statuentis, Judaeos CHRISTUM cruci non affixisse, ipsos scilicet deceptos ejus similitudine, illumque non mortuum fuisse, sed a Deo in coelum sublatum esse; at de hoc ipso inter V. V. D. D. dubitatur, quia ipse MOHAMMEDES hac in re narranda sibi non constitit.

Recentiori aevo multi philosophis se duci opinionibus passi, praesertim miraculis fidem denegantes, exstiterunt rei nostrae adversarii, quorum hìc commemoramus B. SPINOSAM, quem in *Ep.* XXIII ad H. OLDENBURGIUM (coll. *Ep.* XXV) loquentem ita audimus: »Concludo »itaque CHRISTI a mortuis resurrectionem revera spi»ritualem, et solis fidelibus ad eorum captum revelatam »fuisse, nempe quod CHRISTUS aeternitate donatus fuit, »et a mortuis (mortuos hìc intelligo eo sensu, quo »CHRISTUS dixit: sinite mortuos sepelire mortuos suos)

---

(1) LEO M. *Serm.* 41, 5. Ep. 15, *ad Turrib.* 4.

(2) Cf. NEANDER, *Gesch. der Chr. Kirche*, III, p. 528.

(3) Cf. e. g. H. GROTIUS *de ver. Rel. Chr. ed.* J. C. KOECHERUS, p. 371, hujusque annott. p. 504 sqq.

»surrexit, simulatque vita et morte singularis sancti-»tatis exemplum dedit, et eatenus discipulos suos a »mortuis suscitat, quatenus ipsi hoc vitae ejus et mor-»tis exemplum sequuntur." Concedit quidem, Apostolos omnino JESU in vitam reditûs veritatis convictos fuisse, negat vero eos vidisse redivivum, quod tamen illi putabant. Prouti hic significationem tantum spiritualem tribuit JESU in vitam reditûs narrationibus, ita ut in eo, tanquam in speculo, videant homines emendationis moralis necessitatem, sic symbolicam J. S. SEMLER, in *Beantwortung d. Fragm. eines Ungen.* 1780, qui hanc historiam statuit minus pertinere ad mundum *physicum*, quam ad mundum *moralem*, atque JESU, ab inimicis mortis supplicio traditi, reditum in vitam sub imagine proponere Ejus doctrinae annunciationem atque propagationem, quibus revera e mortuis resurrexisse dici possit.

Aliam viam ingressus est J. A. EBERHARD, qui in operis *Der Geist des Urchristenthums*, 1807 sq. Tomo III. statuit, ex conjuncto humanitatis cultu Orientalium et Occidentalium, e philosophia Alexandrino-Cabbalistica, tamquam ex fonte, fluxisse eam religionis doctrinam, quam JESUS Ejusque Apostoli humano generi tradiderunt, quaeque N. T. libris continetur. Provocat ad PLATONIS de ideis, et ad Cabbalistarum »*res suas sacras* »*in coelo esse*" docentium opinionem, atque his originem debere putat, quae in CHRISTI vita fatisque, illis similia, invenisse sibi visus est. Haec ejus sententia eo valet, »ut JESUS, qui in N. T. dicitur *e sepulcro exiisse*,

»*coelum intravisse*, et *in coelo esse*, non *unus idem-*
»*que sit*, *atque ille*, *qui in his terris vixit ac diem*
»*obiit*, cum ille sit πρότυπος, hic autem ἀντίτυπος,
»atque propterea alter ab altero *diversus sit*." Namque ipse, »Tom. III: 119. sq. doctrinam de JESU
»in vitam reduce, ejusque occupatione sedis coelestis,
»non de *Phaenomeno* illo (ut appellat), quod in his
»terris apparuerit, interpretandam esse existimat, sed
»de ejus προτύπῳ et *idea coelesti*, quae, quamvis sem-
»per in coelo fuerit, *figurate* tamen et *improprie* a
»scriptoribus N. T. e sepulcro evasisse, in coelum ad-
»scendisse, et ad Dei dextram sedere dicatur (1)." Itaque hic Evangelistarum de JESU redivivo narrationes poesin et allegoriam habuit, prouti G. K. HORST (2) quoque sacram fabulam et phantasiae poesin in Evangeliis universe, atque in eorum de JESU resuscitato narrationibus praesertim, invenit.

---

(1) Sunt verba Cl. BORGERI, in opere infra laudando, p. 62. Qui ipsum EBERHARDUM audire velit, audiat eum l. l. dicentem: »*Nach*
»*der allgemein verbreiteten Idee, dass alle Dinge auf der Erde ihr*
»*Urbild im Himmel haben, — musste Jesus als das Ebenbild des*
»*übersinnlichen Messias — sich der Erde entziehn, und nach sei-*
»*nem verschwinden von der Erde nur in der übersinnlichen Welt*
»*zu finden seyn; er musste auferstehen, gen Himmel fahren, und*
»*zur Rechten Gottes sitzen. Diese Idee ist es, welche die Geschicht-*
»*schreiber Jesu in ihre Evangelien nach der Weise und dem Glau-*
»*ben ihrer Zeit historisch ausgebildet haben, und der nach ihnen*
»*ein Theil des christlichen Lehrbegriffs geworden ist.*"

(2) Laudatus a STRAUSSIO *Leb. Jesu*, ed. 3, II, p. 753 sq.

His assentiens, mythum historico-poeticum rem nostram dixit G. P. C. KAISER. (*Bibl. Theol.* I: 253, seqq.); uti et J. F. DES CÔTES in libro: *die Geschichte u. Lehre von den Erscheinungen Jesu nach seinem Tode*, 1809, qui Sospitatoris resurrectionem interpretatus est de Ejus vita apud Patrem aeterna, apparitiones vero de peculiari ac mirifica ratione, qua in discipulos operatus sit Spiritus defuncti.

Veritati historicae JESU in vitam reditûs vehementer detraxerunt nostrae aetatis philosophi. Quod si HEGELIUM audis, »*Die Auferstehung*" inquit (*Vorles. üb d. Phil. d. Religion*, II. 250) »*gehört wesent-*»*lich dem Glauben an. Christus ist nach seiner* »*Auferstehung nur seinen Freunden erschienen; dies* »*ist nicht äusserliche Geschichte für den Unglauben,* »*sondern nur für den Glauben ist diese Erschei-*»*nung.*" Quam rei nostrae interpretationem symbolicam clarius exposuit hujus philosophi sectator inter Theologos PH. MARHEINECKE, qui (in libro: *die Grundlehren der Christl. Dogm.* 2te *Aufl.* 1827. § 350) »*Die* »*durch den Tod aufgehobene*," inquit »*der Welt noch* »*unmittelbare Gegenwart des mit dem göttlichen* »*identischen menschlichen Geistes in seiner Erschei-*»*nung und Individualität ist seine Befreiung von* »*dieser und sein Auferstehen als Geist.*" Hanc igitur τοῦ Θεανθρώπου resurrectionis dicit *veritatem, notionem,* (*Wahrheit, Begriff*) »*dass es nicht der göttliche Geist* »*an sich oder in seiner Abstraction, sondern er in* »*seiner menschlichen Natur ist, der befreiet von ihrer*

» *Individualität, als der allgemeine Mensch, in dem* » *Selbstbewustseyn der Gemeinde aufersteht* (1)." Ex his jam patet, qua ratione historiâ, involucri ad instar idearum, utatur recentissima Philosophia speculativa, fidem illius, res in facto positas tradentis, haud parum labefactans, et quomodo, ad sacrae Scripturae loquendi usum se accommodans, symbolice fere omnia interpretetur.

Ex eadem schola profectus K. ROSENKRANZ, alia fere ratione, de re nostra judicavit, ubi in *Encyclop. der theol. Wissensch.* 1831, p. 148, statuit, mortuum CHRISTUM non amplius sensibus videri aut audiri ab aliis potuisse, » *denn mit dem Tode war die sinnliche* » *Existenz des mit Gott einigen Lebens verschwun-* » *den. Statt der sinnlichen Gewissheit vom Gott-* » *menschen trat nun die Erinnerung von ihm ein,* » *in welcher er seinem Wesen nach, frei von aller* » *Zufälligkeit des Aeusseren, geistig auferstand.*"

Hi aliique, sive symbolice seu aliter JESU reditum in vitam interpretati sint, vel sic tamen de industria in rei nostrae historicam veritatem non inquisiverunt, sed simpliciter eam ideae formam, nec praeterea quicquam aliud esse ponunt. Ab illis jam recedunt acerrimi duo JESU resurrectionis, qualem nos eam tuemur, adversa-

(1) Hanc petimus veniam, ut, variorum opiniones et sententias referentibus, liceat nobis ipsorum auctorum verbis uti, quo perspicacius, quid ipsi velint, appareat, et ut ne vim eorum verbis inferre videamur. In posterum saepius hoc nobis magno usui erit.

rii, qui in illa oppugnanda et argumentis conferendis, quibus eam facilius negarent, multum operae posuerunt. Horum alter est D. F. STRAUSS, qui in opere famoso, *Das Leben* JESU, totam nostram historiam mythis annumeravit, atque contra ejus fidem historicam omnia fere dubia movit, quae antecedentibus saeculis Ethnici, Deistae, alii excogitaverant. Ea exponere non hujus loci est, quia in ipsa disquisitione nostra de singulis, quibus usus est argumentis, videndum est. Quaerenti autem, quid de hujus narrationis sensu et significatione sentiat STRAUSS, respondet: »naturae divinae atque hu»manae conjunctio perfecta non cernitur in JESU CHRISTI »persona, quandoquidem non hic modus est, »*wie die* »*Idee sich realisirt, in Ein Exemplar ihre ganze* »*Fülle auszuschütten, und gegen alle andern zu* »*geizen*; contra, non JESUM, verum *die ganze Mensch*»*heit als ihre Verwirklichung* sibi proponit, atque »ita totum genus humanum mori, resurgere et in coe»lum adscendere dici potest, quatenus sensim sensim»que unum fit cum spiritu coelesti infinito: »*sie*" (*die Menschheit*) »*ist der sterbende, auferstehende und* »*gen Himmel fahrende*" (*menschgewordene Gott — die Menschheit*), »*sofern ihr aus der Negation ihrer* »*Natürlichkeit immer höheres geistiges Leben, aus* »*der Aufhebung ihrer Endlichkeit als persönlichen,* »*nationalen und weltlichen Geistes ihre Einigkeit mit* »*dem unendlichen Geiste des Himmels hervorgeht*" (1).

(1) Cf. l. l. ed. 3, II, p. 766 sqq. JESU in vitam reditus »*kann*

Sic unusquisque videt, recte et summo jure eum affirmare: »*Durch dieses Hinausgehen über die sinnliche* »*Geschichte zur absoluten wird jene als das Wesen-* »*tliche aufgehoben*," etc. et, licet e schola Hegeliana haec eum accepisse negent, vel sic tamen ejus proles non immerito haberi posse videtur.

C. H. WEISSE horum duumvirorum alter est, qui in opere: *Die Evangelische Geschichte*, 1838, vere mortuum fuisse JESUM concedit, et clam e sepulcro subductum negat, neque tamen corpus resuscitatum esse, cum resurgeret JESUS, putat; audiamus enim, qualem intelligat resurrectionem. Reditus JESU in vitam »*ist nicht das Hervorgehen des Leibes aus dem* »*Grabe, sondern die Erhebung der Seele* CHRISTI »*aus dem Hades, der die Seelen der abgeschiede-* »*nen Sterblichen aufnimmt, in dem Himmel und an* »*die Rechte Gottes* (1)." Unam eandemque dicens e mortuis resuscitationem atque in coelum ascensionem, historiam nostram symbolice, ad philosophiae suae speculativae normam, interpretatur, quae ne a nobis abrupta videatur, hic primum ejus opinionem commemoremus, de conjunctione, quae intercedit inter τὸν Λόγον (hunc autem Hellenistica philosophia atque adeo ipse JOHANNES Apostolus »*durchaus ein innerweltliches Prin-*

»*einen religiösen Werth nur durch symbolische Deutung gewinnen.*" Ita in disp. *Ueber Vergängliches und Bleibendes im Christenth.* in *zwei friedliche Blätter*, p. 131.

(1) II, p. 379.

cip" dixisse atque habuisse, WEISSIO videntur) atque CHRISTUM, de quo historia docet; quae non *immediata* dicenda est ex WEISSII sententia, sed »*vielmehr eine* »*durch den weltgeschichtlichen Process der Heraus-* »*arbeitung des der Menschheit eingeborenen Logos* »*zur persönlichen Gestalt eines wirklichen Men-* »*schen, eines geschichtlichen Individuums, vermittel-* »*te;*" sic quoque antea voci »*Menschensohn*" hanc a JESU fuisse datam significationem statuit: »*das sein* »*Göttliches Selbst nicht von aussen in die Welt hin-* »*eingekommen, sondern aus dem Geiste der Welt* »*und der Menschheit durch inwohnende Entwicke-* »*lung und Selbstentfaltung herausgeboren ist.*" Haec praemonenda duximus, ut rite intelligantur, quae monet de CHRISTI in vitam reditûs, ab Evangelistis traditi, significatione: »*Dieses zweite göttliche Selbst,* »*der ewige Sohn oder Logos geht, indem er in die* »*Welt eingeht, zunächst nothwendig darin unter;* »*er stirbt, dass heisst die Gestalt der Persönlich-* »*keit, in welcher er von Ewigkeit her beim Vater* »*ist, wird an ihm negirt und in die unpersönliche* »*Allgemeinheit oder Potentialität, aus welcher her-* »*aus sich die unendliche Vielheit und Mannichfal-* »*tigkeit der Creaturen erzeugen soll, aufgehoben.* »*Aber aus dieser Gestalt der Entfremdung sei-* »*ner selbst taucht er im Laufe der Zeit und im* »*Fortgange der Entwickelung des Weltwesens* »*wieder auf zur geistigen Selbstheit und Persön-* »*lichkeit, und feiert solcher Gestalt seine Auferste-*

» *kung* (1)." Certe si quae alia, haec mihi videntur *δυσνόητά τινα*, et quum in hisce plura sacrae Scripturae obtrusa existimem, nequaquam cum ea congruentia, ei talia inesse concedere coactus sum, *ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν*. Sensim paulatimque eo usque progressos videmus philosophos, ut historiam suâ construant philosophiâ, antequam *illam* vel cognitam habeant vel indagaverint ipsi.

Tandem, quicunque praecedente saeculo, hujusque initio ad nostram usque aetatem, Deistarum vel Rationalismi, praesertim vulgaris, placitis faverent, quorum numerus satis magnus est, negasse censendi sunt JESU resurrectionis veritatem historicam, quibus, quod ad rei summam attinet, alii multi assenserunt. Quum vero non de industria de re nostra egerint, vel nova protulerint argumenta, eos silentio jam praetermittimus.

II. Vere mortuum fuisse JESUM, quum sepeliretur, negarunt nonnulli, quos rei nostrae adversarios diximus, quandoquidem nobiscum facere minime possunt, ubi nos de JESU *e mortuis* in vitam reditu loquimur; atque ille, qui post crucis supplicium per tempus aliquod inter amicos vitam degerit, quam mors nondum exceperat, tandem certo in sepulcro finem invenerit necesse est vitae, quam resurrectio e mortuis non subsequitur.

Praecedente saeculo, cum omnes vires intenderet Christianorum *ἀπιστία*, ut CHRISTI reditûs in vitam vim et significationem infringerent, et Christianam religionem

(1) Cff. l. l. p. 519—526.

labefactarent, exstiterunt, qui mortem syncopticam excogitarunt. Statuit C. F. BAHRDT, *v. Zwecke* JESU, X: 174, sqq., Sospitatorem, ad crucem actum, se mortuum fuisse simulasse, ut mox amicorum ope et auxilio usus, sanatus, Judaeis videretur e morte resuscitatus. Cui adstipulatus est C. VENTURINI: JESUS *der Auferstandene. Nachtrag zur natürl. Gesch.* etc. 1802; quam mortis simulatae fraudem non ipsi JESU, verum discipulis, tribuit alius *anonymus* scriptor disquisitionis: JOSEPH *und* NIKODEMUS (1), quos cum illis consensisse statuit.

In suos usus hoc de simulata morte figmentum converterunt recentiores Rationalistae, qui de animi deliquio cogitare malunt. Sic unus in paucis eorum celeberrimus H. E. G. PAULUS, omni fraudis, sive JESU seu discipulorum, suspicione remotâ, statuit, de vera morte JESU constitisse apud omnes, qui ei adstiterint; attamen negando respondendum esse putat ad quaestionem: »*Musste denn dieser Leib, damals, als* JESUS *das* »*Haupt neigte und zu athmen aufhörte, auch in* »*seinen innersten Lebenskräften todt seyn* (2)?" Etenim in sepulcro paulatim corpus sanatum, non vero Dei omnipotentiâ e morte resuscitatum fuisse, existimat, quod, ut probet, fieri potuisse, provocat (3) e. g. ad aërem antri calidiorem, unguentorumque in eo effectum saluberrimum aegrotanti et vulnerato, atque exemplum affert

(1) Cf. STRAUSS, *Leb. Jesu*, II, 681.

(2) *Leb. Jesu*, II, p. 281.

(3) *Exeg. Handbuch*, III, 735 sqq.

notissimum, a FLAVIO JOSEPHO (1) traditum. Illi fere assensisse videtur J. V. HENNEBERG, *Comment. üb. d. Gesch. d. Begräbniss, d. Auferstehung*, etc. 1826, et, ne de aliis dicam, J. A. L. WEGSCHEIDER, qui, *Inst. Theol. Dogm. Chr.* § 131. »Omnino" inquit, »omnis hujus quaes»tionis" (de JESU in vitam reditu) »cardo in eo verti»tur, ut res ipsa in facto posita et ratio eam judicandi »atque enarrandi a testibus inita recte discernatur. Quo »facto species quidem *mythica* et *miraculosa* hujus »eventus, minime vero eventus ipse tollitur;" atque inferius hanc rem in facto positam dicit, »quam pau»ci tantum testes cognoverunt, miraculique specie pro »aetatis incultioris ingenio olim induerunt (2)."

Hi fere sunt, qui de JESU e morte in vitam reditu *dubitarunt*, adversarii. Nil sane omiserunt, quod aliquatenus iis favere videretur. Verum acriter quoque rem nostram *tuiti sunt* alii quam plurimi, de quibus jam breviter disserendum est.

§ 2.

Rei nostrae propugnatores.

Apostoli ut hanc, quam publice annunciarunt, JESU resuscitationem probarent, provocarunt *tum* ad Prophetarum vaticinia (Act. II, XIII, al.), *tum* ad eos, quibus JESUS se conspiciendum praebuit (Act. X: 40, 41; 1 Cor. XV: 3—8). At multis eam defendere, necesse non fuit. Res

(1) *Vita* JOSEPHI, c. 75. Cf. STRAUSS, *Leb. Jesu*, II, p. 679 sqq.

(2) Pag. 474.

enim erat, in quam ipsi inquirere possent Judaei, quod et PAULUS Apostolus, Caesaraeae verba faciens coram FESTO et HERODE AGRIPPA II (Act. Ap. XXVI) de JESU in vitam reditu, animadvertit, provocans ad ipsum regem AGRIPPAM, ut ad FESTI responderet criminationem, eum *μαίνεσθαι*, dicentis: *ἐπίσταται γὰρ*, inquit, *περὶ τούτων ὁ βασιλεύς· — οὐ γὰρ ἐστὶν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο* (v. 26). Mirum nonnullis visum est, quod Apostoli, quoad nos quidem scimus, numquam rationem habuerint fabulae, a Judaeorum proceribus excogitatae, de cadavere furtim sublato; at verosimile esse censemus, numquam hoc crimen iis objecisse Senatum caeterosve Judaeos. Ubi enim PETRUS, quod ex Act. Apost. videre licet, publice professus est, e sepulcro redivivum prodiisse JESUM, tacent inimici, aut carceris ope eos silere jubent.

Prae caeteris autem postea rem nostram tuitus est ORIGENES *contra* CELSUM, huic respondens; nam libro II refutat objectionem, *ὡς ἀδυνάτου ὄντος τοῦ ἀνίσθασθαί τινα ἐκ νεκρῶν αὐτῷ σώματι*, provocans tum ad miracula, ab ELIA et ELISA patrata, ubi mortuum in vitam revocavit ille viduae *Sareptae* (1 Reg. XVII: 22), hic *Sunamiticae* filium (2 Reg. IV: 34), tum ad vaticinium Ps. XVI: 9, 10. — Ad difficultatem a CELSO motam, ductam illam ex eo, quod Judaeis non apparuerit JESUS, respondet: *ἐφείδετο γὰρ καὶ τοῦ καταδικάσαντος καὶ τῶν ἐπηρεασάντων ὁ Ἰησοῦς, ἵνα μὴ παραχθῶσιν ἀορασίᾳ, ὁποίᾳ οἱ ἐν Σοδόμοις ἐπατάχθησαν* (Gen. XIX: 11), atque unice oculis usurpandum se dedisse JESUM dicit *ἑκάστῳ τῶν δυναμένων αὐτὴν* (*τὴν δύναμιν ἑαυτοῦ*) *ἰδεῖν*,

καὶ κατὰ τὸ μέτρον — ἃ ἐχώρει, neque aliam ob causam Eum caeteris non apparuisse, quam διὰ τὰς δυνάμεις τῶν μὴ χωρούντων αὐτὸν ἰδεῖν, quibus mox addit, missum fuisse CHRISTUM οὐ μόνον ἵνα γνωθῇ, ἀλλ' ἵνα καὶ λάθῃ. Pluribus tandem ostendit, JESUM non tantum mulieri, uti CELSUS (vel quem loquentem ille induxerat Judaeus) dixerat, sed discipulis quoque apparuisse, Evangelistarum narrationes tuens. Libro V angelorum numerum, ab Evangelistis diverse traditum, in concordiam redigit, quum CELSUM repugnantia illa offendisset.

Passim de re nostra egerunt Apologetae antiquiores. Homiliis et Harmoniis inter se convenire Evangelistas probarunt alii; alii vero silentio JESU resurrectionem praeterierunt, quum nova dubia non moverentur. Negandum non est, egregie rei nostrae inserviisse atque profuisse eorum studia, qui praesertim gentilibus probare sibi proposuissent corporis sive carnis resurrectionem, qua disputatione quodammodo CHRISTI quoque in vitam reditum confirmasse censendi sunt. Nihilominus tamen miramur, eos numquam fere provocasse ad ipsam JESU resuscitationem, qua, re in facto posita, ad PAULI Apostoli exemplum, multum contulissent ad comprobandum, quod probare voluerunt. Sic v. c. THEOPHILUS *Antioch.* in Libro I, *ad Autolycum*, 13 (1): ἀλλὰ καὶ τὸ ἀρνεῖσθαί σε νεκροὺς ἐγείρεσθαι· φῆς γάρ, δεῖξόν μοι κἂν ἕνα ἐγερθέντα ἐκ νεκρῶν. Jam non de JESU CHRISTO redivivo sermo est, sed provocat ad τὴν

(1) In JUSTINI *M. Opp.* Paris 1742, pag. 345.

τῶν καιρῶν καὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν τελευτὴν, ad semina et fructus germinantes, ad arbores, ad lunam etc. quae, tamquam in speculo, resurrectionis imaginem ostendant. Sic quoque ATHENAGORAS *περὶ ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν* (1) unice philosophi partes egit. Quod attinet ad *Docetarum*, *Gnosticorum*, aliorumque hujus generis haereticorum errores, illos strenue oppugnarunt celeberrimi illius aevi Ecclesiae Patres, doctrinaeque Christianae defensores, simul e societate sua eos excludentes. Quoad mihi vero innotuit, sequentibus saeculis nullus exstitit, qui in re nostra tuenda de industria operam posuerit.

At increscente hostium caterva, increvit quoque rei nostrae propugnatorum corona.

SPINOSAM refutavit J. COLERUS: *Vérité de la resurrection de* JESUS CHRIST, *défendue contre* B. DE SPINOSA, Hag. Com. 1706, quam disputationem vitae Ejus a se editae addidit. Item F. E. MEIS Dissertationem contra SPINOSAM edidit *de Resurrectione* CHRISTI, ad 1 Cor. XV: 17; 1711. Egregium usum praestitit opus Angli H. DITTON, *A Discourse concerning the Resurrection of* J. C., Lond. 1712, quod in Gallorum linguam translatum est 1727, atque ex hac versione exstitit Belgica: *De Chr. godsd. betoogd door de opstanding van* J. C. 1779, — praefante P. NIEUWLAND. (prodierat ed. 1720 Medioh., 1733 Amstelod.) Prouti ipse fuit Professor Matheseos, ita quoque demonstrare

(1) Ibid. pag. 315 sqq.

potius, quam inquirendo probare solet, ut adeo in editione P. NIEUWLANDI, pag. 1—226 ostendat disquisitionis necessitatem etc. atque demonstrationis fundamenta, quibus praemonitis p. 227. sqq. demonstratur JESU resuscitationis veritas, atque capitis XI hic est titulus: *Alwaar de Opstanding van* J. C. *betoogd wordt, door toepassing der merkteekenen van de vereischte Blijkbaarheid op dit Bewijs, waardoor dit geschiedstuk word aangetoond.*

WOOLSTONUM deinde refutandum sibi sumsit T. SHERLOCK, in libro *The Tryal of the Witnesses of the Resurrection of* JESUS, 1729, quem Belgice vertit A. DE VRYER, *Pleidooi over de geloofwaerdigheit der Getuigen van de Opst. v.* J. C. etc. Delph. 1736, Amst. 1772, inter duos JCtos, quorum alter coram Judice WOOLSTONUM, Evangelistas alter defendit, atque illum hic profligasse a Praeside concluditur. Alium librum *The Resurrection* etc. 1744 refutavit S. CHANDLER, *the Witnesses of the Resurr. of* JESUS *reexamined*, Lond. 1744, atque praeter alios multos egregie rem nostram contra Deistas Anglos vindicarunt LILIENTHAL, HAMELSVELD, G. WEST, cujus liber Belgice editus est, praefante Cl. C. BOERS, *De gesch. — van de opst. van onzen Heere* J. C., Traj. 1772, J. LELAND (1), alii. Contra HUMIUM multa bonae frugis monuit J. F. PLESSING, *Die Auferstehungsgeschichte unsers Herrn* J. C. II T. pass.

---

(1) Loca supra laudata ex operibus LILIENTHALI et HAMELSVELDI, et LELANDI liber I. cff. passim.

In Germania EDELMANNO (1) respondit J. F. GUTSCHMID, *Wahrheit der Auferstehung* J. C. *wieder* EDELMANN'S *Angriffe vertheidigt.* Prae caeteris autem adversarios nactus est, quot alius numquam antea, Fragmentista *Guelpherbytanus*, cui in primis LESS, DOEDERLEIN, MICHAËLIS aliique se opposuerunt, laudati illi a BRETSCHNEIDERO (2), quibus addatur: *Historieele Beschouwing en Verdediging van* J. C. *Opstanding*, (*Symb. Altissimo annuente viribus meis*) Dordr. 1783.

In patria nostra EBERHARDI sententiam docte examinavit et refutavit Cl. BORGER, qui »tantam tamque »acrem esse pugnam," inter doctrinam Chr. et Philosophiam Platonicam et Cabbalisticam, »ut quercus »facilius cerasa, quam Platonico-Cabbalistica philosophia »religionem Christianam gignere potuisse videatur" ostendit, atque ejus de JESU resurrectione sententiam toto coelo differre ab Evangelistarum usu loquendi probavit; numquam denique PAULI doctrinam de corporum in vitam restitutione intelligi posse statuit, nisi resurrectionis notio *proprie* sumatur. Prae caeteris hoc urget, quod, assumta EBERHARDI sententia, »quidquid »de angelorum officio, de JESU cum amicis colloquiis, »narratur, id omne in commentorum numero esset »habendum;" nam *ornamenta orationis* illa dicere, quibus simplicem doctrinam de ideae Messiae in coelo

(1) Ei plura opposuit LILIENTHAL, l. l. III, 485 sqq. alibi T. XI.

(2) *Systematische Entwickelung* etc. p. 594 sq. De scriptoribus contra BAHRDTUM, ib. p. 279, contra HORUM, ib. p. 278.

aeternitate veluti vestire voluerunt, quod ille fecit, » quan- » tam monstri speciem habet, quod, cum illa ideae aeter- » nitas infinitâ fere colorum varietate veluti pingi posset, » omnes Evangelistae eam rem *eodem modo* exornant, » et tamen in minoris momenti rebus ita dissentiunt, » ut satis appareat, alterum ab altero pigmenta sua non » mutuatum fuisse, sed singulos suo ingenio scripsisse, » nec ad alterius exemplum orationem suam compo- » suisse." Itaque, quae scripserunt, ipsi vera credide- runt, atque adeo minime, ut doctrinam Platonico-Cab- balisticam exornarent, addiderunt (1).

Ita multi refellerunt dubia, contra veritatem JESU resurrectionis historicam mota. Philosophorum interpre- tationes rei nostrae, licet ab aliis refutatae, non tanti nobis sunt momenti, quippe qui prae caeteris de fide historica, rei nostrae habenda, acturi sumus. Inter multos, qui STRAUSSIO se opposuerunt, resurrectio- nis quoque vindices, nullus fere exstitit, qui accurate ejus dubitationum gravitatem indagaret, earumque ra- tione habita rem nostram fusius exponeret. Excipiendi sunt F. L. GELPKE, *Das unhaltbare der Ansicht des L.* JESU *nach Dr.* STRAUSS *in Beziehung auf das Haupt- moment dieses Lebens*, 1836; J. E. OSIANDER, *Apo- logie des Lebens* JESU, p. 331—346, et C. ULLMANN (1), qui, licet Evangelistarum de JESU reditu in vitam nar-

(1) Cf. Ejus *Disputatio*, a Societ. *Teyleriana* praemio ornata, hu- jusque Opp. inserta, T. XXVI, pag. 63 sqq. coll. pag. 45 sqq.

(2) *Historisch oder Mythisch?* 1838.

rationes non exposuerit aut vindicaverit, tamen quam plurima monuit, ut hujus facti veritatem historicam, fidemque ei habendam, confirmaret ac tueretur. Hìc referri quoque debet libellus, quem conscripsit F. KÜHN: *Wie ging* CHRISTUS *durch des Grabes Thür? Ein schrift- und zeitgemässes Zeugniss von dem Auferstandenen, mit Rücksicht auf die* STRAUSS'*sche Analyse.* Attamen magnam partem illius disputatio versatur in corporis redivivi natura indaganda, de qua inferius videbimus, et brevior est in adversario refutando, quam quidem rei gravitas id postulare videatur (1). WEISSII commenta, an de industria quis refellerit, dubito.

Verene mortuus CHRISTUS est? Confirmarunt ac probarunt hoc quoque Viri Docti: THEOPH. RICHTER, C. F. F. GRUNER, V. H. VOGLER, aliique Medicinae operam navantes, quibus e nostratibus in primis addatur C. RENSING, *Med. Dr. Verhandeling betreffende — het Lijden, Sterven en de Opstanding van* J. C. *uit een geneeskundig oogpunt beschouwd*, Amst. 1806, qui hanc quaestionem sibi exponi desiderantibus omnino satisfacere posse videntur. Quum STRAUSSIUS atque WEISSIUS de vera JESU morte non dubitent, nos quoque

(1) Ipsum STRAUSSII opus, ubi debuisset, non inspexit, ut ipse dicit, p. 89. »*Wie mir denn auch sein Werk über das Leben Jesu, »bis zu dem Augenblicke hin ein verschlossenes Buch war, wo ich »diese meine Schrift beinahe schon fertig hatte.*" Itaque non accurata ejus disputatio esse potuit.

in disquisitione nostra tacite ponimus: Vere JESUS mortuus est, cruci affixus (1).

Ne amplius nomina tantum recensere videamur, caeteros jam mittimus scriptores de JESU in vitam reditu, quorum antiquiores laudatos invenies a WALCHIO (2), FABRICIO (3) et M. LILIENTHALO (4), recentiores a DANZIO (5) et HASIO (6). In patria nostra quoque JESU resurrectionis veritatem et momentum exposuit J. H. SONSTRAL, JESUS *Opstanding, de grondzuil van het Christelijk geloof*, 1832.

Pervenimus ita ad finem disquisitionis nostrae cum de dubiis contra JESU in vitam reditum motis, tum de iis, qui ad illa responderunt. Progressum huncce animadvertere licet, quod adversarii antecedentium semper dubitationibus utantur, atque novis argumentis ea fulciant. In significatione autem, narrationibus de JESU in vitam reditu tribuenda, fide historicâ negatâ, eos magis magisque recessisse ab Evangelistis, sponte patet, illamque refutari accuratâ Evangeliorum expositione. Modo, quid illi nobis tradere voluerint, quaeratur,

---

(1) Cff. qui de hac quaestione egerunt, quos laudat HASE, *Leben Jesu*, ed. 3, § 121, p. 207 sqq. PAULUS, *Exeg. Handb.* III, 731 sqq. WINER, *Real-Wörterb.* voce JESUS, I, p. 672.

(2) *Bibliotheca Theologica Selecta* I, 102, 263; III, 438.

(3) *Delectus argument. et syll. script.* pag. 704.

(4) *Theol.-Homiletischer Archivarius*, 1749, pag. 271 sqq.

(5) *Universal Wörterb. der theol. und rel. Literatur*, voce *Auferstehung*, pag. 91 sqq.

(6) *Leben Jesu*, pag. 212—214.

non vero, quid tradere debuerint, antea construatur. Porro etiam recentissimi adversarii neque JESUM neque ejus discipulos fraudis accusarunt. Vel sic tamen cavendum est, ne fallamur, insidiasve ponant adversarii, ubi negant in vitam rediisse JESUM, et sepulcrum a militibus fuisse custoditum, cum tamen constet vacuum fuisse sepulcrum, quod illi fere infitias ire videntur. Tandem nobis prodest discordia, qua consumuntur adversarii, quorum alter alterius interpretandi et argumentandi rationem carpit atque rejicit, et quisque suo more Evangelistas exponit, subtilissima quaeque *φιλοσοφούμενα* posteris tradentes.

Atque haec jam monuisse sufficiat. Reditum JESU in vitam varias ob causas negant adversarii, ejusque vim, effectus saluberrimos et significationem minime recte perspiciunt aut exponunt. Quum itaque ad ipsam disputationem accedimus, novissima dubia refutaturi a STRAUSSIO in primis et WEISSIO mota, quia aliorum objectiones alii satis jam refutarunt, *priore* quidem parte vindicanda nobis est JESU e mortuis resuscitatio, *posteriore* vero, e nexu, qui illi cum aliis doctrinae Christianae capitibus intercedit, ejus momentum est probandum, ut tota disquisitio respondeat ad quaestionem: quid sit, effecerit, efficiatque Sospitatoris in vitam reditus?

PARS I.

JESU IN VITAM REDITUS VINDICATUR.

In vitam rediisse JESUM quum tradant Evangelistae, ante omnia nobis videndum est, quaenam illi hac de re nobiscum communicent, ut ita de fontibus constet, quos tuto adire nobis liceat. Quorum auditis narrationibus, deinde, num ipsa res, quam ponunt magis quam referunt, vera sit, inquirendum est. Etiamsi enim nobis persuaserimus, Evangelistarum narrationibus, in se spectatis, fidem esse habendam, tamen de ipsa re jure fortasse addubitaremus, quum scripto mandassent, quod, licet vere accidisse ipsi putarint, ita tamen fieri non potuerit (1). Ne igitur supervacaneam quis existimet disquisitionem in ipsius rei veritatem, quippe quae disquisitio valet, ut eorum quoque dubia refellere possi-

(1) Cum aliis recte hoc discrimen fecit PAULUS, *Exeg. Handb. über die drei ersten Evangg.* 1833. III. s. 833. »*und ist gleich* »*nichts nothwendiger als die sorgfältigste Behutsamkeit gegen Ein-*»*mischung eigener Urtheile in die Facta.*"

mus, qui JESUM in vitam rediisse varias ob causas negandum esse censeant.

CAPUT I.

EVANGELISTARUM DE JESU IN VITAM REDITU NARRATIONES DIJUDICANTUR.

Hocce capite singulatim Evangelistarum de re nostra narrationes *primum* exponemus. Verum non tantum, quaenam nobiscum communicarint, quaerendum est, sed etiam quanam fide digni ea nobis tradiderint, atque ita *deinde* videbimus de Evangelistarum narrationum fide historica.

SECTIO PRIOR.

NARRATIONUM EVANGELISTARUM EXPOSITIO.

§ 1.

Matth. XXVIII: 1—8.

Postquam die Veneris MARIA MAGDALENA et MARIA mater JACOBI et JOSIS (1) in sepulcro reconditum vide-

(1) Ἡ ἄλλη Μαρία eadem est, quae XXVII, 56, coll. s. 61, dicitur ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ, quam DE WETTIUS, *Exeg. Handb.* ed. 2, ad. XXVII: 56 dicit τὴν ἀδελφὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ (JESU) — Μαρίαν τὴν τοῦ Κλωπᾶ, quod ex Joh. XIX: 25 repetit.

rant cadaver doctoris, quem tenerrimo amplexae fuerant amore, primo hebdomadis die continuo locum adeunt, quem, nisi sacra fuissent facienda (1), non facile reliquissent. Vehementi autem desiderio ductae, primo jam diliculo (2), iter faciunt, ut sepulcrum inspiciant defunctique reliquias honore afficiant. Qualia autem evenerant ante earum adventum (3)! Ecce! quum

---

Distinguendum autem esse inter *τὴν ἀδελφὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ* et *Μαρίαν τὴν τοῦ Κλωπᾶ*, l. l. commemoratas, recte probatum ivit C. WIESELER, *die Söhne Zebedäi Vettern des Herrn*, in Diario *Studien und Kritiken*, 1840, III, 650 sqq. cf. *Godgel. Bijdragen*, 1840. Neque recte FRITZSCHIUS ad h. l. JESU matrem hîc significari statuit, loca conferri jubens Matth. XIII: 55 et XXVII: 56.

(1) Luc. XXIII: 56.

(2) *Ὀψὲ δὲ σαββάτων κ. τ. λ.* cf. FRITZSCHIUS, locum ita explicans: »post Sabbatum, quum praeteriisset dies Sabbati: primo dili»culo, quod in hebdomadis initium vergeret, primi hebdomadis diei »diliculo." Ita non opus est, ut cum Cl. PAULO haec verba ad antecedens caput referamus.

(3) Primo obtutu fortasse quis putet, iis, quae s. 2—4 narrantur, mulieres interfuisse. Contrarium autem docent haec: 1. Nesciverunt mulieres, sepulcrum custodiri a militibus, quum Judaei hanc custodiam a PILATO petierint die post mortem Domini. Quod si scivissent, certo sepulcrum inspicere non ausae fuissent, nec de saxo devolvendo dubiae haesissent (Marc. XVI: 3). Contra vero, e longinquo custodiâ visâ, continuo in fugam se conjecissent. Non recte igitur illud negavit H. A. W. MEIJERUS, *Krit.-Ex. Komm.* ad Marc. XVI: 3. — 2. Ipsa etiam narratio, JESUM e sepulcro prodiisse ante mulierum adventum, comprobat. Etenim, si mulieres Angelum, de coelo descendentem, mox sepulcrum, corpore vacuum vidissent, quaerendum omnino esset,

Angelus de coelo descenderet, terra commota fuit ([1]); saxum, quod ante sepulcrum Senatus Judaeorum posue-

---

quid tandem de cadavere defuncti cogitandum sit. Intrantes sepulcrum vacuum illud inveniunt mulieres; attamen antea in sepulcro depositum fuisse corpus ipsae viderant. Omnia igitur graphice depinguntur, unde repetendum est, quod verba ἰδοὺ, κτλ. s. 2, referre videantur αὐτόψιαν, neque adeo aoristi ἐγένετο, καταβὰς etc. pro plusquampf. tempore habendi sint; verum sine dubio haec deinceps ita a militibus tradita sunt. Cff. quae hac de re habet MICHAËLIS, *Erklärung der Begräbniss- und Auferstehungsgeschichte* CHRISTI. Halis 1783, s. 112, sq. et GRIESBACHII sententia, quam refert KUINOELIUS ad h. l. ed. 4, p. 822, quaeque infra h. de re monebimus.

([1]) Interpretibus, qui de terrae motu h. l. cogitandum esse negarent (cf. KUINOELII *Comm.*), nuperrime assensit anonymus in Diario Amstelodamensi, *Maandschrift voor Christenen*, 1841, V. 4, p. 236 seqq. verba σεισμὸς ἐγένετο μέγας s. 2. vertens: »et magna com»motio animi facta est, *eene groote ontroering* of *ontsteltenis* had »er plaats bij de wachters." Monet, mulieres terrae motum non animadvertisse, neque hanc ob causam milites metuentes fugisse, sed propter Angelum descendentem; hujus descensum non necessario comitari terrae commotionem, quod tamen particula γὰρ significare videretur, neque *magnum* terrae motum postulari. Ut mihi autem videtur, tenendum est, relativam q. d. esse τοῦ μέγας notionem, ita ut, quam alter majorem dicit commotionem, leviorem alter existimet; neque totam conquassatam esse Hierosolymam, sed unice tractum, qui sepulcrum contineret, quod custodientes milites facile omnem ejus vim senserunt, mulieres vero ipsam hanc ob causam non animadverterunt; ex hoc igitur sequitur terrae motum non late se extendisse. Lubens concedo, terram non commotam esse, *quia* Angelus de coelo descendit; exinde autem minime sequitur, Angelum descendere non

rat, devolvit Angelus, atque in hoc consedit (1): quibus visis, sepulcrum custodientes milites, plane timore correpti et obstupefacti, in fugam se conjecerunt. Ejusmodi quid numquam illi viderant! Coelestem scilicet spiritum, fulminis ad instar descendentem, cujus forma nivea erat, cujus accessum terrae motus comitabatur. Quae vero mox secuta sunt, his nemo mortalium interfuit (2), neque *eorum* quisquam primus nuntius

---

potuisse, dum terra concutiebatur, quod Vir Ven. aliquatenus statuere et urgere mihi videtur, quum nusquam alibi mentionem fieri moneat Angeli, terra tremente, descendentis. Prae omnibus ei obstat difficultas grammatica. Sect. 4, verba ἀπὸ δὲ τοῦ φόβου αὐτοῦ ἐσείσθησαν οἱ τηροῦντες exponunt effectum antecedentium; voculam δὲ vertas igitur: *autem*, — »prae metu autem ejus fugerunt," etc. Quod si s. 2 verba verti possent: »magna commotio animi facta »est," jure exspectabis quidem expositionem causarum hujus σεισμοῦ (s. 2, 3.), minime vero iteratam hujus commotionis commemorationem. Vertenti igitur: *et magna animi commotio* (σεισμὸς) *facta est*, *nam angelus* etc. — *prae ejus metu* (δὲ?) *commoti sunt* (ἐσείσθησαν) *custodientes* etc. patet, hisce inesse ταυτολογίαν, quam scriptor certo evitasset. Hanc ob causam Viro Ven. non assentio. Cff. FRITZSCHIUS ad h. l. et infra monita p. 38, n. 1.

(1) BENGEL, *Gnomon* ad h. l. »αὐτοῦ" sic nemo poterat lapidem denuo advolvere sepulcro." PAULUS ad h. l. verba ἐκάθητο in primis obesse putat sententiae de fulmine saxum devolvente, cui lubenter assentimus, licet in caeteris, quae de Angelo monet, nequaquam cum eo faciamus.

(2) Quod monent quoque antiquae Ecclesiae Patres, quos laudat C. L. MÜLLER: *de resurrectione* JESU CHRISTI, *vita eam excipiente et*

fuit, sed ipse Angelus laeta verba mulieribus annuntiavit. Hae enim advenientes, sine dubio timore affectae, minime intelligere potuerunt, quae viderunt et audierunt. *Ne timeatis quaeso*, ita enim eas alloquentem audimus Angelum (1), *etenim vos* JESUM *quaerere, qui cruci affixus est, scio. Hic non est. Surrexit enim, prouti dixit* (2); *accedite, locum ubi jacuit Dominus*

---

ascensu in coelum sententiae, quae in Eccl. Chr. ad finem usque Saeculi VI viguerunt. Hauniae, 1836, pag. 58.

(1) Quae jam sequuntur verba, FRIEDRICHIUS, HEZELIUS, ipse KUINOELIUS ad h. l. minime Angelo tribuunt, sed tamquam cogitationes, animis mulierum obversantes, proponunt. Verum nequaquam hi interpretes ad earum animi conditionem, ad tristitiam et timorem attenderunt, quibus commotae, nisi extrinsecus ansa praeberetur, omnino longe alia exspectassent et cogitassent. Non majore applausu digna censenda est KUINOELII interpretatio de Angelo, e coelo descendente. Provocans ad Hebraeorum opiniones, qui omnia inopinata eventa etc., ad genios referrent et Angelos dicerent, commotionem terrae pro Angelo habet, vel rectius forte, ut addit, intelligitur fulmen, quod saxum percusserat atque de sepulcro dejecerat, vel potius cogitandum censet de flammis, quae, terrâ commotâ, eruperant. Quid igitur proprie velit KUINOELIUS, non facile intelligere quis possit, ubi ejusdem rei tres dantur interpretationes, quum etiam historia ei obest, quae Angelum loquentem inducit, cujus *verba* neque mulieribus, neque fulmini aut alii naturae phaenomeno tribuere licet; neque intelligimus, qui mulieres ea, quae ipsae cogitarint, pro verbis Angeli, quem audivisse sibi visae sunt, habere potuerint.

(2) *Καθὼς εἶπε* s. 6. Horum verborum sensum prorsus infringit PAULUS in *Comm.* ad h. l. ea interpretatus: »*Von einer solchen Auf-*»*erstehung war, wie ihr jetzt sehet, dass zu verstehen, was er*

adspicite, et continuo abeatis, ut Ejus discipulis, e mortuis Eum resurrexisse, annuncietis. En! vobis Galilaeam versus praevius it; ibi Eum videbitis. Ecce, dixi vobis (1). Quibusnam verbis jam uteremur, ad mulierum animi conditionem describendam? Metuentes, simul vero vehementer mirantes et gaudentes audierant, quae nec suspicari, nec sperare posse sibi visae erant. Vivit amicus, vivit Dominus; hac de re vix dubium exstat, quia sepulcrum intraverant, quod vacuum viderant; quocirca egressae (2), magno timore et gaudio discipulos adeunt, ut cum his laetissimum communicent nuntium, atque sic Angeli mandato satisfaciant.

Haec tradit Evangelium, quod MATTHAEI nomen prae se fert. De iis, quae mox secuta sunt, infra videbimus.

§ 2.

Marc. XVI: 1—8.

Ab eadem re, qua MATTHAEUS, narranda fere incipit MARCUS. Quod enim fecerant jam amici, denuo id

---

»*sonst von seinem ἐγείρεσθαι,* קום, *gesprochen hat.*" Nam de reditu in vitam terrestri non cogitasse JESUM, quin adeo Eum suam e mortuis resuscitationem miratum fuisse, statuit V. Cl. in *Comm.* l. l. p. 830.

(1) Cf. de verbis *ἰδοὺ, εἶπον ὑμῖν,* infra pag. 41, n. 1.

(2) S. 8. *ἐξελθοῦσαι ἀπὸ τοῦ μνημείου.* Rem itaque accurate indagarunt; Eum vero non videntes, quem mortuum et sepultum sciverunt, verbis Angeli tuto fidem habuerunt.

facere sibi proposuisse defuncti amicas tradit. Corpus nempe JESU aromatibus, Sabbato elapso emtis, unguendi causa, sepulcrum adierunt MARIA MAGDALENA et MARIA mater JACOBI et JOSIS (1) una cum SALOME. Viderant illae (2), quo loco deposuerat cadaver JOSEPHUS *Arimathaeënsis*, qua de causa primo hebdomadis die, alto mane, orto sole (3), iter ingressae sunt. Magnae vero molis saxum cum scirent, ad sepulcrum advolutum esse (4), inter se anxiae quaesiverunt, quis tandem saxum devolveret, quum certe nemo, qui introitum iis pararet, adesset. Ecce vero,

---

(1) *Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου* eadem est, quae XV: 47 dicitur *Μαρία Ἰωσῆ*, quod et facile ex MATTHAEI collatione patet.

(2) XV: 47, coll. s. 40.

(3) *Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου.* KUINOELIUS ad h. l. non recte haec expressit: »*oriturā sole*," aoristum ita pro futuro interpretatus. Caeterum cf. FRITZSCHIUS ad h. l.

(4) Quod in more positum fuisse apud orientales, ut a tempestate, vel hominum et bestiarum injuriis tuta essent cadavera, notum est. Verba *ἦν γὰρ μέγας σφόδρα* causam dare mihi videntur, cur s. 3 dixerint mulieres: *τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν κτλ.* prouti BENGELIUS in *Gnomone* animadvertit: »Innuit particula (*γὰρ*) cur et mulieres soli»citae fuerint, et cur *lapidem* majore vi devolvendum agnoverint." Minime pro verbis MARIAE habenda sunt, aut ad s. 4 referri debent, ita, ut Evangelistae verborum *ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν, ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος* rationem reddant, et intelligatur: ita ut e longinquo conspici posset. Prior enim interpretatio verborum trajectionem ponit, quam textus nequaquam permittit; altera haec verba superflua reddit, quum, recte monente FRITZSCHIO, »nihil referat, utrum mu»lieres *e longinquo* grandem lapidem conspicere potuerint, nec ne;" qui cf. omnino ad h. l.

saxum jam devolutum esse vident, nec quidquam adesse, quod, quominus cadaver carissimi magistri unguerent, impedimento ipsis esset. Intrantibus autem sepulcrum, coram oculis iis apparet juvenis, ad dextram sedens, alba veste indutus; quo viso, quis eas vehementer obstupuisse miratur, quum saxum non devolutum, multo minus juvenem in sepulcro exspectarent, imo quod quaererent non viderent? Quod quum facile suspicaretur ille juvenis, *Ne obstupescatis*, inquit, JESUM *quaeritis Nazarenum, cruci affixum; surrexit, hīc non est; en! locus, quo Eum deposuerant. Verum abeatis; discipulis Ejus et* PETRO *annuncietis, versus Galilaeam Eum vobis praecedere; ibi Eum videbitis, prouti vobis dixit* (1). E mortuis igitur JESUS resur-

---

(1) Verba *καθὼς εἶπεν ὑμῖν* igitur referenda sunt ad praecedentia *ὅτι προάγει ὑμᾶς κτλ.* cf. XIV: 28. Non recte PAULUS in *Comm.* ad h. l. III, p. 856 sq. statuit, MARCUM verba MATTHAEI *ἰδοὺ, εἶπον ὑμῖν* aliter intellexisse, quandoquidem, si vel concederemus, ex MATTHAEO hausisse MARCUM, quod negandum esse videtur, tamen hoc *εἶπεν*, Marc. XVI: 7, egregie convenit cum Matth. XXVIII: 6. *καθὼς εἶπε*, ut utroque loco JESU verborum rationem habeat Angelus, quum longe aliud quid significent MATTHAEI verba *ἰδοὺ εἶπον ὑμῖν*, quibus hunc sensum tribuimus: »jam munere meo perfunctus sum." Idem valet de iis, quae monent DE WETTIUS, *Comm.* ad Matth. XXVIII: 7, et STRAUSSIUS, *Leb. Jesu*, ed. 3, II, pag. 646 sq. Nulla igitur causa esse videtur, ob quam conjecturae faveremus, quae pro *εἶπον* l. l. legendum proponit *εἶπεν*. Sic enim bis ad JESU verba provocasset Angelus; praeterea JESUS ipse numquam dixisse traditur, se in Galilaea mulieribus conspiciendum se praebiturum esse, post reditum in vitam.

rexerat! Quem unguere voluerant, hic Galilaeam adibat! Mortuum inter vivos versantem, in Galilaea videndi, audiendi, alloquendi facultatem habent! Et haec omnia e quonam acceperunt? Non ex mortalium numero hic juvenis erat, de quo facile sibi persuaserunt, quum caeteroquin tanto tremore et stupore affectae non fuissent, quibus jam incitatae in celerem fugam se conjecerunt, nullum verbum emittentes, neque inter se de visis auditisve ullum sermonem prae metu conserentes (1).

§ 3.

Luc. XXIV: 1—12.

Patet ex Lucana narratione, MARIAM MAGDALENAM, JOHANNAM (2), MARIAM matrem JACOBI aliasque nonnullas mulieres, quae cum JESU e Galilaea Hierosolyma venerant, ibique morientem viderant Dominum (3), die

---

(1) Nimis haec verba *καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον*, Marc. XVI: 8, urgent FRITZSCHIUS, MEIJERUS, DE WETTIUS aliique, ubi hic e. c. dicit: »*die starke Negation erlaubt nicht die Erklärung: sie sagten »Niemandem davon im ersten Augenblicke oder auf dem Wege nach »der Stadt, oder mit Ausnahme der Apostel.*" Contrarium enim docet historia, et ipsa res et ratio, quae de mulieribus, laetum nuntium tacentibus, cogitare omnino vetat. Cf. quoque Matth. VIII: 4, *ὅρα, μηδενὶ εἴπῃς· ἀλλὰ κτλ.*

(2) *Ἰωάννα γυνὴ Χουζᾶ ἐπιτρόπου Ἡρῴδου.* Luc. VIII: 3.

(3) Cf. XXIII: 49, 55. coll. XXIV: 10. Verbis *καὶ τίνες σὺν αὐταῖς*, Luc. XXIV: 1, quippe spuriis, atque recte a KUINOELIO, LACHMANNO, aliisque eliminatis (cf. GRIESBACHIUS), facile caremus,

solis sepulcrum adiisse, aromata secum ferentes. Ne de consilio, quo hoc iter fecerint, dubii haereamus, MARCUS jam monuit, eas venisse, *ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτὸν* (XVI: 1). At spem fefellit eventus, nam saxum devolutum viderunt; corpus autem defuncti oculis frustra quaerentes, jure perturbatae, nesciverunt, quid hac de re statuerent; quum duo viri, quos certo nondum animadverterant, splendentibus vestibus induti, accederent, easque, caput in terram prae metu inclinantes, sic alloquerentur: *Quid viventem apud mortuos* (1) *quaeritis? Hîc non est, verum surrexit. Recordemini, quomodo vobis, in Galilaea olim versans, dixerit* (2): *in manus improborum hominum tradi oportet hominis filium, crucique affigi et die resurgere tertio.* His verbis in memoriam revocatis, nullae dubitantes, audita cum undecim discipulis caeterisque magistri sectatoribus communicarunt. Res tamen adeo incredibilis his visa est, ut pro nugis et commentis, quaecumque mulieres narrarent, haberent, fidemque iis denegarent. Attamen PETRUS continuo sepulcrum adiit (3), ut de dictorum vel veritate vel falsitate sibi

---

cum universe s. 1 respicit ad XXIII: 55, neque hoc additamento opus est, verosimiliter sumto illo ex s. 10.

(1) *Μετὰ τῶν νεκρῶν*, s. 5, i. e. quo mortui esse solent loco, in sepulcro.

(2) IX: 22. XVIII: 33.

(3) Molestiam creavit interpretibus s. 12. Desideratur enim in Cod. D, et in versionibus nonnullis, quocirca spuriam eam nonnulli

persuaderet. At quid vidit? fascias linteaque sepulcralia, neque aliud quidquam. Verane igitur dixerant mulieres? Hoc certum erat, desiderabatur CHRISTI corpus, nec dubitamus, quin domum rediens PETRUS vehementer, quae acciderant, miratus sit.

---

habuerunt, atque postea ex Evangelio JOHANNIS textui insertam, aut aliunde petitam, a LUCA non suo ordine et loco dispositam. Cf. quae monet KUINOELIUS ad h. l. Sed cum DE WETTIO animadvertas, serioris temporis interpolatorem JOHANNIS certe Apostoli mentionem facturum fuisse, cum Joh. XX: 3 sq. una cum PETRO commemoretur JOHANNES. Codicum vero auctoritas, ut LUCAE verba vindicemus, suadet, qui ipse infra s. 24, quae omiserat, addit, CLEOPAE verba referens: *καὶ ἀπῆλθόν τινες τῶν σὺν ἡμῖν ἐπὶ τὸ μνημεῖον.* Totius sect. absentia in Cod. D fortasse explicari potest ex pugnae specie cum s. 24 coll. Joh. XX: 3. — Perverse omnino de hac sect. PAULUS in *Comm.* ad h. l. cogitat, statuens, hisce verbis causam dari, ob quam mulieribus fidem non habuerint discipuli, quippe qui e PETRO jam audiverint, vacuum fuisse sepulcrum. Quam sententiam, ut veritatis quadam specie fulciret V. Cl., aoristo 2 *ἔδραμεν* vim tribuit plusqpf., et vertit: *adierat* sepulcrum. Grammatice autem haec interpretatio non procedit, quia male jungitur plusqpf. (proprie aor. 2.) *ἔδραμεν* cum praes. tempore *βλέπει*, et attendendum est ad ea, quae monuit WINERUS, *Gramm. des N. T. Sprachidioms*, ed. 4, p. 251: »*Es beruht aber dieser Gebrauch*" (aor. pro plusqpf.) »*darauf, dass der Schriftst. das Factum als ein slechthin vergan-*»*genes, nicht im Verhältniss zu einem andern ebenfalls vergangenen* »*dachte*," cujus contrarium nostro loco obtinet, ubi causam reddunt haec verba discipulorum *ἀπιστίας*, ex mente PAULI.

§ 4.

Joh. XX: 1—13.

Ab iis, quae Synoptici huc usque nobis tradiderunt, quodammodo differunt a JOHANNE relata. Ex hujus enim narratione, primo hebdomadis die MARIA MAGDALENA, primo mane, sepulcrum JESU adit; saxum vero devolutum videns, aditum jam omnibus patere et corpus Domini sublatum esse statim opinatur. PETRUM et JOHANNEM (1) adit, quibus, *Dominum*, inquit, *sustulerunt, neque, quo loco Eum deposuerint, scimus* (2). Quibus

(1) Ὁ ἄλλος μαθητὴς, ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς. Cf. XIX: 26. JOHANNEM hîc designari sponte patet.

(2) Οἴδαμεν s. 2. Alii legunt οἶδα (cf. GRIESBACHIUS ad h. l.), alii οἶδα μὲν (cf. KUINOELIUS ad h. l.). Vulgata lectio, quae majorem habet auctoritatem, retinenda est. Nam procul dubio MARIA MAGDALENA cum aliis mulieribus, prouti et Synoptici tradiderunt, ex urbe exiit, harum vero mentionem ideo non fecit JOHANNES, quod e MARIA MAGDALENA, quae caeteras reliquerat, sola haec acceperit. Sic minime KUINOELII, enallagen temporis h. l. invenientis, interpretatione indigemus, ubi veteribus assentit, multo minus cum eo facimus, haec addente: »et commode vulgata lectio retineri potest — »cum JOHANNES interdum negligentius scribere solcat, et h. l. ora»tionem MARIAE verbotenus reddere voluerit." Quorum verborum pugna sponte in oculos incurrit. Qui enim alicujus orationem *verbotenus* reddit, quomodo ille *negligentius* scripsisse censendus est? Quod si autem JOHANNES MARIAE verba tradiderit, pluralis numerus proprio sensu accipiendus est, quum de se sola verba faciens MARIA, numquam οἴδαμεν pro οἶδα dictura fuisset. MEIJERI (*Krit-Exeg. Komm.* ad h. l.) interpretationem recte refutat LÜCKIUS in *Comm.* ad h. l.

auditis, PETRUS et JOHANNES, ut ipsi, quid de re sit, videant, sepulcrum visum abeunt, quorum prior JOHANNES ad locum pervenit (1), ubi JESUM sepeliverant Ejus amici; tam ardenter autem in rem inquirere studens, imo JESU in vitam rediisse quodammodo jam suspicans, ad ipsum locum ubi pervenit, vix intrare ausus est, sed lintea jam vidit. Postquam vero audacior ille alter intrasset et lintea vidisset, seorsim vero sudarium convolutum (2), ipse quoque JOHANNES intravit, idem vidit, credidit. In vitam rediisse CHRISTUM credidit (3), quandoquidem viderat *τὸ σουδάριον ἐντετυλιγμένον εἰς ἕνα τόπον*; de inimicorum injuria vel cura amicorum cogitare non potuit, cum prius in primis vetaret sudarium, opera et studio convolutum, ipse

---

(1) Quare per viam propiorem, uti KUINOELIUS ad h. l. voluit? Quidni celeriore cursu PETRUM, eadem via cum secutum, antevenisset?

(2) Candida *ὀθόνια* etc. »pro Angelis habuisse mulieres meticu»losas," satis absurde statuit EICHHORNIUS, laudatus a KUINOELIO ad Matth. XXVIII: 5; nam Angelos vident loquentesque audiunt, antequam sepulcrum inspexerint, uti MATTHAEUS tradit l. l.

(3) *Καὶ ἐπίστευσε* s. 8. Lectio Cod. D *οὐκ ἐπίστευσε* nulla gaudet auctoritate. LÜCKIUM (ed. 2) et THOLUCKIUM (ed. 5) secutus sum in verbi *ἐπίστ.* interpretatione, quam antea tuitus quoque est Cl. H. E. VINKE, in *Spec. quo Vaticinationes J. C. de perpessionibus suis, morte et in vitam reditu, illustrantur et vindicantur.* Traj. ad Rh. 1818, p. 87 sqq., qui conferantur omnino. Acute dubia contra hanc interpretationem exposuit Doct. CHELIDON, in Ephemerr. *Boekzaal der geleerde wereld.* Jul. 1840, ut responderet Ven. HALON, pro nostra pugnanti explicatione, in iisdem Ephemerr. Maj. 1840.

autem consilii, quod iniissent amici, non ignarus fuisset JOHANNES. Credidit, postquam vidit, quoniam nondum intellexerunt, quod scriptum erat: JESUM sc. e mortuis redire oportuisse. His visis domum redierunt; cum interea MARIA MAGDALENA ad sepulcrum rediisset, et lacrymas fundens adstaret, duos Angelos, sepulcrum inspiciens, videt (1), quorum, albis vestibus indutorum, alter ad superiorem, ad inferiorem partem sepulcri alter consedit. Cum hisce, de ejus lacrymis quaerentibus, doloris causam communicat, eodem, quo cum PETRO et JOHANNE antea eam communicantem audivimus, modo.

Ex antecedentibus vidimus, singulos narrare Evangelistas, ex Angelis mulieres nuntium accepisse, de JESU in vitam reditu, modo MARCUM et LUCAM excipias, qui *ἀγγέλου* verbo non utuntur; nullum autem eorum de ipsa JESU e mortuis resuscitatione aliquid tradere, quod hujus facti *αὐτόψιαν* referat, quo fit, ut modum ignoremus, quo JESUS e sepulcro redivivus prodierit. Nec sufficit, separatim Evangelistarum narrationes exposuisse; inter se comparentur, alterum alter explicet, ut, variis auditis testibus, de fide constet, qua digni sint. Et-

(1) Mira ratione PAULUS, in *Comm.* III, pag. 831, hujus loci ordinem convertit, ita ut MARIA cum Angelis locuta sit Dominumque viderit, ante PETRI et JOHANNIS adventum, statuens igitur: »*dass, chronologisch betrachtet Joh.* XX: 11—17 *vor* V^s. 3—10 *zu erklären ist.*" At aliud certe voluit Evangelista, cujus fidem hac in re in dubium vocari, vetat accurata ejus verborum interpretatio.

enim omni aevo inter has narrationes pugnam exstare, probare conati sunt multi viri docti, religionis Christianae adversarii, quibus alii accesserunt, qui his narrationibus inesse statuerent, quae nequaquam sic accidisse potuerint, aut harum narrationum fontes turbidos dicerent; quibus si concedendum esset, nugae fabulaeque omnia jure haberentur, quae de harum narrationum fide historica in medium proferantur. Ad hanc igitur disquisitionem statim accedamus.

SECTIO POSTERIOR.

NARRATIONUM EVANGELISTARUM FIDES HISTORICA.

Hac sectione ostendere conabimur, Evangelistarum de JESU in vitam reditu relata egregie inter se convenire, iis nihil inesse, quod jure quis negare possit, ita accidisse, nullumque contra harum narrationum ἀξιοπίστιαν argumentum peti posse ex earum origine.

§ 1.

Narrationes inter se conveniunt.

Quicunque obiter has narrationes percurrit et inter se confert, sponte de pugnae quadam specie, de levi discordia sibi persuadebit, atque in omnibus minime convenire Evangelistas aequus quisque judex concedet. At longe aliud quid est, ejusmodi concedere diversitatem, aliud, hanc ipsam ob causam omnibus fidem

denegare. Spectat enim haec varietas non rem ipsam, verum minoris pretii περιστάσεις, quae non arcte cum rei summa conjunctae sunt, sed magis ad eam illustrandam valent. Fuerunt et sunt etiamnunc, qui propter hanc, quam in narrationum parte minutiore jactarunt, pugnam, fabulis annumeranda censeant de JESU in vitam reditu ab Evangelistis relata. Fuerunt alii, qui in minimis etiam rebus omnia convenire probare conati et revera sibi probasse visi sint, ea tamen felici sorte non usi, ut adversarios profligaverint, vel certe ad terminos non loqui redegerint. Omni, quo valet, ingenii acumine et acerbitate, nostris temporibus, ut notum est, STRAUSSIUS, quae ante eum jam saepius mota erant, dubia iteravit, multique, qui caeteroquin minime ab ejus partibus stare censendi sunt, magis minusve ei assenserunt; quocirca non supervacaneum certe mihi visum est, pro tenuibus, quibus valeo, viribus, denuo de hac quaestione agere, ut *primum* pugnae speciem, quae in his narrationibus animadvertitur, exponam; *deinde* de varia ratione, qua interpretes de hac pugna senserint, videam; *denique* has narrationes optime inter se convenire probem.

I. Inter se discrepant, quae de JESU in vitam reditu nobis tradunt IV Evangelistae, quae discrepantia ita exponi potest:

1. Quod ad mulieres, quae sepulcrum adierunt, attinet, *Matth.* MARIAM *Magd.* et MARIAM JACOBI matrem, *Marc.* MARIAM *Magd.*, MARIAM JACOBI matrem et SALOMEN, *Luc.* MARIAM *Magd.*, MARIAM JACOBI matrem et

JOHANNAM cum aliis mulieribus, *Joh.* tandem unam MARIAM *Magd.* hoc iter suscepisse tradit.

2. Quod ad illarum consilium attinet, *Matth.* profectas eas esse tradit, ut sepulcrum inspicerent, *Marc.* ut corpus JESU unguerent, quibus *Luc.*, aromata eas secum portasse, addit.

3. Quod ad tempus, quo viam ingressae sunt, *Matth.* quum illucesceret primus septimanae dies, *Marc.* λίαν πρωΐ, orto sole, *Luc.* ὄρθρου βαθέος, primo diliculo, *Joh.* primo mane, σκοτίας ἔτι οὔσης, quum nondum luceret.

4. *Matth.* Angelum, cum terra movebatur, descendisse, saxumque devolvisse tradit, quibus visis aufugisse milites. *Marc.* in itinere mulieres proponit sollicitas de saxo devolvendo, advenientes saxumque devolutum videntes sepulcrum eas intrasse scribit; *Luc.* mulieres, postquam saxum devolutum viderant, intrasse, et corpus JESU non invenisse; *Joh.* MARIAM *Magd.*, quum saxum devolutum vidisset, ad PETRUM et JOHANNEM rediisse narrat.

5. *Matth.* unius Angeli, in saxo sedentis, mulieres alloquentis, mentionem facit; *Marc.* unius juvenis, in sepulcro ad dextram sedentis; *Luc.* duorum, qui ibidem iis adstiterunt, virorum; *Joh.* tandem duorum Angelorum MARIAE *M.* apparentium, ibidem sedentium, at tum demum, quum denuo ad sepulcrum redierat.

6. *Matth.* mulieres describit, metu et gaudio redeuntes, ut cum discipulis haec communicent; *Marc.* eas praeter modum metuisse, neque ullum verbum emisisse; *Luc.* verborum JESU de ejus in vitam reditu eas me-

minisse, discipulisque eas audita narrasse monet. De *Joh.* vid. n. 4.

7. *Luc.* mulieribus, quae cum Angelo locutae erant, fidem non habuisse discipulos tradit, sepulcrum tamen adiisse PETRUM, mirantem rediisse; *Joh.* nonnullis de MARIA *Magd.*, quae Angelos nondum viderat, narratis, PETRUM et JOHANNEM itidem sepulcrum adiisse, hunc sibi de JESU in vitam reditu persuasisse, utrumque dein rediisse scribit.

8. *Joh.* denique MARIAM *M.* cum Angelis loquentem inducit, postquam PETRUM et JOHANNEM adierat, et hi sepulcrum visitaverant, quocirca bis hoc iter fecisse videtur MARIA; *Luc.* contra hoc cum Angelis colloquium obtinuisse refert, antequam viam iniit PETRUS, quum et *Matth.* et *Marc.* alterius hujus MARIAE *Magd.* itineris nullam mentionem faciant (1).

II. Multi fuerunt, in comparandis inter se et in concordiam redigendis his narrationibus, antiqui aevi interpretes, ut ad adversariorum objectiones responderent, qui, propter pugnae illam speciem, iis prorsus fidem denegandam esse censerent. Qua in re, etsi egregia multa dixerunt, perverse tamen nonnulla interpretati sunt, *omnia* in concordiam redigere studentes. Fuerunt nempe, qui recte monuisse sibi viderentur, duas fuisse MARIAS, e vico *Magdala*, quarum alteram MATTHAEUS, MARCUS alteram commemoraret; plus semel sepulcrum adiisse sanctas feminas e. g. statuit HIERONYMUS; ordinem re-

(1) Alia ratione STRAUSSIUS, *Leb. Jesu*, II, s. 620 sqq., in primis vestigia premens auctoris *Fragmentorum Guelpherbyt.*, haec exposuit.

rum narratarum inverterunt alii, prouti e. c. AUGUSTINUS, statuens, Angelos mulieribus JESU in vitam reditum annuntiasse, postquam PETRUS et JOHANNES sepulcrum inspexerant; JESUM jam in vitam rediisse, quum Angelus e coelo descenderet, putavit GREGORIUS *Nyssenus* (1).

Haec inter multa, illius temporis ratione habita, bona monuerunt antiquissimi Harmonistae, inter quos recensentur TATIANUS (170) (vid. EUSEBII *H. E.* IV, 29), cujus tamen Evangelistarum harmonia minoris pretii fuisse videtur, praesertim cum in ea componenda haereticis nimis opinionibus indulserit; HIERONYMUS *Stridonensis*, qui, in Epist. CXX, quae est ad *Hedibiam*, ad quatuor respondet quaestiones de historia resurrectionis Domini, breviter neque omnes difficultates penitus auferens; AUGUSTINUS *de Consensu Evangelistarum*, Lib. III, cap. 24. Quod si supra commemoratam orationem de JESU in vitam reditu alteram tribuamus GREGORIO *Nysseno*, hic quoque Harmonistarum (quod ad JESU in vitam reditum attinet) numero accensendus est (2).

Attamen hi caeterique omnes non satis accurate munere suo functi sunt, quum liberius hic illic res nar-

(1) Si saltem auctor hic habendus sit orationis alterius *περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν*, I. X., quae invenitur edita in ejus Opp. Paris. 1615, II, 832, de qua cf. omnino M. CRUSIUS, qui HESYCHIO *Hierosol.* eam vindicavit, in *Miscell. Groning.* IV, 1. p. 166 sqq.

(2) Cf. de hisce J. A. FABRICII *Delectus argum. et syllabus scriptt.* 1725, p. 534 sqq., qui pag. 166 EUSEBII *Caesariensis* commemorat *περὶ τῆς δοκούσης ἐν τοῖς εὐαγγελίοις περὶ τῆς ἀναστάσεως διαφωνίας* scriptum, scholio quodam laudatum, de quo videatur M. CRUSIUS in *Misc. Gron.* IV, 1, p. 159 sq.

ratas exponerent. Quocirca multa sibi relicta invenit serior aetas. — Exstiterunt postea quam plurimi, qui in Evangelistarum Harmoniis de resurrectione Domini egerunt, e quorum numero laudantur MART. CHEMNITIUS, BUCERUS, CALVINUS (1), JOH. CLERICUS, quorum ultimus ad finem operis: *Harmonia Evangelica*, Canones refert XXI, quos in concinnanda Harmonia secutus est, quorum postremi argumentum huc redit: »quamvis non potuis»semus omnia loca, quae pugnare videntur, in concor»diam redigere, aut obscura perspicue interpretari, neque »posset ab alio nunc fieri, non sequeretur, veras iis »inesse repugnantias, aut vitiosam obscuritatem." Alios recenset J. F. BUDDEUS in *Isagoge Historico-Theologica*, Tom. II, p. 1461 sqq. passim. Peculiarem rationem secutus est ANDR. OSIANDER, qui fundamenti loco posuit, Evangelistas temporis accurate rationem habuisse, et, teste ipsius operis titulo, harmoniam ita contexuit, ut nullius Evangelistae verbum omitteret, nihil alienum immisceret, nullius ordinem turbaret, nihil non suo loco poneret; omnia vero literis et notis ita distingueret, ut, quid cujusque Evangelistae proprium, quid cum aliis et cum quibus commune sit, primo statim adspectu deprehendi posset. Cff. quae de eo monet BUDDEUS l. l. 1462. At ita factum est, ut res, apud singulos Evangelistas in eadem contexta oratione nobis occurrentes, distingueret, et tamquam revera diversas proponeret, utque minime inter se conferri atque

(1) Vid. Doct. D. G. ESCHER *Disq. de Calvino, Il. N. T. histor. interpr.* Tr. ad Rh. 1840, p. 30—35.

comparari possent quatuor Evangelia (1). Fuerunt quidem, qui hanc quoque rationem sequerentur, plurimi tamen eam culparunt, ita ut alii aliter Evangelistarum de JESU in vitam reditu narrationes in concordiam redigerent. Commemorari hîc meretur SCHACHTII *Harmonia hist. resurr.* J. C. *ejusque sequelarum, addita illa* IKENII *Harmoniae perpess. sanct. Serv.* J. C.; cui addantur J. MAKNIGHTI *Comm. Harmon. in* IV *Evv. ed.* A. F. RUCKERSFELDER, III, p. 510 sqq., coll. praef., et B. VAN WILLES, *Proeve eener overeenstemming der Evv.* II, p. 138 sqq.; caeterorum nomina recensere longum est, quandoquidem omnes fere, qui JESU in vitam reditum contra adversarios tuiti sunt, aut ad Evangeliorum interpretationem manum admoverunt, hoc munere functi sunt (2).

---

(1) De hac ratione acerbe loquitur LESSING, *Duplik* (l. l. V, pag. 140 sqq.), hanc Harmoniam dicens: »*eine Harmonie, wie sie nur in dem* »*Lutherthume, wie sie nur in dem falsch verstandenen Lutherthume* »*entstehen können. Diese, diese Harmonie wächserner Nasen, die einen* »*jeden Evangelisten in jeder Sylbe retten will, um aus ihnen allen ein* »*Ding zusammen zu setzen, das kein einziger Evangelist für das* »*seine erkennen würde; diese Harmonie, gegen welche allein die* »*Einwürfe meines Ungenannten gerichtet sind, die allein diese* »*Einwürfe hervorgebracht hat: wo bleibt sie? wer braucht sie?* »*wer mag sie? wenn wir die Evangelisten vor allererst als ge-* »*sunde natürliche Menschen schreiben lassen.*"

(2) Quorum catalogum dedit HASE, *Leb. Jesu*, ed. 3, § 21. *Literaturgeschichte*, et, quod ad rem nostram attinet, § 123, p. 213. Cf. NIEMEIJERI Progr. *de Evangg. — diss.* etc., Halae 1824.

Verum ab altera parte multi, revera inter se pugnare Evangelistas, in JESU resurrectione e mortuis enarranda, statuerunt. Nullam rationem habens eorum, quae antiquiori aevo contra CELSUM aliosque jam monuerant interpretes, praecedente saeculo *anonymi* dubia, contra historiam de JESU in vitam reditu mota, edidit LESSINGIUS, quorum quinque priora rem, de qua agimus, spectant. Etsi autem illi quoque multa egregia opposuerunt Viri Docti, iterum de harum narrationum fide historica detraxit STRAUSSIUS (1), dubia jure movisse statuens *Fragmentorum Guelpherbytanorum* auctorem, eaque minime Apologetas et Harmonistas refutasse. In eo quidem consentire Evangelistas concedit, quod primum discipuli e mulieribus acceperint nuntium de aperto et vacuo sepulcro; in caeteris vero a se invicem omnes discrepare, imo inter se pugnare, quod attinet ad consilium, quo sepulcrum adierint mulieres, ad harum numerum, temporisque punctum, quo iter susceperint, et ad caeteras, de quibus jam monuimus, *ἐναντιοφάνειας*. Rejicit artes Harmonistarum, verba *ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου* interpretantium: *orituro sole*, et quae sunt hujus generis plura. Porro discrimen, quod inter Evangelistas observatur, vario modo Angelorum numerum tradentes, tolli posse per Synecdochen negat, aut alio quodam modo. PETRUM bis sepulcrum adiisse monet, si a Johannea traditione separatam inspiciamus Lucanam; ex utriusque dictionis genere contra sequi ei videtur, Luc. XXIV: 12

(1) *Leb. Jesu*, II, 620 sqq.

et Joh. XX: 5—10 idem factum narrari, unde sequeretur, utriusque narrationem de mulieribus redeuntibus conjungendam atque unam eandemque esse; qua assumta sententia, plane inter se pugnare ab utroque relata, statuit. Tandem valde ei displicet modus, quo aliis mulieribus unus Angelus, aliis duo, PETRO et JOHANNI nullus, duo iterum MARIAE *Magdalenae*, postquam illi abierant, Angeli apparuerunt, quod mirabilem prodeuntium iterumque se occultantium ludum dicit (»*Welch »wunderliches Versteckspielen der Engel!*"). Ut omnes has difficultates, ortas illas ex harmoniam quaerendi studio, evitemus, quemque Evangelistam separatim interpretari nos jubet, quo fiet, ut semel, vel secundum JOHANNEM bis, sepulcrum adierint mulieres, ut unus, vel, secundum alios, duo semel iis apparuerint Angeli, ut unus vel duo discipuli sepulcrum inspexerint. Accuratius vero rem perpendenti mox ei patet, hanc interpretandi methodum aeque minus procedere, cum alterius narrationem altera excludat, neque umquam causa dari possit, qua factum sit, ut singuli Evangelistae diversam prorsus totius partem tradiderint, eumque singulae hae partes itidem pugnantia vel aperte conficta contineant. Sive igitur Evangelistarum de JESU in vitam reditu narrationes conjungas, sive separatim illas inspicias, semper, monente STRAUSSIO, eas non nisi *traditionem* quamdam (*nur traditionelle Berichte*) continere, profitendum erit (1). Atque igitur nullam fidem illis tribuendam

(1) Cf. l. l. II, 639.

esse, sequitur ex iis, quae ipse statuit de ratione, qua judicari possit de indole alicujus narrationis historica (1).

III. Qua in re inique et summa injuria egisse STRAUSSIUS censendus est. In profanis q. d. historicis dijudicandis regula illa minime valet, qua, si alter cum altero pugnet, ipsius rei veritas neganda esse censeatur; ita saltem magna historiae antiquae, recentioris, imo recentissimae pars nullam mereretur fidem, quum in minutissimis rebus inter se discrepare facti cujusdam narrationes, etiamsi ab *αὐτόπταις* referantur, unusquisque cognitum habeat. Ideo ipsa res negari non potest, sed inquirendum potius est, utrum, quae pugna animadvertitur, non nisi species pugnae rectius habeatur; aut optimo modo has narrationes conciliare oportet earum interpretem; »conciliatio quaerenda, nec facile sine bonis »libris, correctio tentanda. In quo admirandum est, »plus reverentiae tribui libris humanis, quam divinis. »Nam in illis, de antiquis loquimur, cum aliquid ejus»modi incidit, correctio aut conciliatio quaeritur, velut »*ἀναμάρτητοι* fuerint: in his occasio arripitur carpendi »aut pervertendi vel scriptores, vel doctrinam ipsam." Quod quam vere dixerit summus ERNESTIUS (2), facile unusquisque videt, qui STRAUSSII historiam sacram interpretandi methodum comparaverit cum ea, quam alii in conciliandis antiquorum historicorum, LIVII, POLYBII, aliorum operibus, secuti sunt, ratione. Recte enim

(1) Cf. l. l. I, 117.

(2) *Instit. Interp. N. T.* P. I, S. I, C. I, § 21.

hi statuisse censendi sunt, scriptores, qui vera tradere et voluerint et potuerint, nonnumquam in diversas partes abire potuisse (1), ubi res traderent, quae non indivulso nexu conjunctae fuerint cum facto, in quo rei cardo versaretur; hoc enim obtinere potest, salva earum fide historica (2). At vero alii sunt, qui semper et ubivis dubitent, pugnam animadvertere sibi videantur, eamque tolli posse non facile sibi persuadeant (3), quibus STRAUSSIUM annumerare licet. Videamus autem, quonam jure statuerit, Evangelistarum de re nostra narrationibus fidem esse denegandam.

Num igitur alter, Angelum apparuisse, affirmat, alter negat? Dicitne alter, plures sepulcrum adiisse mulieres, alter contra confirmat, *non nisi unam* iter instituisse mulierem? Num Angelum loquentem inducit alter Evangelista ea ratione, ut, quae apud alterum dixisse fertur, cum prioris narratione pugnent? Nonne, quod ex nonnul-

---

(1) Cff., quae de his monet S. F. N. MORUS, in *Acroas. super Hermen. N. T.* ab EICHSTÄDTIO editis II, p. 28 sq.

(2) Conferri hîc merentur, quae monuerunt Ven. P. VAN DER WILLIGEN, *over de schijnstrijdigheden* etc. in Opp. Soc. *Haganae* 1826, p. 39 sq. THOLUCK, *Glaubw. der Ev. Gesch.* s. 444—463, praesertim s. 457 sqq. § 3.

(3) Acute de hisce THOLUCK, l. l. s. 460 dixit: »*welchen, wo* »*sie auch hinsehen, die Zweifel wie* mouches volantes *vor den* »*Augen fliegen, und denen sich daher auch insbesondere beim* »*Lesen der heiligen Geschichte stets die Skrupel über jene Diffe-* »*renzen zwischen das Auge und das Glaubensobject drängen und* »*den Glauben hindern.*"

lorum Evangelistarum narratione sponte patet, in vitam rediisse JESUM, idem caetorum narrationum argumentum dicendum est? Quod ad summam rei attinet, consentiunt. Apparuerunt Angeli, at de numero non constat: abierunt mulieres, at de numero non conveniunt: JESUM in vitam rediisse tradiderunt Angeli, at in eorum verbis discrepantia cernitur. Haec omnia in concordiam redigi non possint, at quis ad ipsius rei ἀξιοπίστιαν stabiliendam illud postulet? Ita autem narrationes, quarum argumentum exposuimus, inter se comparabimus, ut alteram alterâ suppleri et illustrari ostendamus, quae vero minus recte a nonnullis hac in re dicta sunt, simul referemus.

Contraria narrare MARCUM et LUCAM de tempore, quo unguenta emerint mulieres, jam monuit *Anonymus*, cujus fragmenta edidit LESSINGIUS. Silentio autem hoc dubium praetermittendum esse censemus, quippe quod cum re nostra nullo modo conjunctum sit. Constat aromatibus munitas mulieres sepulcrum adiisse. Quaeritur autem, quaenam illae fuerint, ad quam quaestionem respondendum est, MARIAM *Magdalenam* cum MARIA matre JACOBI et JOSIS iter instituisse (Matth.), quibus cum a MARCO SALOME, a LUCA JOHANNA addatur, nulla justa causa dari potest, ob quam has cum illis profectas esse negemus. MATTHAEUS et LUCAS quidem SALOMEN aeque minus commemorant, ac MARCUS et MATTHAEUS JOHANNAE mentionem injiciunt. Verum quam multa tacet alter, quae alter tradit Evangelista, quaeque illum scivisse negare vix licet, quocirca, si *e silentio* argumentum sumere vellemus contra alicujus rei fidem historicam,

multa ex Evangeliis, multa ex omnis aevi historicorum scriptis essent eruenda. Valet hoc in primis de JOHANNE, qui, etsi unam MARIAM *Magdalenam* commemorat (XX: 1), ideo minime a caeteris discrepare censendus est, sed ita ab iis suppleri, ut, quae brevius tradit de una muliere, ex priorum Evangelistarum narrationibus illustrentur. Favent nobis, ut supra (1) monuimus, ipsius MARIAE verba apud JOHANNEM: καὶ οὐκ οἴδαμεν κτλ., quibus ipsa tacite, plures adfuisse simul mulieres, significare videtur. Aut fortasse nonnulli existiment, JOHANNEM caeterarum mulierum necessario mentionem injicere *debuisse*, quod tamen semper probatu difficile, saepiusque, si concedatur, periculi plenum est. Unusquisque enim scriptor liber sit necesse est in delectu rerum enarrandarum, praesertim si non antea diserte affirmaverit, *omnia* se esse narraturum. Quocirca nullo jure statuit STRAUSSIUS, argumentum *e silentio* nonnumquam peti posse contra narrationis alicujus fidem historicam (2).

Abierunt hae mulieres, quas nonnullas alias comitatas esse dicit LUCAS, matutino tempore, quum sol jam ortus

(1) Pag. 45.

(2) L. l. I. 113. *Es fragt sich, wiefern zu den Wiedersprüchen der Berichte auch das zu zählen ist, wenn der eine von etwas schweigt, was der andere meldet? An sich und ohne Weiteres gilt ein solches* argumentum ex silentio *gewiss nicht; wohl aber dann, wenn sich beweisen lässt, dass der andre Referent, wenn er von der Sache gewusst, sie hätte berühren und wenn sie vorgefallen, von ihr wissen müssen.* Egregie haec refutantur iis, quae monuit Ven. v. D. WILLIGEN, l. l. p. 207 sqq.

esset, neque tamen ita lucceret, ut diurnum hoc iter dici possit. Tempus illud significamus, quo tenebras fugat Aurora, de quo JOHANNES quidem, *σκοτίας ἔτι οὔσης*, LUCAS, *ὄρθρου βαθέος*, MATTHAEUS, *τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων*, MARCUS vero, *λίαν πρωΐ — ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου*, optime dicere potuit, quum matutini temporis notio, monente FRITZSCHIO, sit, quam vocant, *relativa*. Accuratius omnino in tempore definiendo convenissent Evangelistae, si alter quae scripsisset, cum altero communicasset; considerantes vero, eos, postquam magnum praeterierat temporis spatium, haec scripto mandasse, miramur sane, in minutissima re eos ita convenire, miramur item, plures interpretes de pugna adeo conquestos esse.

Aliam rationem secuti sunt nonnulli (1), ut Evangelistarum de numero feminarum et tempore, quo abierint, in concordiam redigerent narrationes, statuentes, per varias vias, vario tempore, ex urbe prodiisse mulieres, et deinde convenisse prope sepulcrum. Ipsa tamen res et ratio contrarium docere videntur. Quid? quod minime iis favent Evangelistarum narrationes, qui mulieres in via inter se sermones conseruisse tradunt, eodem consilio ductas, ut corpus JESU aromatibus, quae secum portabant, ungerent. Plura quidem hisce objecit *Anonymus*, a LESSINGIO editus, cui et ipse adstipulatus est (2); verum MARCUS totidem verbis hujus consilii mentionem

(1) E. g. PAULUS, *Exeg. Handb.* III, s. 824.

(2) Cf. ejus *Duplik.*

facit, *ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν* (XVI: 1), et LUCAS idem spectavit, verbis usus *φέρουσαι ἃ ἡτοίμασαν ἀρώματα* (XXIV: 1); quaeque porro ab adversariis de hisce monita sunt, nostras de JESU in vitam reditu narrationes minime spectant (1). Cum igitur idem sibi proposuissent mulieres, una ex urbe exierunt (2), verum propius accedentes, magnae molis saxi memores factae sunt, quod ad sepulcrum Domini advolutum esse sciverunt (Marc.), quocirca sollicitae quaesiverunt: *τίς ἀποκυλίσει*

---

(1) Omnes fere, qui *Fragmentorum Guelpherbyt.* auctorem refutandum sibi sumserunt, varia fortuna usi, de hac repugnantia egerunt, ratione in primis habita eorum, quae antea monuerunt Matth. XXVII: 57—61, Marc. XV: 42—47, Luc. XXIII: 50—56, Joh. XIX: 38—42. Missa haec fecit STRAUSSIUS, ubi de JESU in vitam reditu agit, neque nostrum est, de hac repugnantia agere.

(2) Ubi in concordiam redigere nostras narrationes conatur K. H. SACK, *Christliche Apologetik*, s. 126 sq. MARIAM *Magdalenam* solam, omnium primum sepulcrum adiisse statuit, quod tamen Synopticorum narrationes minime suadere videntur. Quae monet SACK, s. 128, nota: »*Mir scheint indess das Allein- und frühere Hingehen der* »*Maria durch Johannes mehr bestätigt, als das Zusammensein* »*durch die andern Evangelisten auch nur bestimmt gesagt*," pugnare mihi videntur cum proxime antecedentibus ejusdem verbis: »*οὐκ οἴδαμεν. Wenn diess auch nicht zu übersetzen wäre, ich* »*weiss nicht, oder zu lesen οἴδα μεν: so deutete es höchstens auf* »*ein anfängliches Zusammensein der Maria mit den Frauen, wel-* »*che sie aber sogleich verliess, um Petrus und Johannes zu benach-* »*richtigen.*" Concedit igitur aliquatenus, initio MARIAM cum caeteris profectam esse, quod si verum est, minime sola ex urbe, antequam caeterae sepulcrum adierant, exiit.

ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου; Nemo fortasse aderat, qui opem iis ferret, imo frustra carissimi defuncti corpus ultima vice honore afficere conaturae fuissent! At, quid vident? Eccel saxum devolutum aditum omnibus concedit, neque impedit, quominus intrent, quibus visis eas vehementer laetari simulque obstupescere, quis miretur? Quid de hisce cogitandum sit nesciunt, at alia ratione aliae. Etenim diversa jam narrare Evangelistas sponte patet, praesertim a Synopticis recedere JOHANNEM, cujus narratio egregie supplet et illustrat ea, quae caeteri tradunt. Namque, saxo devoluto viso, ut narrat JOHANNES (XX: 1, καὶ βλέπει τὸν λίθον ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου· τρέχει οὖν κτλ.), ad urbem rediit MARIA *Magdalena*, ut PETRUM et JOHANNEM adiret, quibus ea, quae suspicata erat, his verbis annunciat: »ἦραν τὸν Κύριον ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν." His auditis, uterque ἐξῆλθεν — καὶ ἤρχοντο εἰς τὸ μνημεῖον. At magna voce multi clamare, me Synopticis vim inferre, mihi videntur, quum aperte MATTHAEUS, MARCUS et LUCAS docere videantur, cum Angelis locutam esse MARIAM, antequam ad urbem redierit; quid? quod MATTHAEUS etiam Dominum ei apparuisse tradit! Acerbe hanc Evangelistas in concordiam redigendi rationem carpit LESSINGIUS (1),

(1) *Duplik:* »*Mein Johannes lässt die Magdalena ganz allein zum* »*Grabe gehen, und weiss von keinen Begleiterinnen, die sie so über-* »*eilt, auf den ersten Anblick des eröffneten Grabes, verlassen* »*hätte. — Bey dem Johannes ist sie weder so unhöfflich, noch so*

novamque sic oriri pugnam LUCAM inter et JOHANNEM, statuit STRAUSSIUS (1). Monet hic, PETRUM sepulcrum adiisse, postquam in urbem rediissent mulieres (Luc.), MARIAM *Magd.* vero antea jam cum PETRO convenisse, ita ut cum illo JOHANNES, prouti in Evangelio ipse narrat, statim sepulcrum visitaverit, atque igitur bis hoc iter fecisse PETRUM; sed quia verbotenus fere conveniunt ea, quae LUCAS et JOHANNES de PETRO referunt, haec conjungenda censet, quo fit, ut MARIAM separatim a caeteris mulieribus, aut antequam illae rediissent, reducem factam esse, nequaquam statuere possis.

Quod ad LESSINGII objectionem attinet, cum JOHANNIS verbis nostra interpretatio minime pugnat; etenim, prouti modo vidimus, ipse dicit: *βλέπει — τρέχει οὖν*. Utrum vero recte an male egerit MARIA *Magdalena*, quod non accurate sepulcrum inspexerit, caeterasque mulieres non comitata sit, minime quaerendum esse censemus, quum potius, quid factum sit, quam rectene factum sit, quaeri debeat; neque mirum videri potest, feminam, in rebus dubiis et gravibus,

» *unbesonnen. — Ihr Betragen ist immer gleich unbegreiflich: in-*
» *dem schwerlich ein Weib aus Furcht wegläuft, wo sie sieht, dass*
» *mehrere ihres Geschlechts stehen bleiben; oder auch mehr Weiber*
» *schwerlich stehen bleiben, wo sie sehen, dass Eine aus Furcht*
» *davon läuft. Aber es ist ja so sichtbar, warum Maria Magda-*
» *lena eine so lächerlich furchtsame Rolle spielen muss, — und*
» *du wirst darüber — arme Magdalene? — die Harlequinin der*
» *Harmonie.*"

(1) L. l. II, 625 sq.

auxilium potius exspectasse a viris amicis placidisque, quam a mulierculis timentibus et pavidis (1). Eorum, quae monuit STRAUSSIUS, mox rationem habebimus, jam vero videamus de illis mulieribus, quae accuratius sepulcrum inspicere ausae sunt. Saxum a sepulcro devolutum invenerunt, referente LUCA, *καὶ εἰσελθοῦσαι οὐχ εὗρον τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ*. Prioris causam MATTHAEUS tradit, alterius vero, quod corpus non invenerunt mulieres, Angelus. Priusquam ad sepulcrum venerant, Angelus e coelo descendens, cum terrae motu, saxum removerat; milites autem, quos, ut sepulcrum custodirent, a PILATO petierant senatores Judaeorum, metuentes fugerant, quibus mulieres in itinere occurrisse non videntur. Timentes illae introeunt, quas, cum frustra corpus JESU quaererent, Angeli alloquuntur, qui JESUM in vitam rediisse dicunt, prouti Ipse praedixerat, monentque, ut cum discipulis haec communicent. In hisce discrimen observatur inter Evangelistas. Quem MATTHAEUS dicit *ἄγγελον*, MARCUS dicit *νεανίσκον*; quos JOHANNES vocat *ἀγγέλους*, LUCAS vocat *ἄνδρας*; qua in discrepantia nonnulli argumentum quaesierunt, ut *homines* loquentes hìc induci statuerent. Prouti vero alter alterum illustrat Evangelista, ita quoque *νεανίσκον* et *ἄνδρας* pro Angelis haberi posse statuimus, in pri-

(1) PAULUS, in *Exeg. Handb.*, totam MARIAE *Magd.* agendi rationem ex pristina ejus animi conditione, morbo affecti, repetit: »*wie »es*," inquit, »*mit ihrem sonstigen nervenkranken, leicht erregbaren »Zustand, übereinkommt*, l. l. p. 825.

mis cum, humanâ formâ indutâ, pulcerrimam certe assumserint, quae virorum juvenili aetati propria est. In ipsius MARCI vel LUCAE verbis nihil porro inest, cui haec interpretatio repugnet, imo qui s. 4, *ἀνδρας* commemorat, idem ille LUCAS s. 23, *ὀπτασίαν ἀγγέλων* habuisse mulieres monet, CLEOPAE verba referens, atque ita antecedentia illustrans (1). Praeterea de numero differunt horum nuntiorum, quorum *unum* commemorant MATTHAEUS et MARCUS, *duos* LUCAS et JOHANNES, quod discrimen quam plurimi pugnam dicunt, sine dubio statuentes, MATTHAEUM et MARCUM plures commemorare *debuisse*, si uno plures adfuissent. Sed quae MATTHAEUS narrat, minime ea excludunt, quae LUCAS habet. Causam quidem quaerere licet, ob quam unius tantum Angeli mentionem injiciant MATTHAEUS et MARCUS, quam alii in eo invenerunt, quod loquentis verbaque facientis Angeli unice rationem habeant, alii, quod introeuntes unum ad dextram, exeuntes e sepulcro ad sinistram unum viderint. Seu alterum in sepulcro, extra sepulcrum alterum sedisse, quem intrantes aut extrinsecus adstantes mulieres solum viderint, statuerunt alii. Deinceps igitur, quem solum vidissent, illum tantum commemoraverint mulieres. Prius nobis magis placet, quum duos certe adfuisse Angelos verosimile sit. Monuit jam ORIGENES non eorundem Angelorum mentionem hìc fieri; LUCAM vero errasse statuit MICHAËLIS; quum

(1) Cf. omnino Disp. Cl. J. HERINGAE, EL. F., *over de Engelen*, 1811, a Soc. *Hagana* praemio ornata, p. 175—181.

LÜCKIUS solvi posse hanc repugnantiam negat; sed adversariis numquam satisfacere poterimus, qui, propter numeri differentiam, totam rem negant, et nescire videntur, Evangelistas veri studiosos, nisi Angeli adfuerint, nequaquam de eorum numero inter se discrepare potuisse. Tandem etiam Angelorum verba ad literam non conveniunt, quod vero ad summam rei attinet eodem redeunt, neque mirum est, mulieres, quae jam tremore afficiebantur, deinceps *singulorum* verborum non meminisse, ubi cum aliis communicarent, quae ex Angelis audiverant. Denique Angelos *in sepulcro* adstantes proponit LUCAS; *in saxo* consederat ille, quem loquentem MATTHAEUS inducit, at vero sepulcrum eum introiisse, innuere videntur ipsius verba ad mulieres: δεῦτε, ἴδετε τὸν τόπον, κτλ.; quod apud MARCUM καθήμενος dicitur, nullam movet difficultatem. Atque ita anxie inquisivimus in ea, quae de Angelis nobiscum communicant Evangelistae, de quibus loquentem audire mallemus LESSINGIUM (1),

(1) *Duplik: Was? es wäre den Evangelisten nicht anständiger, wenn ich sagte: kalte Widerspruchklauber! seht ihr denn nicht, dass die Evangelisten die Engel nicht zählen? Das ganze Grab, die ganze weite Gegend um das Grab wimmelte unsichtbar von Engeln. Da waren nicht nur zwei Engel, (gleich als ein Paar Grenadier, die vor der Behausung des abmarschirten Generals zurückgelassen werden, bis sein ganzes Gepäcke abgeführet worden;) da waren deren Millionen. Es erschien nicht immer der eine und derselbe; nicht immer die nehmlichen zwey. Bald erschien der, bald jener; bald an dieser Stelle, bald an einer andere; bald allein, bald in Gesellschaft; bald sagten sie das, bald jenes.*

quam ejus *Anonymum*, vel STRAUSSIUM, studiose repugnantiam exponentes. Quod autem attinet ad mulieres, Angeli verbis auditis, ad urbem redeunt *μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς μεγάλης*, uti MATTHAEUS tradit; quodque MARCUS ita exprimit: *εἶχε δὲ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις*, qui metus tremorque effecerunt, ut inter se nullum verbum emitterent, *ἐφοβοῦντο γάρ*; earum gaudium praesertim ex eo repetendum est, quod, quae ex Angelis audiverant, ab ipso JESU praedicta esse jam meminissent, nam referente LUCA *ἐμνήσθησαν τῶν ῥημάτων αὐτοῦ* (Luc. XXIV: 6—8).

Pervenerat interea MARIA *Magdalena* ad PETRUM et JOHANNEM, postquam nihil aliud, nisi saxum devolutum, viderat. Negandum enim esse putamus, quod e. c. statuit J. C. VELTHUSEN (1), eam vidisse Angelum, cujus verbis auditis, minime dicere potuisset: *ἦραν τὸν Κύριον*. Quid? quod, hac assumta sententia, si MATTHAEI verba ad literam accipere vellemus, cum HIERONYMO (2) statuendum esset, eam Dominum vidisse, antequam PETRUM et JOHANNEM adiret, quod nequaquam cum iis congruit, quae tradit JOHANNES. Hic, ut ipse narrat, cum PETRO sepulcrum adit, uterque inspicit, lintea sepulcralia videt, quibus factum est, ut revera in vitam rediisse

---

(1) *Historia Resurr. Christi ex diversis commentariis probabiliter contexta et insertis subinde animadversionibus illustrata atque confirmata*, 1780, repetita in *Comm. Theoll.* quas cum KUINOELIO et RUPERTIO edidit, Vol. IV, p. 110 sqq.

(2) *Epist. ad* HEDIBIAM.

JESUM crederet JOHANNES, et una cum PETRO Hierosolyma rediret. Eadem fere LUCAS tradit, at plura conjungit, quae separatim spectanda esse nos docet narratio Johannea. Redierunt enim, quae sepulcrum adierant, mulieres, Luc. XXIV: 9, quaeque viderant, cum Apostolis caeterisque discipulis communicarunt; varia autem quum vidissent, diversa quoque narrarunt; universe autem fidem iis denegarunt discipuli. His jam addit LUCAS s. 12: *ὁ δε Πέτρος ἀναστὰς ἔδραμεν ἐπὶ τὸ μνημεῖον*, qui locus a JOHANNE, qui *αὐτόπτης* ipse interfuit, egregie illustratur. Etenim patet, Luc. XXIV: 12 minime indivulso nexu cum tribus antecedentibus sectionibus cohaerere, neque ex iis pendere, sed, additamenti loco, LUCAM PETRI ad sepulcrum itineris mentionem fecisse. Sic PETRUS *θαυμάζων τὸ γεγονὸς* idem est, qui, prouti ex disjunctis apud JOHANNEM tuto efficimus, nondum *ἐπίστευσεν* (Luc. XXIV: 12. Joh. XX: 8. coll. 10). Quaerentibus num Angelos viderint PETRUS et JOHANNES, utrum mulieribus, Hierosolyma redeuntibus, obvii facti sint (1), quare jam Angeli coram discipulis non prodierint, mox iterum MARIAE apparuerint, Evangelistae non respondent, neque ad eos attendere nostrum est, etsi ejusmodi multas moveri posse diffi-

---

(1) SACK, l. l. s. 128, statuit, mulieres tum demum ad sepulcrum pervenisse, quum altera vice ex urbe rediisset MARIA, quod cum supra laudata ejus sententia recte quidem convenit, at minus bene ex LUCAE JOHANNISque narratione efficitur, ut sponte unicuique patet.

cultates jactant adversarii. Quum enim in concordiam unice redigamus narrationes, quas scripto mandarunt Evangelistae, eorum minime rationem habemus, quae dein addunt alii, ut novas inde repugnantias eliciant.

Objiciant nonnulli, MATTHAEUM et MARCUM nullam mentionem fecisse MARIAE *Magdalenae*, ad urbem redeuntis, contra diserte eos tradidisse, de JESU e sepulcro redivivo cum ea quoque locutos esse Angelos; imo MARIAE apparuisse ipsum Dominum, antequam PETRUM et JOHANNEM adierat, docere videtur Matth. XXVIII: 9. Facile autem fieri potuit, ut, quas primum una ex urbe exiisse tradiderint, dein una sepulcrum introiisse et cum JESU locutas fuisse narraverint, etsi interea retrogressa MARIA *Magdalena* separatim coelestes viderit nuntios. Quod videmus ex Johannea narratione; atque hinc factum est, ut sola viderit JESUM e mortuis resuscitatum, quod et MATTHAEUS tradit, licet hic plurali numero usus, brevius res narrando, plura conjunxerit, quae separatim spectanda esse caeterorum docet collatio.

Quae igitur singuli Evangelistae memoriae tradiderunt, etsi hic illic non prorsus conveniunt, egregie tamen in concordiam *et* redigi posse putamus, *et* componere conati sumus; quod, licet omnibus non satisfaciat, aut ab aliis fortasse melius factum sit, in eo tamen non prorsus repudiandum esse optamus, quod, quem singuli secuti sunt ordinem Evangelistae, conservavimus, neque quae ipsi praeterierunt, in harmoniam nostram inferre studuimus. Quod quo magis pateat, brevem sub-

jicere liceat harum *narrationum*, in concordiam redactarum, *conspectum*.

MATTHAEUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOHANNES.
XXVIII: 1.	XVI: 1—3.	XXIV: 1.	XX: 1.
MARIA *Magd.* et MARIA JAC. m. sepulcrum adeunt.	MARIA *Magd.*, MARIA JAC. m. et SALOME de saxo devolvendo sollicitae sepulcrum adeunt.	MARIA *Magd.*, JOHANNA et MARIA JAC. m. sepulcrum adeunt.	MARIA *Magd.* sepulcrum adit.
	4.	2.	
	Saxum devolutum vident.	Saxum devolutum vident.	
2—4.			
Angelus saxum devolverat, fugaveratque milites.			
			2.
			Redit MARIA *M.* ad PETRUM et JOHANNEM.
		3.	
		Mulieres introeuntes cadaver non inveniunt.	
5—7.	5—7.	4—7.	
JESUM in vitam rediisse ex Angelo audiunt.	Juvenem sedentem vident, de JESU in vitam reditu eas certiores reddentem.	Duos conspiciunt viros, qui, JESUM in vitam rediisse, iis annunciant.	

8.	8.	8—11.	
Metuentes et gaudentes cum discipulis omnia communicare sibi proponunt.	Metu correptae ad urbem redeunt.	JESU verborum memores discipulis, fidem iis denegantibus, visa auditaque annunciant.	
		12.	3—10.
		Sepulcrum visitat PETRUS.	PETRUS et JOHANNES, ipsi ut in rem inquirant, sepulcrum adeunt.
			11—13.
			Reversa ad sepulcrum MARIA duos conspicit Angelos.

Caeterum multa, quae STRAUSSIUS movit, dubia nullum nobis afferunt incommodum, quippe orta ex perverso modo, quo totam rem proposuit, quem emendare studuimus. Dictum hoc quoque sit de WEISSII (1), has narrationes exponentis, ratione, quem critices cultro abuti non puduit, quique Evangelistas res tradidisse proponit ordine et consilio, quod saeculi XIX philosopho, quam saec. I historicis scriptoribus tribuere malumus. Quod attinet ad ea, quae de PETRI itinere STRAUSSIUM statuisse supra monuimus, satis ea refutari censemus nostrâ Evangelistas in concordiam redigendi methodo, cui

(1) *Evangelische Geschichte*, II, 344 sqq.

»*die gewöhnlichen grammatischen u. a. Kunststücke* »*der Harmonistik*" accessisse, ne dicat ille, qui, ut repugnantias inveniat, artes ipse adhibet; nec certe de nobis valet, quod, ut Harmoniam criminaretur, porro animadvertit (1): »*Um diesem unsteten Hinundher-* »*rennen der Jünger und Frauen, dem phantasma-* »*gorischen Erscheinen, Verschwinden und Wie-* »*dererscheinen der Engel, und der zwecklosen Häu-* »*fung der Erscheinungen* JESU *vor derselben Person,* »*wie sie bei dieser harmonistischen Methode heraus-* »*kommt zu entgehen,*" etc. At, ut STRAUSSIO satisfecerim, metuo, etiamsi egregie in concordiam rediguntur Evangelistarum de JESU in vitam reditu narrationes; nam, quod ipse profitetur, insunt, quae, quominus harum narrationum indolem agnoscat historicam, vehementer eum impediunt, de quibus jam videamus.

§ 2.

His narrationibus nihil inest, quod fieri non potuerit.

Statuit STRAUSSIUS (2): »*dass ein Bericht nicht* »*historisch, etwas Erzähltes nicht so geschehen sein* »*könne, wird sich vor Allem daran erkennen lassen,* »*wenn es mit den bekannten und sonst überall gel-* »*tenden Gesetzen des Geschehens unvereinbar ist. —*

(1) L. l. II, s. 623, 627.

(2) L. l. I. 116,

» *Sofern überhaupt die Einmischung von Wesen einer* » *höhern Geisterwelt in die menschliche sich theils* » *nur in unverbürgten Berichten findet, theils mit* » *richtigen Begriffen unvereinbar ist: so kann auch,* » *was von Engel- und Teufels-Erscheinungen und* » *Einwirkungen berichtet wird, unmöglich geschich-* » *tlich genommen werden.*" His armis usus narrationes de Angelis, quos mulieres conspexerint, aggressus est.

Lubenter ei concedimus, fidem iis, externa non sancitis auctoritate, esse denegandam; omnino primum inquirendum est, num ipsi narrationum auctores fide digni sint, et de vero testimonium dare voluerint et potuerint. Ubi hoc conceditur, fides habeatur iis, quae tradunt; ubi negari debet, parvi faciamus ejusmodi narrationes, illas quoque, quae de Angelophaniis verba faciunt. Jam vero sponte patet, propter ipsam Angelophaniarum injectam mentionem, minime alicui scriptori fidem esse denegandam, ubi auctoritate sancita est ejus narratio, atque prae omnibus decere germanum philosophum, a praejudicatis opinionibus liberum, in verum inquirere; historicum autem oportere, potius quid factum sit, quam quid fieri potuerit, prius quid tradant scriptores, quam quid tradere debuerint, pervestigare. Accuratae sane crisi subjiciat historiam, sed ea tantum falsa et cum veritate pugnantia habeat, quae dubia auctoritate nitantur, aut aperte a fide dignis testibus negentur. At nemini concedimus, qui ad historiam interpretandam manum admoverit, privas sibi opiniones mente concipere, quas totidem regulas historiae praescribat, ut

ita, quid factum sit, quid non, quid fieri potuerit, quid non potuerit, apud eum constet, antequam ipsam historiam indagaverit. Construit iste historiam, non vero exponit; doceat illa, non vero detorqueatur. Est omnino error, nostro aevo, philosophis studiis indulgenti, proprius, ut nimis subjectivo q. d. sensui tribuatur, cujus rei plurima exempla tum in historia, tum in critica, in primis altiore, tractanda, praesto sunt, cujus et STRAUSSIUS testis est, qui Angelophanias nullo modo historice accipi posse statuit, quandoquidem eas »cum sanae »mentis opinionibus conjungi posse" negat. »Non quasi »mentis sanae decreta," ut monuit Cl. SCHOLTEN (1), »parvi sint existimanda, sed est hoc ipsum, quod pri»mum est quaerendum, num haec, quae mentis sanae »dictata habeantur, et dici verissimo vocis sensu omni»que ex parte sana mereantur, id quod humanae intel»ligentiae imbecillitatis habita ratione, a priori jam »parum est probabile, a posteriori historiae auctoritate »est negandum." Quaerenti vero, sintne Angeli? affirmando respondendum videtur cum HASIO (2): »*Bei der* »*Unendlichkeit des Seyns ist wahrscheinlich, dass* »*es auch in ihrem ursprünglichen Seyn reicher aus*»*gestattete und durch die Gebrechen des Körpers* »*minder gebundne Wesen giebt als der Mensch*" et

(1) Oratio *de vitando in* J. C. *historia interpretanda Docetismo*, p. 34 (4).

(2) *Evang. Dogmatik*, ed. 2, 239.

cum SCHLEIERMACHERO (1), quod de Angelis doctrina »*auf der einen Seite weder etwas unmögliches in »sich schliesst, noch mit der Grundlage alles Gott-»gläubigen Bewusstseyns im Widerspruch steht.*" Docent sacri Scriptores, eos Dei ministros nonnumquam hominibus videndos se praebuisse; quod facile damus, quum recte monet HASIUS: »*Die Philosophie hat keine »bestimmten Gründe ihren Einfluss auf die Men-»schenwelt für unmöglich zu erklären, soweit da-»durch weder die Göttliche Vorsehung beschränkt, »noch die menschliche Freiheit aufgehoben wird,*" neque ex eo, quod non amplius cum hominibus versari Angelos videmus, concludere licet, numquam eos cum hominibus versatos esse. Quocirca duo sunt, quae male statuit STRAUSSIUS: *primum*, Angelophanias minime cum sanae mentis opinionibus convenire, qua in re Logicam minime sibi faventem habet; *alterum*, ideo nulla fide narrationes dignas esse, quae Angelos cum hominibus versatos esse tradunt; etenim quod nondum probavit, simul criterium ei est indolis non historicae alicujus narrationis, atque *a priori* de re in facto posita judicium ferre ausus est.

Quod si STRAUSSIO jam concedamus, quaerimus, quid tandem de narrationum nostrarum argumento sit cogitandum. De Angelis loquuntur; at non sint Angeli, aut certe conspiciendos se non praebuerint; quocirca de hominibus cogitandum est, sive JESU amicis, sive ini-

(1) *Christl. Glaube* § 42.

micis. Inimici certe non fuerunt, et, si de amicis cogitamus, quidni de Essenis? STRAUSSIUM (1) audias, de hac interpretatione monentem: »*und was dergleichen aus* »*der Mode gekommene Vermuthungen eines* BAHRDT-»*isch-*VENTURINI-*schen Pragmatismus mehr sind!*" Ita in mediis Naturalistarum interpretationibus versaris, ut adeo de fulmine alium, aut de terrae motu, de linteis et fasciis sepulcralibus alium loquentem audias (2), quod autem interpretandi genus acerbe carpit ipse STRAUSSIUS. Ille igitur, qui LUCAE narrationi fidem fere denegat, quod Angeli mentionem faciat, eatenus recte Angelorum munus interpretatus est, quatenus scripsit: »*die* »*Engel gehörten zur Verherrlichung der grossen* »*Scene, als himmlische Dienerschaft, welche dem* »*Messias die Thür aufzuthun hatte, durch welche* »*er ausgehen wollte; als Ehrenwache an der Stelle,* »*welche der Getödtete so eben lebendig verlassen hatte;*" minus recte autem quaerenti: »*gibt es einen solchen* »*Prunk in dem wirklichen Haushalte Gottes, oder* »*nur in der kindlichen Vorstellung, welche sich die* »*Vorzeit von demselben machte,*" negando ad priorem, affirmando ad alteram quaestionis partem respondendum esse censet.

Ut revera Angelos se conspiciendos praebuisse neget

---

(1) L. l. II, 636 sqq.

(2) Cf. Cl. HERINGA l. l. de Angelis, p. 183 sqq., ubi hujus generis interpretationes commemorat, et Angelorum hac in re munus exponit.

PAULUS (1), »*Liegt denn,*" quaerit, »*die Wohnung der Engel im Wolkenhimmel? im Zenit von Jerusalem?*" cujus dubitantis objectionis vim non perspicimus; nam si e. c. e terra prodiissent, eodem jure quaesivisset: »*Liegt denn die Wohnung der Engel in das Unterirdische? im Nadir von Jerusalem?*" Ἐξ οὐρανοῦ descendit Angelus, secundum MATTHAEUM; num inde sequitur, domicilium suum Angelos habere in loco quodam supra Hierosolyma? Jejuna sane naturalistae interpretatio!

Recte igitur concludere nobis videmur, harum narrationum fidei historicae nihil eo detrahi, quod Angelophaniam commemorent, cum revera mulieres Angelos vidisse, jure negari non possit, quidquid moneat HASIUS (2), qui sententiam, alibi (3) a se propositam his verbis: »*die Engel bei der Auferstehung scheinen der Ge-*

(1) *Exeg. Handb.* III, 855.

(2) *Leb Jesu*, ed. 3, p. 218. »*Die Engel am Grabe*, Matth. »XXVIII: 2 s. 5 s., Joh. XX: 12 s. *könnten zwar, wenn auch nicht* »*aus Naturerscheinungen oder Visionen natürlich erklärt, doch* »*nach* Marc. XVI: 5, Luc. XXIV: 4, *für Menschen gehalten werden,* »*aber die Erzählungen von ihnen sind so widersprechend, und ihr* »*Geschäft, abgesehn von der einen Darstellung des* Matthaeus [XXVIII: 2] »*und von dem Bruchstücke des* Marcus [XVI: 6 s.], *die gegenüber* »*den andern Evangelien hier nicht das Gepräge des Ursprünglicheren* »*tragen, ist so vergeblich, dass sie nach Massgabe anderer Engelerscheinungen einer frühen, sagenhaften Ausschmückung anzugehören scheinen.*" Cff. scriptores ab eo laudati, ib. p. 219 m. n.

(3) *Ev. Dogm.* p. 215.

»*schichte anzugehören*,“ mutasse videtur. Mythicam vero indolem narrationes nostrae hanc ob causam non referunt, quod, a testibus fide dignis originem eas ducere, valde probabile nobis videatur.

§ 3.

A testibus fide dignis hae narrationes originem ducunt.

Quas exposuimus narrationes, inter se convenire, nihilque cum sana ratione pugnans continere vidimus, quod, ut iis fidem habeamus, omnino nos suadeat, si constet, Evangelistas totam rem, ne dicam excogitasse, certe non exornasse. Quominus autem omnia, quae de JESU in vitam reditu hucusque eos narrare audivimus, statuamus, mente eos excogitasse, prohibet ipsarum narrationum discrepantia. Etenim, qui accurate eas comparat, statim videt, ita diversa tradere non potuisse quatuor fraudatores, qui haec fingendi causa secum invicem antea convenissent. Quis hodie hoc statuerit? At exornarunt fortasse vel de industria, aut sine doli studio, quaecunque vel viderunt vel ex aliis acceperunt? Neque hoc verosimile est, nam simplicem indolem referentes, quî tandem exornare potuissent narrationes, quibus nihil inest, quod ornatum redoleat. Fuerit Angelophania, quam addiderint; at vero, cur Angeli non populo aut Synedrio, ut ab aliquo animadversum me videre memini, sed mulieribus tantum annunciant, Dominum in vitam rediisse? Simplices mulieres, nec praeter eas ullum

alium, ne amicos quidem defuncti, adeunt Angeli. Quasnam vero testes adducunt Evangelistae? Tres quatuorve mulieres, quibus ignotae fortasse interfuerunt aliae. Quam stulte etiam rem proponunt, nullo teste factam, neque ulla applaudente *αὐτόπτων* corona. »Quod »vero Evangelistae" (verbis utor WERENFELSII (1)) »non »*plures* nobis producunt *resurrectionis* JESU *testes*, »in hoc agnoscere debemus summum eorum *candorem*. »Cum enim huic facto totam religionem suam superstru»ant, cur non fingunt JESUM resurrexisse, praesentibus et »videntibus multis hominum millibus, quod de aliis mira»culis dicere non verentur? Cur non tot testes produ»cunt *resurrectionis* CHRISTI, quot *effusionis* Spiritus S. »in Apostolos, die Pentecostes? Cur ne quidem fingunt, »JESUM resurrexisse, ut ascendit, videntibus omnibus dis»cipulis? — Qui nasum habet, manifestum hic deprehendit »characterem candidissimi Historici." In hisce narrationibus nullum deprehendimus vestigium *Traditionis*, quam voce technica Germani dicunt (2). At Evangeliorum, quae antiqua ecclesia nobis tradidit, nullum, monente

(1) *Opusc. Theoll.* ed. 2, I, p. 90 sq.

(2) THEILIO, *zur Biographie Jesu*, s. 71 (14) igitur minime assentiendum est, statuenti: »Matth. XVIII: 1—10 *erscheint*, *ausser* »*einer wahrscheinlich historischen Ergänzung* (v. 1, vgl. Joh. vs. 2: »*οὐκ οἴδαμεν*) *traditionell — erweitert und unvollständig.* Luc. »XXIV: 1 ff. *ist theils traditionell — erweitert*, *theils traditi»onell — unbestimmt.* Marc. XVI: 1—8 *ist — traditionell erwei»tert. Ohne Anerkennung des Einflusses des Traditionellen auf die »Synopt. Evv. ist unmöglich die Berichte in Einklang zu bringen.*"

STRAUSSIO (1), a JESU discipulo conscriptum est. Nonne igitur nostris temporibus luculenter probatum est, quidquid adversarii opponant, discipulum, *ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς*, JOHANNEM ZEBEDAEI filium Evangelium conscripsisse? Iterum sane exstitit (2), qui ANDREAE Apostolo magnam partem vindicaret quartum Canonis Evangelium, verum sit vox clamantis in deserto. Revera ejus auctor JOHANNES est, qui in nostra praesertim re eo magis idoneus testis est habendus, quo inde ab initio accuratius rem investigare potuerit. Ille enim una cum PETRO, a MARIA *Magdalena* admonitus, et sepulcrum inspexit, et procul dubio domum reversus ex eadem caetera audivit, cum antecedentibus egregie congruentia. Cum eo, quod ad rei summam attinet, conveniunt Synoptici: mulieres scilicet iter instituisse, vacuum fuisse sepulcrum, Angelos, quos PETRUS et JOHANNES non viderunt, cum mulieribus varia locutos esse tradentes; quid? quod ex omnibus patet, JESU in vitam reditum Angelos annunciasse, prouti et ipse JOHANNES credidit. Si in MATTHAEI Evangelium oculos convertimus, hic etiam sua, quae scripto mandavit, e mulieribus acceperit necesse est. » Quae vero idem de Angelo, » lapidem e foribus sepulcri amovente" (sunt GRIESBACHII (3) verba) »et de fuga custodum refert, ex MARIA

---

(1) L. l. II, 683.

(2) Cf. E. K. J. LÜTZELBERGER, *die kirchliche Tradition üb. d. Ap. Johannes und seine Schriften in ihrer Grundlosigkeit nachgewiesen*, Lips. 1840.

(3) Vid. J. J. GRIESBACH, Progr. *de fontibus, unde Evangelistae suas de*

»audivisse non potest. Haec enim scire poterat nemo, »praeter milites ipsos et eos, qui ab his ea acceperant. »Igitur vel miles aliquis ad sacra Christiana postea per»ductus, MATTHAEO haec narravit, vel militis familiaris, »quae ex amico olim audiverat, evulgavit, vel senator »Judaeus, Christianam religionem postea amplexus, rem »patefecit."

Nihil certe impedit, quominus GRIESBACHIO demus, LUCAM ea, quae narrat, accepisse e JOHANNA, quam solus commemorat (VIII: 3, XXIV: 10), licet caetera, quae vir doct. disputat, argutius scripsisse videatur. Ipse autem LUCAS procul dubio hujus narrationis auctor est habendus, et licet non omnia narraverit, vel sic tamen, quae narravit, non Commentarium diceremus in XXIV: 22, 23, propter has sectt. unice memoriae traditum, atque originem a CLEOPA ducentem. Haec, quam SCHLEIERMACHERUS (1) proposuit, sententia arcte cohaeret cum ejus opinione de pluribus narrationum Evangelicarum auctoribus, quas in compendium redegerit LUCAS; disquisitio vero de indole Evangelii LUCAE, et de iis, quae ipse in Evangelii initio de se professus est, minime eam confirmat aut comprobat.

MARCUM e MATTHAEO et LUCA suam confecisse narrationem minime GRIESBACHIO concedendum esse putamus, hanc in primis ob causam, quod priva sibi habeat mulierum

resurrectione Domini narrationes hauserint, ed. in ejus *Opusce. Acadd.* a J. P. GABLERO, II, 247.

(1) *Ueber die Schriften des Lucas.* I, p. 296 sqq., cf. p. 250.

verba: *τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου* (XVI: 3); quae, nisi ex una e mulieribus accepisset, referre non potuisset. E quanam autem acceperit, quaerenti, respondere non possumus. E SALOME cl. PAULUS, in domo MARIAE, matris ejus, GRIESBACHIUS, haec audivisse MARCUM, statuit. At, ut recte monet FRITZSCHIUS (1), res est ejusmodi, ut, quum argumentis ad certum redigi non possit, neque hariolationibus nonnullorum neque aliorum conjecturis, nimis argute propositis, favendum sit. Certe *αὐτόπτης* narravit cum caeterorum narratione convenientia, atque ei quoque testes fuerunt mulieres eorum, quae nobis de nuntio, JESUM in vitam rediisse, tradiderunt Dei ministri. Fide eas dignas diximus, quia mortuum quaerentes, eum vivere audiverunt, neque igitur ejusmodi quid antea excogitaverunt; quia Angeli verbis auditis, continuo discipulos adierunt, adeoque postea *et* Angelorum verborum *et* factorum non facile oblitae fuerint. Earum narrationem accurate nobis tradidisse Evangelistae ideo mihi videntur, quod et res erant summae gravitatis, et vel colloquendo, vel scripto nonnulla mandando in memoriam eas revocaverint. Omni fundamento caret STRAUSSII (2) conjectura, qua statuit, Apostolos, postquam de JESU in vitam reditu, at falso, sibi persuasissent, deinceps hoc, quam optime potuerint, exornasse. » *Der Hauptzierrath*," inquit "» *welcher zu diesem*

(1) *Comment.* ad Marc. XVI: 1.

(2) L. l. II, 694 sq.

» *Behuf zu Gebote stand, waren Engel: diese muss-*
» *ten daher das Grab Jesu eröffnet, nachdem er*
» *hervorgestiegen war, an der leeren Stätte Wache*
» *gehalten, und den Weibern, welche, weil ohne*
» *Zweifel Weiber die ersten Visionen gehabt hatten,*
» *zuerst zum Grabe gehen mussten, von dem Vorge-*
» *fallenen Nachricht gegeben haben.*" — Quidni, ut cum eo facere possemus, haec omnia probavit, aut saltem probare conatus est? Frustra autem quaeres! Aut fortasse nihil MATTHAEO tribuendum esse, Mythis omnia scatere ostensum ivit? Scilicet eadem ratione, qua MEYERUS (1) Angelophaniam Mythum dixit; » *ein*
» *Cirkel im Beweise; — Mogligkeiten, die unbefugt*
» *zu Wirklichkeiten gesteigert werden. — Welche*
» *leichtfertige Verflüchtigung der Reinheit und schlich-*
» *ten Objectivität der Erzählung in die nichtigste*
» *und täuschendste Subjectivität — nicht der Sage,*
» *sondern phantastisch-pragmatischer Hypothese!*" Quod recte OSIANDERUS (2). Quid autem ita sensisse STRAUSSIUM miremur? Qui ubivis Mythos invenit, alios quoque eos excogitasse statuat necesse est. Verum quis est, quin magnam vim veritatis videat, » quae," ut CICERO ait, » contra hominum ingenia, calliditatem, soler-
» tiam, contraque fictas omnium insidias facile se per se
» ipsam defendit."

Pervenimus ad Capitis I finem, quo, expositis Evan-

(1) L. l. II, 1. 167.

(2) *Apologie des Lebens Jesu*, p. 333 sq.

gelistarum de JESU in vitam reditu narrationibus, earumque probata fide historica, ita eas dijudicavimus, ut jam apud nos constet, Evangelistas nobis tradidisse, quod aliquando vere factum est, JESU nempe in vitam reditum mulieribus annunciasse Angelos, quo magis operae pretium est, ad ipsam illam JESU resuscitationem attendere, quum multi hodieque eam aggressi sint, qui, variis argumentis usi, eam labefactarent. Hucusque Angelos audivimus et mulieres, continuo Apostolos ab omni criminatione liberos videamus, ipsumque e sepulcro redivivum conspiciendum se iis praebuisse laetemur!

CAPUT II.

ARGUMENTA PRO REI VERITATE RECENSENTUR.

JESU e mortuis in vitam reditus, ut constat, doctrinae Apostolicae fundamentum est, eumque e sepulcro redivivum pluribus conspiciendum se praebuisse omnes testantur. Attamen quum Evangelistae, quod jam vidimus, resuscitationis Domini ab Angelis mentionem factam esse tradiderint, eorum vero scripta, postquam late jam Evangelium pluribus hominum millibus annunciatum erat, in lucem edita sint, longe antea dolo fraudeque omnia ab Apostolis JESUque asseclis excogitata esse monuerunt nonnulli, qui JESUM in vitam rediisse, opinionibus mente anteceptis impediti, negarent. Alii ob eandem causam, haec non ita de industria excogitasse, at sensim et sine doli

studio finxisse Apostolos statuerunt. Utrum cum illis, an vero cum his facias, eodem res redit. Antiqua enim Ecclesia, si JESUS in sepulcro mortuus manserit, nullo jure Ejus in vitam reditum celebravit; quod cum fecerit, vel vere in vitam rediit JESUS, vel dolose egit Ecclesia. Sed non tantum ab aliis hoc audivit; ipsi redivivum oculis usurparunt multi, quoties amicis discipulisque conspiciendum se praebuit, quo fit, ut unanimis Apostolorum doctrina de JESU in vitam reditu, rebus in facto positis confirmetur et stabiliatur.

Qui igitur totam de JESU in vitam reditu historiam fraudi tribuunt, quique negant, corpore indutum humano vere Eum hominibus deinceps apparuisse, postquam e mortuis resurrexerit, errant profecto. Sententiam enim nostram allatis argumentis vindicaturi, *negamus* fraudem in auxilium vocasse JESU discipulos, utque de rei nostrae veritate constet, *provocamus* ad ipsas JESU apparationes. Ita pro re nostra pugnantes duplici argumentorum genere utimur; *negando* alterum, *ponendo* alterum procedet.

SECTIO PRIOR.

FRAUDIS SUSPICIO REMOVETUR.

Argumentum q. d. negativum.

Ad rei summam attendens, equidem non video, quo nomine ab iis, qui Mythorum numero JESU in vitam reditum annumerent, illi differant, qui fraudi Aposto-

lorum omnem tribuendam esse rem censeant. Nam, etiamsi *fraudis* vocabulo illi non utantur, fraudulentorum tamen instar hominum Apostolos narrasse statuunt tum de JESU in vitam reditu, tum de Ejus apparitionibus; cum contra eâdem, qua mortales omnes, sorte usus, mortis imperio subjectus, mortuus fuerit, atque, licet ejus diu meminerint amici, numquam tamen vivus, corpore indutus, iis apparuerit. Quo fit, ut, sive fraudi tribuas, sive fabulam, quae sensim sensimque exstiterit, dicas JESU in vitam reditum, continuo tibi obsint cum Apostolorum indoles cogitandique ratio, fraudem non admittens, tum difficultates, quae, ex ipsa fraudis natura petitae, sententiam illam ab omni parte premunt. Quod si spectes Apostolos, *a priori*, ut dicunt, minime probabile videtur, fraudatorum eos partes egisse, cum diserte: »At simplici sumus animo, »verique amantes" objicere tibi eos audias, vel etiam: »Quo modo nos, qui tristes mortuum Dominum luge»bamus, neque Ejus in vitam reditum exspectabamus, »ejusmodi quid excogitaverimus?" Ad difficultates porro, ex ipsa fraudis natura petitas, si attendas, quo tandem modo praedicare potuissent Apostoli, in vitam rediisse Eum, qui non resurrexerit, adstante Judaeorum Senatu, praesentibus custodiae militibus, contrarium fortasse testante defuncti sepulcro? At vero Judaeorum Senatûs agendi ratio, ipsa militum custodia, ipsum adeo sepulcrum vacuum, magna voce, rem *a posteriori* q. d. spectantes, vetant fraudis accusare Apostolos. Agedum, haec jam accuratius exponamus.

§ 1.

Apostolorum indoles cogitandique ratio.

Apostolorum ratione habita, de fraude cogitare, rerumque commenta admittere, nos vetat

I. *Animus eorum simplex verique amans.* Inculiores homines, inde ab initio vitae JESU publicae, illi Eum secuti sunt, et cum Eo deinceps versati, semperque loquentes et agentes describuntur ea ratione, quae cum eorum conditione prorsus conveniat. Non eo praecipue consilio, ut lucri quid inde caperent, divitias bonaque terrestria sibi acquirerent, aut exspectationibus faverent nullo fundamento nitentibus, JESUM secuti sunt, verum quia in deliciis habuerunt, cum simplici, honesto, sancto illo versari, quem Messiam exspectabat gens Israëlitica, quemque *τὸν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος* (Matth. XVI: 16.) cum PETRO lubentes agnoverunt. — Nonnumquam tamen vituperandi erant, ubi aut fide defecerant, aut non eo, quo decuit, amore Eum prosecuti erant, quod non tantum non negarunt, verum etiam palam professi sunt. Tradunt nobis Evangelistae, verba Domini eos subinde non intellexisse, neque tamen de his Eum interrogare ausos esse (Luc. IX: 45.); fide eos caruisse (Matth. XVII: 19 sq.); in periculo versantem omnes Eum deseruisse (Marc. XIV: 50.); unum e discipulorum numero Dominum prodidisse (Joh. XVIII: 5, coll. XIII: 21 sqq.); ne de PETRI improba agendi ratione dicamus, quam dein multis lacrimis luxit, quamque ipse MARCUS nobis tradit (XIV: 66 sqq.). Quibus alia addi possint, ut pateat, eos etiam

narrasse, quorum jure eos puduerit, quaeque minime in discipulorum honorem converti possint. Quod si jam tales homines exspectassent post mortem in vitam JESUM esse rediturum, tamen, cum spem fefellit eventus, ut statuunt adversarii, numquam ejusmodi quid effinxissent, quo mendaces jure habendi fuissent. Contra, si revera JESUM in vitam esse rediturum crediderint, ipse autem Dominus e mortuis non resurrexerit, equidem non video, quî fieri potuerit, ut figmentum audaces praedicaverint, neque potius illum deseruerint, qui eorum exspectationes tam misere deceperit. Prouti constat, ipsos JESU discipulos, non secus ac gentem Judaeam, terrenum Messiae exspectasse imperium, ita quoque sensim sensimque alias eos fovisse opiniones, JESU doctrina institutos, novimus; missas fecerunt exspectationes, ad quas minime JESUS se accommodavit, uti patet ex iis, quae S. Scriptores memoriae tradiderunt. Quum igitur non dissimulant, in his se errasse, quidni et in caeteris, praesertim de JESU in vitam reditu opinionibus, idem professi fuissent? Quamnam ob causam, id, quod exspectassent, decepti effinxissent? Sed quid amplius moramur? Longe aliud quid exspectarunt, quam e sepulcro *redivivum* aliquando proditurum esse JESUM: quod luculenter docent

II. *Apostolorum animi tristitia eorumque exspectationes, mortuo* JESU. Ut e mortuis JESUM resurrexisse fingerent, de Ejus in vitam reditu cogitarint necesse est. Contrarium autem, ut vidimus, exspectarunt. Mulieres sepulcrum adierunt corpus JESU unguendi causa; quod si Ejus in vitam reditum exspectassent, minime

hoc Eum honore affecissent. MARIA *Magd.* corpus defuncti frustra quaeri opinata »ἦραν τὸν Κύριον" inquit, »ἐκ τοῦ μνημείου." Ipsi discipuli, nuntio de JESU in vitam reditu audito, ἠπίστησαν; quid? quod lugentes lacrimas fudisse (Marc. XVI: 10, 11.) mulierumque verba ὡσεὶ λῆρος habuisse (Luc. XXIV: 11) dicuntur. Θαυμάζων τὸ γεγονὸς ad urbem rediit PETRUS (Luc. XXIV: 12); cum socio CLEOPAS Emmauntis vicum adiit, σκυθρωπὸς (ib. s. 17). Ipse adeo THOMAS, cui caeteri discipuli, se Dominum in vitam reversum vidisse, annunciaverant, de rei veritate nequaquam sibi persuadere potuit, nisi Ipsum oculis manibusque prehenderit. »*Als* »*der Herr den Tod erduldete, ging auch in ihnen* »*der schwache Keim des Glaubens unter, denn hatten* »*sie auch das verheissende Wort des Herrn, dass* »*er auferstehen werde, so waren sie doch noch nicht* »*aus dem Geiste wiedergeboren. — Mit dem Tode* »*des Herrn, mit seiner Bestattung ging jede Hoff-*»*nung der Erlösung unter*," ut recte KRABBIUS (1). Quod concedere STRAUSSIUS (2) mihi videtur; quae tamen addit: »*Wie sich nun, nachdem der erste Schrec-*»*ken vorüber war, der frühere Eindruck* (sc. JESUM »revera fuisse Messiam) *wieder zu regen begann: ent-*»*stand in ihnen von selbst das psychologische Be-*»*dürfniss, den Widerspruch der letzten Schicksale*

(1) O. KRABBE, *Die Lehre von der Sünde und vom Tode, in ihrer Beziehung zu einander und zu der Auferstehung Christi.* 1836, s. 282 sq.

(2) L. l. II, 690.

»*Jesu mit ihrer früheren Ansicht von ihm aufzu-*
»*lösen, in ihrem Begriff vom Messias das Merkmal*
»*des Leidens und Todes mitaufzunehmen,*" haec psychologica ratione probare non conatus est, quia probatu difficile hoc ei fuisset.

Cujus enim spem et exspectationem ita eventus fefellit, is neque in se solatium quaerit, nec invenit. Messiae summa quaeque tribuerant discipuli, at fata JESU extrema, perpessiones Ejus et mors, omnis spei fundamentum ita deleverant, ut nullo modo, nisi extrinsecus accessisset, consolationis causam invenissent. Quae cum ita sint, non intelligo, quì STRAUSSIUS statuere potuerit: JESU discipulos, postquam e V. T. locis Jes. LIII, Ps. XXII, pios doloribus affici didicissent, hoc quoque in Messiam transtulisse, quo ejus mors ipsos non offenderet. Deinde, ut STRAUSSIO visum est, JESUM morte sua potuisse *εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ* (Luc. XXIV: 26), putarunt discipuli, ita ut, licet Dominum non viderint, Eum ipsis adfuturum esse *πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος* (Matth. XXVIII: 20), crediderint. Ita S. Scripturam rite intelligentes *τὴν καρδίαν* senserunt *καιομένην* (Luc. XXIV: 32), quam a CHRISTO glorificato, *αὐτῶν τὸν νοῦν διανοιγόντι* (s. 45), illustrari putarint. Inde subjectivae q. d. visiones mulierum, objectiva quaedam apparitio, quae caeteris contigerit, explicandae esse STRAUSSIO videntur (1). — At vero hoc omnino tenendum est: minime sua sponte, verum, ipsos admonente JESU, in V.

(1) L. l. II, 691 sq.

T. effata oculos converterunt, nec, mortuo Sospitatore, talis Messias, qualem STRAUSSIUS effinxit, discipulorum tristi animo satisfecisset. Testatur historia, eorum fidem prorsus defecisse; *οὐδέπω γὰρ ἤδεισαν τὴν γραφὴν, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι* (Joh. XX: 9). Quid? quod mortuo magistro ipsi plane mortui, sepulto Domino, eorum quoque exspectationes in sepulcro sepultae vanaeque videbantur. »*Selbst waren sie mit* CHRISTO *gestorben* »*und begraben gewesen;*" uti pulcre HERDERUS (1), »*mit ihm wurden sie wiedergeboren zu einer neuen* »*lebendigen Hoffnung.*" Quod si igitur extrinsecus nihil accessisset, quod Apostolorum fidem excitaret vel confirmaret, numquam ex Ps. XVI: 10, *ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιον σου ἰδεῖν διαφθοράν*, hanc sibi fidem obtrudere potuissent, neque ex Jes. LIII: 10; *ὄψεται σπέρμα μακρόβιον κτλ.* longam vitam tribuissent ei, qui mortuus et sepultus erat atque in sepulcro manserat. Judaeorum quidem opinio erat, *ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα* (Joh. XII: 34); at contrarium ejus mors probaverat, adeo ut, si millies dixissent Apostoli, *ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως*, neque Judaeis neque sibi ipsi de JESU in vitam reditu persuasissent. Cum autem revera eos credidisse videamus, quod minime exspectabant, e mortuis in vitam rediisse JESUM, statuamus necesse est, fuisse Sospitatorem e mortuis resuscitatum, eumque effecisse, ut V. T. effatis Illum innui

(1) *Von der Auferstehung. als Glauben, Geschichte und Lehre*, IV, § 17.

suspicati sint (Act. II: 27). »Quomodo igitur suspecta »erit nobis eorum fides, qui fabulam esse putarunt, quod »audierant ex mulieribus, donec in rem praesentem sunt »adducti?" ut recte CALVINUS.

Eligat unusquisque, a pseudo-philosophis mente anteceptis opinionibus liber, e STRAUSSII rem exponentis ratione, et simplici, at psychologiae legibus satisfaciente Evangelistarum historia. Qui illi assentit, quocumque se vertat, et fraudem inveniet, et conjecturas nondum probatas. At fraudem quis admittat, qui difficultates, quae eam premunt, cognitas habet, et ad disputata attendit, quae statuere nos vetant, Apostolos *de industria*, aut sensim sensimque, at *sine doli studio*, *finxisse*, in vitam rediisse JESUM. Historia nobis testis sit, JESU discipulos de crimine facile absolutura.

§ 2.

Fraudis adhibendae difficultates.

Quominus facile rem excogitatam aliis obtruserint, si vel concesserimus, fraudatione egisse Apostolos, prohibuisset Senatus Judaeorum, difficile reddidisset militum custodia, fraudisque eos accusasset ipsum sepulcrum, corpore vacuum. Triplici igitur ratione fraudis suspicio removetur; nam Senatûs Judaeorum agendi ratio, sepulcrum custodientes milites, imo sepulcrum ipsum vacuum Apostolis ab omni parte favent.

I. *Senatus Judaeorum*, communi fere suffragio et applaudente magna hominum turba, capite damnavit Illum,

quem improbum hominem infestumque habuit populus Judaeus. Mortuo illo, ipsius asseclae facile dispergi et deleri potuissent; contra vero, si in vitam rediret ille, quem *ἐκεῖνον τὸν πλάνον* dixerant Judaeorum proceres, omnium spem animumque ne erigeret, valde metuendum erat. Quocirca quid mirum, quum JESU discipuli, in vitam Eum rediisse, annunciarent, Judaeorum Senatum continuo totam rem negare, et captivos mendaces istos abducere! Necessitas, ut ita dicam, moralis hoc facere eos cogebat. Nec quidquam facilius erat; nam mortuum in vitam rediisse, neque homines facile credunt, et difficile est probatu; at facile negari potest; subinde quoque, quod negatur, comprobari (1). Objiciat quis: qui hanc propagabant fabulam, viri erant auctoritate et potestate pollentes, quos aggredi Judaeorum Senatus non ausus est, quos facile secutus est populus, quos honorarunt Judaei; tales enim, ut monuit A. COLLINSIUS (2), saepius stultissima quaeque

(1) Conferri hîc merentur, quae ad librum H. DITTONIS Angli, *de Christ. Godsd. betoogd* etc. annotavit interpres Franco-Gallus, quaeque in versione Belgica cum praefatione P. NIEUWLANDI leguntur pag. 344 sq.: »Zeker man, genaamd EEMS, een slag van een' medicijnmeester, »was gestorven. Die gewaande Profeeten" (Franco-Galli quidam Londini versantes) »beloofden dat zij hem zouden *doen wederopstaan* »*ran den dooden*. En zij stelden den dag vast op den 26 Mey 1708. »Geheel *Londen* kwam toeloopen naar het kerkhof van *Burchinfields*, »alwaar die man begraven was. Maar *hij stond niet op. Zij moesten* »*hem er dood laten leggen, en met groote schande wechdruipen.*"

(2) *Examen du Système literal de la Prophetie*, etc. liber laudatus a DITTONIS interprete Franco-Gallo, ed. Belg. p. 353.

credulae plebi obtruserunt, fidemque apud populum invenerunt: tales, ex ejus sententia, fuerunt Apostoli, quibus, JESU in vitam reditûs fabulam fingentibus, populus Judaeus fidem facile habuit. Monere sane piget, simplices homines, veri amantes, talia minime venatos esse. Sed, quod majorem etiam vim habet, Senatus Judaeorum de fraude sibi non persuasit. Aegre quidem sacerdotes et Sadducaei PETRUM et JOHANNEM audierunt praedicantes, e mortuis resuscitatum esse JESUM, *διαπονούμενοι διὰ τὸ διδάσκειν αὐτοὺς τὸν λαὸν* (Act. IV: 2 sq.), ita ut in carcerem eos abducerent; postridie vero, cum summus sacerdos et qui cum eo erant, JESU discipulos interrogarent, quanam vi et cujusnam nomine aegrotum sanaverint, aperte respondit PETRUS, *ἐν τῷ ὀνόματι* se id fecisse *Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν* (s. 10). Quid Judaeorum proceribus facilius fuisset, quam palam profiteri, mortuum in sepulcro adesse JESUM, vel si discipuli corpus subduxissent, justa illos poena afficere fraudisque convincere? Quo magis enim palam res accidit, eo facilius in ejus veritatem inquiri potest (cf. Luc. XXIV: 18). At nihil ejusmodi. *Θεωροῦντες δὲ τὴν τοῦ Πέτρου παῤῥησίαν καὶ Ἰωάννου κτλ., οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν* (Act. IV: 13, 14), atque ita superbi isti magnates et imperiosi doctores nihil, quod in medium proferrent, habuerunt. Dimittentes captivos, in posterum eos *ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ* praedicare aut docere vetant (s. 18). Num etiam GAMALIEL, pius ac doctus ille Pharisaeus, *τίμιος παντὶ τῷ λαῷ*, si apud eum de fraude Apostolorum, JESU in

vitam reditum praedicantium, constitisset, num GAMALIEL de fraudulentis ac improbis hominibus talem tulisset sententiam, qualem tulit in Judaeorum Senatu, »*καὶ τὰ νῦν* »*λέγω ὑμῖν, ἀπόστητε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων.* — »*εἰ δὲ ἐκ Θεοῦ ἐστὶν* (*τὸ ἔργον τοῦτο*), *οὐ δύνασθε κατα-*»*λῦσαι αὐτό*" (Act. V, 38 sq.). Ne quis vero putet, Senatum Judaeorum in rei veritatem non inquisivisse! Eam investigarunt sine dubio, nam eorum auctoritatem pessumdedit redivivi doctrinae annunciatio, quum ipse JESU in vitam reditus palam doceret, JEHOVAM fuisse cum eo, quem isti crucis supplicio tradiderant. Hoc ipsum dixit tum coram populo PETRUS: *ὑμεῖς δε — τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνατε, ὃν ὁ Θεὸς ἠγειρεν ἐκ νεκρῶν* (Act. III: 15), tum coram Senatu de JESU loquens: »*οὗτός ἐστιν ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς ὑφ' ὑμῶν τῶν οἰκοδομούν-*των, *ὁ γενόμενος εἰς κεφαλὴν γωνίας* (IV: 11).

Quae cum ita sint, concludimus, Judaeorum Senatum facile fraudis convincere potuisse, et procul dubio convicturum fuisse Apostolos, si accusandi fuissent. Nihil vero hujusmodi accidit, cum tacite iis assenserint, docetque tota Senatûs agendi ratio, licet, ut sibi parcerent, furti rumorem divulgaverint, eum certe JESU in vitam reditum suspicatum esse. Hoc ne infitias eat, cui de Evangelistarum narrationum fide historica persuasum est, et qui rite perpendit, egregie Judaeorum Senatum certiorem fieri potuisse eorum, quae prope sepulcrum acciderint. Custodia militum de fraude discipulorum sponte sua non locuta est, imo illam prohibuisset; ad milites igitur nos provocare, ut criminatione Apostolos absolvant, quis miretur? Scilicet

II. *Milites sepulcrum custodientes*, cum Angelus de coelo descenderet saxumque devolveret, *ὡσεὶ νεκροὶ* Hierosolyma adierant, et cum sacerdotibus *ἅπαντα τὰ γενόμενα* communicaverant (Matth. XXVIII: 11). Hanc Sacerdotes nonnulli a PILATO custodiam petierant, *μήποτε ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ* (JESU) *νυκτὸς, κλέψωσιν αὐτὸν, καὶ εἴπωσι τῷ λαῷ· ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν* (XXVII: 62—64); quam nacti, *πορευθέντες ἠσφαλίσαντο τὸν τάφον, σφραγίσαντες τὸν λίθον, μετὰ τῆς κουστωδίας* (s. 66). Ita factum est, ut nulla corpus clam abducendi occasio discipulis praeberetur, nec fraudis suspicioni locus relinquerètur; contra ipsi Sacerdotes hoc militibus inculcarunt, dicentes: »*εἴπατε, ὅτι οἱ μα-*»*θηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς ἐλθόντες ἔκλεψαν αὐτὸν, ἡμῶν* »*κοιμωμένων*" (XXVIII: 13), magnam insuper pecuniae copiam, seque apud PILATUM pro iis intercessuros esse promittentes; quae cum facta sint, *διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος* (de cadavere a discipulis sublato) *παρὰ Ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον*, ut addit MATTHAEUS, XXVIII: 15.

Quam discipulis nobisque favet hoc MATTHAEI testimonium! Quot adversarios nactum est, ad recentissima usque tempora! »*Es ist keine einzige Seite*, »*kein einziger noch so versteckter Winkel, dem er* »*seine Sturmleitern nicht angeworfen.*" Hoc, quod de *Anonymo* LESSINGIUS (1), nos, quod ad hanc quaestionem, de STRAUSSIO dicimus. »*Freilich hat er diese* »*Sturmleitern nicht alle mit eigner Hand neu ge-*

(1) *Duplik*, initio.

» *schnitzt; die meisten davon sind schon bey mehrern* » *Sturmen gewesen; einige derselben sind sogar ein* » *wenig sehr schadhaft.*" —

Totam enim hanc pericopen seriore manu interpolatam esse statuit STROTH; ab interprete Graeco textui Hebraeo insertam eam dixit KERN; seriori traditioni tribuit STRAUSSIUS (1), aliorum vestigia premens, in primis scriptoris *Fragmentorum Guelpherb.*, et cl. PAULI, quorum ille (2), ex Apostolorum silentio de militum custodia, ex eo, quod numquam coram judicibus ad eam provocarint, concludendum esse censet, *et* milites sepulcrum non custodiisse, *et* discipulos facile corpus JESU subducere potuisse; ne vero hoc suspicarentur Judaei, famam Apostolos de militum custodia, sepulcro apposita, pervulgasse. Deinde hanc narrationem res sibi contrarias tradere contendit, quum neque Judaeorum Senatores JESU vaticinationum de suo in vitam reditu certiores facti fuerint, nec Senatus, magna pompa procedens, PILATUM adierit, ut militum custodiam ab eo impetraret. Porro negat, Senatores una cum militibus, sepulcrum visitasse, aut facile Romanorum usos fuisse militibus, cum ipse JOSEPHUS *Arimath.* Senator militibus Judaeis sepulcrum custodiendum tradere potuisset. His monitis, nobis objicit, totum Judaeorum Senatum, una cum JOSEPHO et NICODEMO pessimae corruptelae accusandum esse, et men-

---

(1) L. l. II, p. 612 sqq. Varios, qui de hac quaestione egerunt, scriptores laudavit HASE, *Leb. Jesu*, ed. 3, § 122 (f).

(2) *Fragment über die Auferstehungsgeschichte* inde ab initio.

dacem habendum, quod crimen summo Judaeorum collegio non facile quis obtrudet. Tandem improbabile ei videtur, mulieres sepulcrum a militibus custodiri nescivisse, cum Senatorum militumque cohortem sepulcrum adeuntem viderint omnes Hierosolymitani. Denique Evangelistas inter se dissentire statuit, cum, ex MATTHAEI narratione, Angelum descendentem viderint milites et mulieres; contra, saxum devolutum Angelumque sedentem invenerint mulieres, secundum caeteros Evangelistas.

Hisce alia minoris momenti addidit dubia PAULUS (1). At qualem posuit thesin, in dijudicanda hac quaestione! Est, inquit, »*dies als historisches Kriterium klar: Wenn* »*eine angebliche Handlung den Individualitäten und* »*Umständen der Handelnden zuwider ist und eine an-* »*dere Entstehung dieser Abweichungen nicht aus* »*den Umständen erhellt, so kann die Handlung nicht* »*für eine wirkliche, nicht einmal für eine fein ge-* »*dichtete gelten*" (2). Sic fere judicavit quoque LESSINGII *Anonymus*, quonam autem jure id statuerit, non videmus. Quodammodo hanc regulam valere concedimus in dijudicanda narratione, quae ob *externa* argumenta commentitiam se prodit; sed *internis* unice argumentis nitentem dubitationem ne fulciat! Ita quidem magnam antiquae et recentioris historiae partem omni fundamento carere historico, statuamus necesse est.

(1) *Exeg. Handb.* III, 837 sqq.

(2) L. l. III, p. 840; cff. quae de hisce monet in *Leben Jesu*, 1828, I, 2, p. 260—266.

Sed MATTHAEI de militibus narratio non ita improbabilis habeatur, modo ne infringatur, aut additamenta ei adjiciantur, quae cum ipsa nequaquam congruant. Nihil e. g. de Judaeorum Senatu legimus, magna pompa PILATUM adeunte, sepulcrum dein cum militibus visitante; nihil de concione Senatûs solenni, qua auro milites corrupti sint, quum potius Pharisaei et Presbyteri nonnulli, JESU infestissimi, Procuratorem Romanum adorti esse videantur, deinde autem clam cum militibus convenisse; quod cum iis, quae MATTHAEUS tradidit, egregie congruit. Etenim Matth. XXVII: 62 aeque minus atque s. 41 (quo loco ἐμπαίζοντες Sospitatorem informantur), aliisque locis, totius Judaeorum Senatûs mentionem facit Evangelista. Porro verosimile omnino est, clam eos haec omnia fecisse, quo melius discipulos prehenderent; quod si concedimus, unde factum sit, intelligitur, quod nesciverint mulieres, sepulcro appositam fuisse militum custodiam (1), prouti ex tota earum discipulorumque agendi ratione hoc patet. Caeteroquin enim de saxo devolvendo non anxie quaesivissent: *τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον; κτλ.*, quod licet STRAUSSIO *improbabile* videatur, ideo tamen non minore fide dignum censendum est.

(1) Acerbe sane hic J. C. DOEDERLEINIUS, *Fragmente und Antifragmente*, 1788, I, 237: »*Zum Beweis*," inquit, »*dass sie keine euro-*»*päischen Damen waren, die auf alle Stadtneuigkeiten lauerten*, »*dass sie den Sabbath über stille gewesen, dass diese Sache kein* »*grosses Aufsehen gemacht*," *u. s. w.*

Objiciunt, ad hos milites numquam provocasse Apostolos. Animadvertendum est, nullum eos inde fructum capturos fuisse coram Senatu, quippe qui ad fraudulentorum, auro corruptorum, hominum provocasset testimonium, et verosimile omnino nobis videtur, primis eos temporibus hanc rem plane ignorasse, neque milites vidisse. Quî igitur, quod nesciverunt, in auxilium vocare potuerunt? Quod ita Apostolis crimini dare ausus est scriptor *Fragmentorum Guelpherb*: »*Es ist ein* »*offenbarer Widerspruch: nur einen festen Beweis-* »*grund haben, der sich von selbst anbietet, denselben* »*wissen, und so oft zu brauchen genöthiget seyn,* »*und dennoch nimmer gebrauchen, sondern sich mit* »*nichtigen behelfen*" (1), hoc in ipsius Judaeorum Senatûs noxam convertimus, quippe qui numquam objecerit discipulis: »Quid JESUM in vitam rediisse jactatis; »ipsi cadaver subduxistis, furesque estis habendi!" At tota ejus agendi ratio, ut supra vidimus, diserte contrarium comprobat.

Male STRAUSSIUS, assentientibus HASIO (2) et WEISSIO (3), statuit, famam prius inter Judaeos pervulgatam esse, JESU *discipulos defuncti cadaver subduxisse*; quam ut refutarent, Christianos objecisse Judaeis: »Quomodo »cadaver subduci potuisset, quum vos sepulcrum, a militi»bus custoditum, obsignaveritis?" Scilicet conjecturâ nititur

(1) DOEDERLEINII *Fragm. u. Antifr.* I, 136.

(2) *Leb. Jesu*, ed. 3, § 122.

(3) *Evangelische Geschichte*, II, 343.

haec ratiocinatio prorsus improbabili, et numquam certe hoc, quod de militum custodia responsum dederint Christiani, ita apud ullum hominem valuisset, ut jam revera de sepulcro, a militibus custodito, quis sibi persuasisset. »*Welche rohe Entwürdigung des Urchristenthums und* »*seiner Urkunden, eine solche Bekämpfung der Lüge* »*mit Lügen gerade in einem Punkt, der die heiligste* »*Grundlage der Wahrheit bildet, — der Auferste-*»*hung, ihm aufbürden!*" (1) PAULI vero sententiam, totam narrationem a Judaeis excogitatam dicentis, et HASII, JESU amicis illam tribuentis, deinceps autem a Judaeis eam immutatam esse statuentis (2) (quam sententiam missam fecit V. Cl.), recte refutat STRAUSSIUS (3).

At causa facile dari potest, qua factum est, ut caeteri Evangelistae hanc militum custodiam minime commemoraverint, quippe qui famam inter Judaeos notam, quae illorum praecipue interfuit, certe exteris, si vel scivissent, non tradiderint; quomodo vero MATTHAEUS cognitam eam habere potuerit, supra monuimus, quaeque ita a nonnullis pugnae species inter singulos Evangelistas animadvertitur, nullam esse ex hisce patet, prouti quoque antea in concordiam eos redegimus.

Omnia denique egregie conveniunt cum Judaeorum Senatûs indole agendique ratione; qui enim auro milites

---

(1) OSIANDER, *Apologie des L. J.*, p. 332.

(2) *Leb. Jesu*, ed. 2, p. 263, ubi fieri potuisse concedit, militum custodiam sepulcro fuisse appositam.

(3) L. l. II, p. 618.

corrumpunt, iidem sunt, qui ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, ὅπως αὐτὸν θανατώσωσι (Matth. XXVI: 59). Duos hi quaesiverunt ψευδομάρτυρας, horumque testimonio usi sunt (s. 60 sqq.), et, cum procul dubio antea dicentem audiverint Sospitatorem: λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, κτλ. (Joh. II: 19), probe sciverunt, quid de horum testium (Matth. XXVI: 61. Marc. XIV: 57, 58.) ἀξιοπιστίᾳ fuerit sentiendum, prouti ipsorum testantur verba Matth. XXVII: 63. Quis igitur, Judaeorum proceres sibi non constitisse, dicat, eosque MATTHAEUM ita agentes informasse, quales certe non egissent, vel sensissent probi isti Senatores?

Dixerat iis PILATUS (Matth. XXVII: 65): ἔχετε κουστωδίαν· ὑπάγετε, κτλ., illam innuens custodiam, quae prope crucem antea steterat, quaque ad idem consilium exsequendum egregie uti potuerunt Senatores. Morientem hi milites viderant, audiverantque τὸν ἑκατόνταρχον καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ τηροῦντας τὸν Ἰησοῦν dicentes: ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος (Matth. XXVII: 54). Quid mirum, descendente de coelo Angelo, plane eos obstupuisse, hostesque adiisse defuncti, cujus fata extrema adeo extraordinaria fuerant; quid mirum eos postea, omnia secum reputantes, Christianam amplexos esse religionem (1)?

---

(1) Digna, quae hîc commemorentur, PLESSINGII verba mihi videntur, l. l. I, 79. Postquam milites, qui sepulcrum custodierant, Caesaraeam reversos esse monuit, ibique cum commilitonibus audita, visa et peracta communicasse, recte ad CORNELII historiam provocat,

Fraudem sane stultissimam commiserunt Senatores Judaei; at dubitari omnino potest, an recte statuerit Fragmentista *Guelpherb.*: »*Der ganze hohe Rath, ein* »*Collegium von Siebenzig obrigkeitlichen Männern* »*wird in dieser Geschichte zu lauter Schelmen ge-* »*macht, welche mit Ueberlegung einmüthig willigen,* »*ein Falsum zu begehen, und zu solchem Falso auch* »*die Römische Wache zu bereden. Das ist an sich* »*eine unmögliche Sache* (1);" quibus adeo historiam detorsit et infregit. Quot Romanorum nobilissimos Senatores auro corrupit JUGURTHA, ut sibi faventes eos haberet (2), nec minoris sceleris isti accusandi sunt. HERODEM Bethlehemiticos necari jussisse infantes, sanctissimum hominem a JUDA *Iscariote* proditum esse tradit historia. Num ideo historia haec mentita est?

Quis igitur est, quin dubia, contra hanc narrationem

---

ut MATTHAEI narrationis fidem historicam confirmet. »*Würde wohl* »*der Römische Hauptmann daselbst, Cornelius, mit seinen Angehöri-* »*gen und einigen Kriegsknechten, sich zum Christenthum bekehret,* »*einem Betrüger, den Petrus gehöret, und als einen göttlichen* »*Gesandten aufgenommen haben? Die Bekehrung des Cornelius ist* »*uns also Bürge, dass die Kriegsknechte zu Caesarea die Geschichte* »*des Grabes Jesu nach der Wahrheit erzählt haben.*" Monet enim, Romanorum milites, qui Hierosolymis et Caesaraeae merebant, eidem subfuisse duci. Cff. Act. Ap. XXIII: 23—32, ERNESTI, *Inst. Int.*, P. III, C. X, § 98, et facile inter se commercium eos habere potuisse. Cf. quoque Act. Ap. XXVI: 26.

(1) *Fragm. u. Antifr.* l. l., 140.

(2) Cf. SALLUSTIUS, *Bellum Jugurthinum*, cap. XIII, XV, XVI.

ab adversariis mota, nullo niti fundamento, nullis fulciri argumentis *externis*, videat, atque *subjectivi* judicii referre rationem. Quod si igitur sepulcrum custodierunt milites Romani, verbo monere sufficiat, quam difficile et discipulis et JOSEPHO *Arimath.* (1), et aliis (2) fuisset, corpus JESU subducere, quod prohibuissent milites, poenaque mulctassent Judaeorum proceres. »Vere ergo" (ut ait CALVINUS (3)) »annulo suo PILATUS CHRISTI resur»rectionem obsignavit: et qui appositi fuerunt ad sepul»crum custodes, tacendo vel mentiendo ejusdem resur»rectionis praecones facti sunt." Licet vero Romanorum milites Domini custodierint sepulcrum, licet Procurator Romanus illud obsignaverit, vel sic tamen

III. *Sepulcrum vacuum* invenerunt mulieres, PETRUS et JOHANNES. Quanam, quaeso, sorte usum est defuncti cadaver? Nemo illud vidit, nemo ostendit, neque, ut proferrent, Senatus ab Apostolis petiit. Hanc quaestionem, qui narrationes de JESU in vitam reditu commentitias dicunt, neque solvunt nec dirimere possunt. Verum in primis quaestio de *sepulcro vacuo* (4) magni est momenti, tum ad sententiam dijudicandam eorum, qui JESU in vitam reditum, corpore induti, quo mortuus erat,

---

(1) Cf. J. E. C. SCHMIDT, *Bibl. f. Kritik u. Exegese des N. T.* II, 541 sq.

(2) Cf. F. C. LILIENTHAL, *oordeelk. Bijbelv.* XI, p. 4 sq. nota.

(3) *Inst. Rel. Chr.* III, 25, 3.

(4) Cf. J. G. ROSENMÜLLER, Progr. *de sepulcro Christi vacuo*, Erl. 1780.

negant, resurrectionem vero ad animum et spiritum referunt, quam sententiam proposuit WEISSIUS; tum eorum, qui *traditioni* mythisque annumerant JESU e mortuis resuscitationis narrationes, ut STRAUSSIUS.

Quod ad illum attinet, WEISSIUS cum diserte affirmaverit, corpus JESU, in sepulcro depositum, nihil cum ejus resurrectione commune habere (1), atque igitur *e sepulcro minime prodiisse*, tamen negandum esse censet, famam de cadavere, a discipulis clam subducto, rem in facto positam pro fundamento habere, aut inde repetendam esse, quod sepulcrum discipuli invenerint vacuum; contra, rumorem illum primi aevi Christianis ansam dedisse, ut putarent, corpore, quo sepultus erat, indutum, in vitam rediisse JESUM: »*Wie*," inquit, »*wenn* »*das erwähnte jüdische Gerücht, statt aus dem Ver-* »*schwinden des Leichnams entstanden zu sein, viel-* »*mehr umgekehrt unter den Christen zu der Meinung,* »*dass der Herr, nicht bloss im Geiste, oder im* »*Leibe der Verklärung, sondern in seinem irdischen* »*Leibe auferstanden sei, den ersten Anlass gegeben* »*hätte* (2)*?*" At, illâ assumtâ sententiâ, WEISSIO concedamus necesse est, negasse Judaeos JESU in vitam reditum, cum eum palam profiterentur discipuli, atque

(1) *Evang. Gesch.* II, 340: *dass die Auferstehung Jesu überhaupt nur eine dem Gebiete des Geistes- und Seelenlebens, nicht der äussern Körperlichkeit, angehörende Thatsache sey, dass an ihr der irdische, ins Grab gelegte Leib keinen Antheil gehabt habe.*

(2) L. l. II, 344.

ita nullo fundamento nitentem exstitisse famam inter Christianos de sepulcro, corpore defuncti vacuo, cui eo lubentius fidem eos habuisse censet WEISSIUS, quo magis adversarii, Judaeos dicit, antea eam probaverint (1). Illud autem negat historia, ut jam vidimus. Etenim Judaei numquam infitiati sunt, e sepulcro redivivum prodiisse JESUM, eodem corpore indutum, quo sepultus erat, quodque antea cruci affixerant. Audiamus enim PETRUM (Act. II: 23, 24, in primis 31.): *τοῦτον — ὁ Θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου — ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ἅδου, οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν.* Talia palam professus est quinquaginta diebus post JESU in vitam reditum, nemine negante aut obloquente. Quod si verum est, cum WEISSIO statuere non possumus, in suos usus convertisse Christianos sparsum a Judaeis rumorem, quia opportunitas, qua ex WEISSII sententia rumor ille exstitit, minime adfuit.

Aliud etiam est, quod ei obstat. Quod si discipulis objecissent Judaei: »Vos cadaver subduxistis;" continuo

---

(1) Ibid. *Die Entstehung des Gerüchtes selbst im Laufe der Zeit kann, wenn einmal der Glaube an die Auferstehung Christi von den Christen factisch ausgesprochen war, und von den Juden bekämpft ward, auch ohne alle thatsächliche Grundlage nicht im mindesten befremden. Noch weniger aber kan befremden, wenn die Christen einer Thatsache Glauben schenkten, die solchergestalt durch das eigene, freiwillige Zeugniss ihrer Gegner über allen Zweifel erhoben schien, und wenn sich auf dieser Grundlage jene Sagen bildeten, welche das Factum der Entleerung des Grabes allerdings vorauszusetzen scheinen.*

ad cadaver illi provocassent, quod odoramentis et unguentis tinctum, et sepulcro inclusum, post octo hebdomadum spatium optime agnosci potuisset, atque ita falsam illam criminationem facile a se depulissent JESU discipuli. Sin hi dixissent: »Mortuus JESUS in vitam »rediit, corpore indutus humano eodem, quo antea usus »est!" continuo Judaei, si revera cadaver inclusum tenuisset sepulcrum, dixissent: »Mendaces vos esse docet »ipsum cadaver, in sepulcro reconditum;" atque ita discipulos fraudis convicissent Judaei. Ab utraque igitur parte rem si spectes, semper patet, neque e re Christianorum, neque Judaeorum fuisse, vel talem de sepulcro vacuo famam excogitare, vel excogitatam non refutare, totamque WEISSII ratiocinationem circuli formam referre.

Praeterea hoc addendum est. Mulieres cadaver non invenerunt in sepulcro depositum, at quum ibi deponeretur die Veneris, adfuerant illae (Matth. XXVII: 60, 61. Marc. XV: 47), et quominus subduceretur, prohibere potuerunt milites. Etsi die Saturni sepulcrum militibus custodiendum traditum est, ecquis conjecturae faveret, ab amicis interim in alium locum corpus JESU esse repositum? Quasi sepulcrum a corpore vacuum obsignavissent Judaei, custodiissent milites, neque antea accurate illud inspexissent! Frustra item cadaver quaesiverunt PETRUS et JOHANNES. Tota igitur haec narratio seriori aetati tribuenda est; jam vero non facile quis credet, LUCAM in Evangelio suo scribendo ita mala fide egisse, ut totum *fingeret* sermonem, quem cum JESU conseruerint duo illi discipuli, cujus mentionem facit

XXIV: 13 sqq., ut verba iis tribuerit, quibus nequaquam uti potuerint, ipso, quo in vitam JESUS rediit, die, quo vero, ex WEISSII sententia, de vacuo sepulcro nondum cogitaverint. Valet autem hoc de CLEOPAE verbis (ib. s. 23, 24): *καὶ μὴ εὑροῦσαι τὸ σῶμα αὐτοῦ, ἦλθον, κτλ., καὶ ἀπῆλθόν τινες τῶν σὺν ἡμῖν ἐπὶ τὸ μνημεῖον, καὶ εὗρον οὕτω, καθὼς καὶ αἱ γυναῖκες εἶπον.* Symbolice haec WEISSIUS non interpretatus est, neque ulla dari potest causa, ob quam LUCAS, nisi talia dixisset CLEOPAS, haec addidisset: quod si enim traditioni favere voluerit, stultissime egit, qui JESUM *corpore humano indutum, loquentem* cum illis informat discipulis, eique (s. 39) verba tribuit: *ἴδετε τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου· ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι.* Caeterum quomodo has de mulieribus, sepulcrum visitantibus, narrationes explicet WEISSIUS, in omnibus a partium studiis se ipse professus alienum, hujus loci non est indagare, at facile patet, totum, quod acute construxit, aedificium Philosophus Lipsiensis, sponte corruere, si constet, neque JESU corpus clam subductum esse, quod et ipse negat, neque in sepulcro mansisse, docente historia, quam nisi detorqueamus et infringamus, hoc, quod posteriori loco posui, minime infitias ire possumus. Mihi denique visa est WEISSIO haec sententia placere, quam tamen non professus est, *ipsos Judaeos* clam cadaver subduxisse, ut, quominus discipuli id facerent, impedirent; sic revera *ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης* facta est! Sed quid vacuum fuisse sepulcrum amplius probare conaremur; in pessima quaeque ruit, qui ab historia

recedens, ejus loco sua philosophemata nobis obtrudere conatur; illum enim *τὰ πολλὰ γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει.*

Restat, ut de STRAUSSII sententia videamus. »*Wenn* »*doch der Leichnam Jesu*," ita ille (1), »*an einem* »*bekannten Platze beigesetzt war, und an diesem* »(*sofern wir weder einen Diebstahl, noch eine zu-*»*fällige Entfernung desselben postuliren mögen*) *auf-*»*gesucht und nachgewiesen werden konnte*," intelligi vix potest, quî JESU discipuli ita brevi post palam Hierosolymis Ejus in vitam resuscitationem praedicaverint, »*ohne durch den Augenschein am Grabe sich* »*selbst zu widerlegen.*" Quam difficultatem ut e medio tolleret criticus noster, »*wie lange*," inquit, »*wird es* »*noch anstehen, bis die Art, wie die A. G. den* »*ersten Hervortrit der Jünger Jesu mit Verkündi-*»*gung der neuen Lehre gerade auf das Fest der* »*Verkündigung des alten Gesetzes verlegt, als eine* »*solche erkannt wird, welche lediglich auf dogma-*»*tischen Grunde ruht, mithin historisch werthlos,* »*uns auf keine Weise bindet?*" *u. s. w.*, cui respondendum est, quamdiu LUCAM conscripsisse *Actus Apostolorum*, communis omnium criticorum, qui veri studiosi sunt habendi, sententia est, tamdiu cum STRAUSSIO neminem facturum esse. Fortis sane ille est in quaerenda difficultate, at in dirimenda debilis. Nam posteaquam militum custodiam a sepulcro removit, discipulos aut

(1) L. l. II, 692.

sepulcri possessorem cadaver subduxisse negat (1), et de historia, externis et internis argumentis confirmata, fidem detrahit. Quidni potius cum J. C. EDELMANNO (2) statuit, terram absorbuisse cadaver, aut alio modo per terrae motum JESU corpus ita disparuisse, ut numquam deinceps inventum sit! Felices, qui tali rara avi non indigeant!

Ex his omnibus luce clarius apparet, nullo modo, nisi revera in vitam redierit JESUS, hujus rei famam existere potuisse, quod prouti hucusque *negando* fere probavimus, ita jam ad argumentum, re in facto posita et sub sensus cadente nitens, provocamus. Ipsis discipulis e mortuis in vitam revocatus Sospitator conspiciendum se praebuit.

SECTIO POSTERIOR.

JESU IN VITAM REVOCATI APPARITIONES.

Argumentum q. d. positivum.

Τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεὸς, οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες. Hoc summo jure testari potuerunt discipuli, qui mortem JESU lugentes, Ipsum e mortuis resuscitatum *viderant*, manibus *palpaverant*, quem *ἐμφανῆ γενέσθαι ἔδωκεν* discipulis ipse Deus. Quum maximi faciamus hoc argumentum, ex JESU apparitionibus (3)

(1) Cf. l. l. II, 687.

(2) Cf. F. C. LILIENTHAL, l. l. XI, p. 169. Y. VAN HAMELSVELD, *de Bijbel verd.*, VI, p. 10 sq.

(3) Quum mortuum in vitam rediisse Veteribus non notum esset, minime miramur, eos verbo caruisse, quo significarent, e mortuis

petitum, continuo de vario modo videamus, quo Evangelistae earum mentionem faciant eosque narrantes primum audiamus.

Matth. XXVIII: 9, 10. Domum redeuntibus mulieribus JESUS obvius factus est, quas admodum gaudentes jussit, discipulos monere, ut Galilaeam adirent, ubi Ipsum visuri essent.

S. 16 sqq. Undecim discipulis, postquamGalilaeam adierant, in monte JESUS apparuit, dubitantibus nonnullis ([1]).

Marc. XVI: 9—11 ([2]). Quo in vitam rediit die,

---

in vitam revocatum aliis se conspiciendum praebuisse. Liceat autem nobis vocibus uti *apparere*, *apparitio*, ut τῷ φανερῶθαι, φανερώσις, N. T. Scriptoribus usitatis respondeant.

([1]) S. 17, οἱ δὲ ἐδίστασαν. Ad h. l. FRITZSCHIUS: »Ego semper »ita censui, cogitando hoc membrum praemitti debere: οἱ μὲν οὐκ »ἐδίστασαν, ut nemo praeter hos undecim discipulos designetur, »ἐδίστασαν vero vim habeat plusqpf.: *et conspicati Eum in genua* »*procubuere;* (alii non dubitaverant) *nonnulli vero dubitaverant*, *sed* »*cuncti, posteaquam in Galilaea praeceptorem suis ipsi oculis usur-*»*parunt*, *dubitationes penitus sibi exemerant.*" Num vero recte ille, qui proxime praecedenti aoristo προσεκύνησαν perfecti vim tribuit, idem proxime sequentem aoristum pro plusquampf. habeat, quaerenti non facile affirmando respondere ausim. Alii cum undecim discipulis convenisse D. ἀδέλφους, quos Paulus commemorat 1 Cor. XV: 6 statuerunt, laudati a KUINOELIO ad h. l. p. 820 sq. Alii, inter quos ipse KUINOELIUS, cum iis in montem se contulisse autumant LXX discipulos, quocirca οἱ δὲ ἐδίστ. = τινες horum LXX.: certe quo se commendet plus habet prior illa conjectura; nam nullibi peculiaris apparitio LXX discipulis commemoratur.

([2]) MARCI Evangelii finem authenticum esse, jure statuere mihi

JESUS MARIAE *Magdalenae* conspiciendum se praebuit, cui, laetum nuntium cum discipulis communicanti, fidem hi denegarunt.

---

videor. Licet enim s. 9—20, in Cod. B, non inveniantur, asteriscis in 137, 138 notentur, in aliis frustra quaeri testentur scholia, a Cod. L alius nostro Evangelio imponatur finis (cf. GRIESBACHIUS ad h. l.), licet testentur quoque harum sectionum absentiam multi Patres, his omnibus tamen opponi potest magnus Codicum, Versionum, Patrum numerus, has sectiones habentium, easque commemorantium. Unde, si ad externa attendimus argumenta, iis viris Doctis assentiendum esse censemus, qui harum sectt. authentiam vindicarunt. Internis autem argumentis ne nimis tribuant horum adversarii! E rerum enim narratarum discrepantia multi *et* antiquitus *et* etiamnunc authentiam negandi argumentum sumserunt, quas tamen repugnantias facile evanescere mox probaturi sumus. Ad stili dictionisque diversitatem, a genuina Evangelii parte recedentis, provocarunt alii; sic nuper CREDNERUS (infra laudandus) ἅπαξ λεγομένων catalogum dedit verborum φανεροῦσθαι, παρακολουθεῖν, γλώσσαις καιναις λαλεῖν, ὄφεις αἴρειν, θανάσιμον πίνειν, καλῶς ἔχειν, παντα χοῦ, συνεργεῖν, βεβαιοῦν, ἐπακολουθεῖν. Parvi autem haec aestimamus cum WIESELERO (l. modo l.), »quum ea partim res novas, in Evangelio nostro »antea non descriptas, exprimant, partim cum scribendi cogitandique »ratione, apud nostrum usitata, haud ita pugnent, ut ex alieno calamo »derivanda esse necessario existimentur." Quod ad caetera attinet, a MARCI loquendi usu abhorrentia, πρώτη σαββάτου, ἐκβάλλειν ἀπὸ, ἐκείνη, πορεύεσθαι, πᾶσα κτίσις, alia, licet suam sibi propriam scribendi rationem habeat unusquisque scriptor, et plerumque, quae cogitaverit, sibi privis verbis exprimere soleat, hoc tamen non ita in re critica est urgendum, ut quasi scriptori licentiam, ea, quibus uti velit, verba in suos usus convertendi nolimus concedere. Quod igitur suadent argumenta externa, internis minime labefieri mihi

S. 12, 13. Mox duo ex discipulorum numero, Emmaunta adeuntes, JESUM viderunt, quibus et caeteri fidem non habuerunt.

S. 14 sqq. Undecim denique discipulis apparuit JESUS,

---

videtur, modo concedamus, non uno tenore ultimum hocce conscripsisse caput Evangelistam, sed quominus pergeret impeditum, deinceps quae alius prorsus generis erant, aut ex alio quodam fonte haurienda, addidisse. Ex duobus jam eligendum est. MARCUM non conscripsisse si statuas s. 9—20, quis, quaero, laborem susceperit supervacaneum prorsus, ut, quod omnibus notum esset, denuo adscriberet MARCI Evangelio? WIESELERUS harum sectionum dicit auctorem Christianum quendam Romanum, e schola Paulina, (quia ante omnia data, ut videtur, opera fidem commendat, fidei vero expertes summopere carpit) incipiente saeculo secundo. Aliter alii; at quo consilio fecerit anonymus ille, quis suspicetur? Quum praeterea, hac assumta sententia, in tot Codd. non adfuerit pars Evangelii, quam a MARCO minime repetendam esse facile antiqui scivissent. Sit contra harum sectionum auctor ille MARCUS; multae dari causae poterunt, quibus factum, ut unus alterve Codex illis careat, adeoque apud unum alterumve Patrem Ecclesiae de earum authentia non constiterit. Caeterum de hac quaestione cff. CREDNER, *Einleitung in das N. T.* I, 106—108, FRITZSCHII *Comm. in Marci Ev.*, p. 750 sqq., qui argumenta interna inde a p. 716 ponderavit, PAULUS, *Exeg. Handb.* III, 363, NEUDECKER, *Einl.* p. 245 sqq. et scriptores ab iis laudati; quibus omnino addatur c. WIESELERI Diss.: *Indagatur, num loci* Marc. XVI: 9—20 *et* Joh. XXI *genuini sint nec ne, eo fine, ut aditus ad historiam Apparitionum Jesu Christi rite conscribendam aperiatur*, Gott. 1839, p. 4—17. Illi omnes loci nostri authentiam negarunt; MARCO autem vindicandum cum censuerunt HUGIUS, *Einl.* II, 282 sqq. OLSHAUSENUS, *Bibl. Comm.* II, 577 sqq. alii.

accumbentibus illis, quorum *ἀπιστίαν* reprehendit, iisque Evangelii praedicandi munus injunxit (1).

Luc. XXIV: 13—32. CLEOPAE, et qui cum eo Emmauntis vicum adiit, JESUS eodem, quo in vitam rediit, die, apparuit; Dominum autem, postquam satis diu cum iis locutus erat, tandem agnoverunt.

S. 33—35. Illis Hierosolyma reversis, et cum discipulis visa auditaque communicantibus, hi PETRO se JESUM conspiciendum praebuisse annunciarunt.

S. 36—49. Ad finem vergente eodem hoc die, undecim apparuit discipulis, manibus tractandum se praebens, deque se testantem S. Scripturam interpretans.

Joh. XX: 14—18. MARIA *Magdalena* cum Angelis locuta JESUM vidit, at non agnovit; mox vero, quin Dominus esset ipse, nulla dubitavit.

S. 19—25. Decem apparuit discipulis suis in vitam reversus Sospitator.

S. 26—29. Octo diebus post undecim apparuit discipulis, quibus THOMAS interfuit.

XXI: 1 sqq. (2). Ad mare Tiberiadis rursus septem

---

(1) S. 15. *καὶ εἶπεν αὐτοῖς*. Arctissime haec cum s. 14 conjungenda sunt, quia eadem occasione, qua *ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν*, his verbis usus est JESUS: male igitur nonnulli *καὶ* = *porro*, *postea* vertunt, vim particulae ו Hebraeorum ei tribuentes, ut ita JESUM alio tempore haec dixisse statuerent, nec cum iis pugnare, quae LUCAS et JOHANNES commemorant, quos recte improbat KUINOELIUS *ad Marc.* p. 209. De additamento, quod, secundum HIERONYMUM, post s. 14 nonnulli habuerint Codices, vid. FRITZSCHII *Comm.* ad h. l. p. 728.

(2) A GROTII inde aetate quam plurimi de Capitis XXI authentia

discipulis videndum se praebuit, cum iis sermones conserens atque edens.

Quod si hujus argumenti, ex JESU apparitionibus petiti, vim percipere velimus, apud nos constet necesse est, de veritate historica eorum, quae memoriae tradiderunt Evangelistae de novae Sospitatoris vitae initio, qua e mortuis resuscitatus denuo cum discipulis versatus est. Illâ probatâ, ad vindicandum JESU in vitam reditum hoc argumentum valebit, quandoquidem e re sub sensus cadente petitum est; utrumque vero num adversarii negaverint, quis dubitet? At nos jam probare conabimur, quaecunque nobis de JESU in vitam revocato, a discipulis conspecto, tradita sunt, fide digna esse quam maxima, *tum*, quia egregie haec relata inter se conveniunt, neque alteram altera excludit narratio, *tum*, quia JESU redivivi apparitiones, ut fidem habeamus iis, qui de illis

---

dubitarunt, quorum tamen argumentis, cum *interna* unice dici possint, ne nimis tribuatur cavendum est. Provocant ad Evangelii clausulam, XX: 30, 31, iis vero opponitur tum stilus Johanneus, qui cum dictione Apostoli omnino convenit, tum omnium Codicum testiumque idoneorum auctoritas. *Αὐτόπτην* haec memoriae tradidisse, quis neget, qui vel semel accurate caput hocce perlegerit, ita ut de narratorum ἀξιοπιστίᾳ ne dubium quidem exstare possit, quam una cum capitis authentia vindicavit Doct. J. H. REDDINGIUS, *Disp. de Authentia capitis ultimi Evangelii Johannis*, Gron. 1833, cff. quoque HUG l. l. II, 292 sqq. GUERIKE, *Beitr.* p. 67 sq. quique ab iis dissentiunt CREDNER, l. l. I, 232 sqq. LÜCKE, *Comm.* in Joh. ed. 2, T. II, p. 693 sqq. WIESELER, Disp. laud. p. 39 sqq., coll. p. 19 sqq. NEUDECKER, l. l. p. 334, alii.

testimonium ferunt, suadent, *tum*, quia omnia, huc usque ex Evangeliis percepta et disputata, egregie confirmantur PAULI testimonio, *tum*, quia his nihil inest, quod cum naturae legibus pugnare jure quis statuat. De quatuor his rerum capitibus jam singulatim videamus, ut de JESU in vitam reditûs *veritate* historica constet.

§ 1.

Quae de JESU, *in vitam revocato, a discipulis conspecto, referunt Evangelistae, egregie inter se conveniunt.*

In pluribus inter se discrepare Evangelistarum narrationes, ubi discipulis apparuisse e sepulcro redivivum Sospitatorem tradunt, monuit Fragmentista *Guelpherbytanus* (1), eique assentiens STRAUSSIUS multus quoque est in dubiis ex earum repugnantia petitis, contra Evangelistarum fidem historicam movendis, quem igitur hac de re disserentem *primum* audiamus, ut, quatenus ei concedendum sit, *deinde* videamus.

I. Ita igitur STRAUSSIUS (2). Quod attinet ad locum, ubi JESUS apparuerit, *et* Angelus *et* ipse JESUS apud MATTHAEUM Galilaeam locum designant, ubi se ostenderet, cujus apparitionis mentio injicitur Matth. XXVIII: 16 sqq. MARCUS de Galilaea non cogitasse videtur,

(1) Vid. DOEDERLEINII *Fragm. u. Antifr.* I, 178 sqq.

(2) L. l. II, 639 sqq.

quum Angeli verborum ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν nulla ratione habita, apparuisse quidem JESUM narret, verum una eademque, qua antea, contexta oratione. Ne ex Hierosolymis exeant, monet JESUS apud LUCAM, uniceque prope urbem vel in urbe ipsa videndum se praebuit Dominus, illo tradente. Contra apud JOHANNEM de Galilaea nihil monent Angeli, et primum in urbe se conspiciendum discipulis praebuit Sospitator; deinde, ut in appendice traditur, in Galilaea, ad mare Tiberiadis Eum viderunt. Quocirca duplicem oriri quaestionem, monet STRAUSSIUS: 1. Quì discipulos adhortari potuerit JESUS, ad iter in Galilaeam suscipiendum, simul vero eos jubere, ad festum usque Pentecostes Hierosolymis versari? 2. Quì discipulis promittere potuerit in Galilaea videndum se iis praebiturum esse, si consilium cepisset, ipso, quo e mortuis resuscitatus est, die Hierosolymis eos conveniendi? ([1])

Magni fecit Fragmentista *Guelpherb.* prioris quaestionis difficultatem, statuens, ejus vel partem priorem vel posteriorem tantum veram, falsam contra alteram esse partem, et credi vix posse, longum iter in Galilaeam discipulos instituisse, ut JESUM viderent, postquam Hierosolymis cum Eo bis edissent et locuti fuissent. —

([1]) Hanc quoque JULIANUS movisse videtur difficultatem, teste EUTHYMIO *Zigabeno:* »non autem mentitus est CHRISTUS, quod stulte »JULIANUS Apostata dixit, quasi promiserit, se in Galilaea viden»dum esse et Hierosolymis se eis videndum praebuerit." Ad Matth. XXVIII.

Lessingio, qui cum eo fecit, assentiens Straussius statuit, sensim sensimque Christophaniis, quas in Galilaea obtinuisse narrat Matthaeus, Hierosolymitanas addidisse seriorem *traditionem*, quippe quae ad probandam Jesu resurrectionis veritatem eo majorem habuerint vim, quo magis prope sepulcrum obtinuerint, illasque deinceps his prorsus fuisse obscuratas, quum nullius fere fuerint amplius momenti. Hac assumta sententia, explicatu non difficile censet, quam ob causam Christi apparitiones in Galilaea Johannes, appendicis ad instar, Lucas vero nullibi commemoret. Quae Straussii [1] argumentationis conclusio (*vom Standpunkte möglicher Sagenbildung aus sich ergebende Resultate*) tandem aliquando favere videtur Matthaei Evangelio, quod plerumque ab eo aliisque recentiore aetate inique tractari solet.

Ipsas vero Sospitatoris apparitiones in concordiam redigere difficile nobis erit, Straussio monente. Omnium primam Jesum vidisse Mariam *Magdalenam* narrant Marcus et Johannes; mulieribus autem, domum redeuntibus, inter quas Mariam *Magdalenam* recenset, Dominum apparuisse tradit Matthaeus. Ita de eadem apparitione diversa prorsus ratione loquuntur. Mox duobus illis, quorum alter Cleopas, apparuit Jesus; a Marco autem relata hîc minime cum Lucana narratione conveniunt, quum tradat ille, discipulos iis minime fidem habuisse Hierosolyma redeuntibus, eosque de Jesu in

---

[1] L. l. II, 648 sq.

vitam reditu certiores facientibus; apud LUCAM contra eos invenisse discipulos et qui cum iis erant, *λέγοντας ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι*: hoc vero Marci additamentum »*rührt wohl nur*," monente illo, »*von einer Uebertreibung des Marcus her, welcher den Contrast der überzeugendsten Erscheinungen Jesu, mit dem fortdauernden Unglauben der Jünger nicht aus den Händen lassen wil.*" Sequitur apparitio, cujus LUCAS mentionem fecit, Hierosolymis una conjunctis *τοῖς ἕνδεκα*, quam commemorat JOHANNES (XX: 19); ibi vero LUCAS diversa conjunxisse dicendus est, vel conjuncta disjunxisse JOHANNES; etenim manibus pertractarunt redivivum e sepulcro (Luc. XXIV: 39, 40), quod septem diebus post factum esse narrat JOHANNES (XX: 27); piscis favique frustum edit JESUS (Luc. XXIV: 42, 43), quod ad mare Tiberiadis Eum fecisse tradit JOHANNES (XXI: 13, 15). Ab utroque relatis obest MATTHAEUS, quem si audiamus, discipuli Galilaeam adierunt, ut JESUM viderent. Tandem caeteris apparitionibus nullum locum relinquunt MARCUS et LUCAS, qui uterque cum illa apparitione JESU in coelum ascensionem conjungit.

Deinde discipulis, inter quos THOMAS erat, JESUS apparuit (Joh. XX: 26), corumque septem deinceps ad mare Tiberiadis (XXI: 1.). Hoc vero non convenit cum MATTHAEI narratione: nam quam commemorat MATTHAEUS apparitio in Galilaea, ea esse videtur, de qua JESUS monuit, ipso illo, quo in vitam rediit, die, atque igitur prima, quae in Galilaea obtinuit, neque antea ob-

tinere potuit Johannea illa ad mare Tiberiadis; multo vero minus postea, quandoquidem secundum MATTHAEUM, JESUS solemni modo discipulis valedixit. Neque JOHANNES recte dicere potuit: *τοῦτο ἤδη τρίτον ἐφανερώθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ* (XXI: 14), si bis jam Hierosolymis, praeterea vero in Galilaea (Matth.) discipulis JESUS apparuisset. Quid? quod hocce *τρίτον ἐφανερώθη* omni modo tibi difficultatem parit! Etenim nulla mulierum ratione habita, prima apparitio CEPHAE, altera Emmaunta proficiscentibus contigerit; tertiam autem illam fuisse, quae in Galilaea obtinuit, ne putes, quia ita inverso JOHANNEM narrasse ordine tibi statuendum est (narrat enim ille, antea bis se conspiciendum undecim discipulis praebuisse JESUM). Quod si verba *τοῖς μαθηταῖς* urgemus, de pluribus discipulis ea interpretantes, prima discipulis contigit Emmaunta adeuntibus; altera discipulis decem, die illo, quo in vitam rediit JESUS; tertia autem apparitio in Galilaea, quo fit, ut prior haec numeretur, quam quae apud JOHANNEM secunda est. Primam igitur illam JOHANNES non recensuerit? Sit prior apparitio Domini coram decem discipulis, altera coram undecim una cum THOMA, at tertiam ne eam dicas, quae ad mare Tiberiadis obtinuit, quia illi, cujus MATTHAEUS mentionem facit, hanc postponamus necesse est. Ex hisce sequitur, neque JOHANNEM de caeteris in Galilaea apparitionibus quidquam scivisse, nec MATTHAEUM earum certiorem factum esse, quas prope Hierosolyma obtinuisse monet JOHANNES, cf. Joh. XX: 25, 28, coll. Matth. XXVIII: 17 (*οἱ δὲ ἐδίστασαν*).

Denique pugna adest inter Matth. XXVIII: 18—20 et Act. Ap. I: 4 sqq., coll. Luc. XXIV: 49 sqq. (1).

Concludit criticus noster, repugnantiae ratione habita, quae intercedat inter narrationes de JESU in vitam revocato, a discipulis conspecto, quum de loco et tempore non conveniant, numerus fluctuet neque ordo conspiciatur, »*so müsste man absichtlich blind seyn wollen,* »*wenn man nicht anerkennen würde, dass keiner* »*der Berichterstatter das, was der andere berichtet,* »*kannte und voraussetzte; dass jeder die Sache wieder* »*anders gehört hatte; dass somit über die Erschei-* »*nungen des auferstandenen Jesus frühzeitig nur* »*schwankende und vielfach variirte Gerüchte im* »*Umlauf waren.*"

II. Concedimus, hisce Evangelistarum narrationibus nonnulla inesse, quae mira omnino videantur; at minus tamen recte repugnantia a STRAUSSIO dicuntur. Iterum hîc, prouti antea eum fecisse supra (2) vidimus, argumento *e silentio* petito, nimium tribuit, atque omnia narrare *debuisse* Evangelistas statuere videtur, ea vero quae non tradiderint, eos nescivisse. Etenim hoc tenere nos oportet, omnia nobiscum communicare neque voluisse, nec potuisse S. Scriptores, contra sufficere omnino, aliam totius partem alterum, aliam alterum tradidisse.

(1) Cff. quae de his habet l. l. II, 650—659, quo loco rationem quoque habendam esse censuit eorum, quae tradit PAULUS 1 Cor. XV: 5—7. De his autem infra videbimus.

(2) Pag. 56, 59 sq.

Nam utrum bis, an quater suis se conspiciendum praebuerit JESUS, nihil refert, si ad rei summam attendimus. Apparuisse Eum discipulis omnes Evangelistae tradunt. Bis conspiciendum se praebuisse JESUM, MATTHAEUS scribit, ter MARCUS et LUCAS, quater JOHANNES. Constat igitur, discipulos vidisse Magistrum; verum aliter alii hanc rem exponunt Evangelistae, quocirca diversitatem cernimus nos, ubi repugnantiam adversarii. Etenim »*die Evangelien erzählen nicht mehr eine zusammenhängende Lebensgeschichte, sondern einzelne Erscheinungen des Auferstandenen, in denen sich die Geschichte nicht weiter entwickelt, und, abgesehn von dem Zusatzcapitel des 4 Evangeliums, mit auffallend geringem individuellen Inhalte.*" (1)

Valet hoc de loco, ubi cum amicis JESUS versatus sit, postquam in vitam redierat. Judaeae et Galilaeae mentionem faciunt MATTHAEUS et JOHANNES, MARCUS vero et LUCAS Galilaeam non commemorant. Quod miramur omnino, quia totidem verbis apud MARCUM Angelus dixerat: *εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ τῷ Πέτρῳ, ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν.* Iis autem, quae nobiscum communicavit MARCUS, contenti sumus, atque etiamsi quis statuat, eum apparitionum, quae in Galilaea obtinuerint, certiorem non factum esse, quod minime concedimus, equidem tamen non video, quomodo caeterorum narrationis veritati quidquam detrahatur, aut ipsi MARCO hanc ob causam minorem fidem habe-

(1) HASE, *Leb. Jesu*, ed. 3, § 124.

amus. Haec quoque de LUCA dicta sunto, qui de Galilaea ne verbo quidem monet. Quod autem illi tacent, supplet MATTHAEUS, qui primum quidem prope Hierosolyma, deinde vero in Galilaea Dominum se conspiciendum praebuisse tradit; qui nullam quidem coram discipulis apparitionem commemorat Hierosolymitanam, neque CLEOPAE ejusque socii rationem habet; at quis propterea statueret, JESUM his discipulis non apparuisse? Nihil JOHANNES de duobus illis, qui Emmaunta adierunt; MARCUS et LUCAS hujus apparitionis certiores nos fecerunt, iisque lubenter fidem habemus, tacente etiam JOHANNE, et salva hujus fide historica. Majore haec jure statuisse mihi videor, quam STRAUSSIUS, quaecunque de *traditione* monet, narrationum nostrarum fictrice, quod critici systema volitantium foliorum compagi similius est, quam validis fundamentis nitenti aedificio. Quaecunque enim de fide historica universe monuimus eorum, quae Evangelistae nobis tradiderunt de JESU in vitam reverso (1), haec valent quoque de hisce ab Evangelistis relatis, ita ut nullus *traditioni* locus relinquatur, quo ejus figmenta appareant.

Sed de JESU, ab amicis conspecto, nobis videndum est. MARIAE, lacrimas prope sepulcrum magistri fundenti, apparuit JESUS. Sola fuit illa, ut ex Johannea narratione patet, prima fuit secundum MARCUM, quae redivivum vidit; huic assentit quidem MATTHAEUS, comitem vero ei dedit MARIAM matrem JACOBI. At supra jam vidimus,

(1) Cf. supra pag. 79 sqq.

eum de MARIA *Magdalena*, quae PETRUM et JOHANNEM adierit, tacuisse, pluraque conjunxisse; ita quoque mulieres ad urbem rediisse, at non vidisse Dominum, ad sepulcrum reversam esse MARIAM *Magdalenam*, solamque vidisse Dominum partim tradidisse, partim omisisse MATTHAEUS mihi visus est. Certo hoc affirmare non ausim, sed verosimile esse opinor, JESUM a caeteris mulieribus eo, quo in vitam rediit die, non conspectum esse, quatenus hoc ex Evangeliis effici potest. Etenim secundum LUCAM (XXIV: 9), *ὑποστρέψασαι ἀπὸ τοῦ μνημείου ἀπήγγειλαν ταῦτα πάντα τοῖς ἕνδεκα καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς*, qui *ὡσεὶ λῆρος* earum verba existimarunt. Attamen certe de JESU apparitione locutae fuissent, si ipsum Dominum vidissent: quid vero CLEOPAS? s. 22, *γυναῖκές τινες ἐξ ἡμῶν*, inquit, *ἐξέστησαν ἡμᾶς — λέγουσαι καὶ ὀπτασίαν ἀγγέλων ἑωρακέναι, οἳ λέγουσιν αὐτὸν ζῆν*, sed de ipso JESU ne verbum quidem. A MARCO quoque relata intellectu difficilia sunt, si statuendum est, JESUM apparuisse mulieribus, quum minus commode s. 8 conjungatur cum s. 10, ubi MARCUS, de *πενθοῦσι καὶ κλαίουσι* loquitur, qui tamen nuntium de JESU redivivo et a mulieribus viso accepissent necesse est. Quod igitur ad summam rei attinet, cum caeteris convenit MATTHAEUS; at plura conjunxit, quae discernenda sunt. MARIAE *M.* mandavit JESUS, ut cum discipulis communicaret, in Galilaea Eum discipulis se conspiciendum praebiturum (Matth.) et ad Patrem dein Eum abiturum esse (Joh.). In urbem reduci fidem ei *οἱ μετ' αὐτοῦ* (*Ἰησοῦ*) *γενομενοί* denegarunt, prouti MARCUS addidit.

Paullo post duo e discipulorum numero, vicum in urbis vicinia adierunt, inter se sermones conserentes, cum, ecce! iis JESUS adstitit, eos alloquens, mox cum iis mensae accumbens, quem licet primum non agnoverint, deinceps tamen revera Eum fuisse sibi persuaserunt, quem mortuum luxerant. Ille autem jam abierat, quocirca redeuntes Hierosolyma adierunt, et e discipulis audierunt, *ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι.* Haec LUCAS, quorum breviter tantum mentionem facit MARCUS, qui addit, eos *ἀπελθόντας* haec annuntiasse *τοῖς λοιποῖς· οὐδὲ ἐκεῖνοις ἐπίστευσαν* illi. Hoc minime cum Lucana narratione pugnat; etsi enim, referente LUCA, plures de JESU in vitam reditu sibi persuaserunt, in primis propter apparitionem illam, quae PETRO contigit, tamen, cum ibi non tantum *τοὺς ἕνδεκα* adfuisse commemoret LUCAS, sed insuper *τοὺς σὺν αὐτοῖς* (s. 33), facile fieri potuit, ut inter hos nonnulli ne CLEOPAE quidem fidem habuerint; quid? quod ipsi adeo THOMAE commune omnium Apostolorum testimonium de JESU in vitam reditu deinceps non persuasit (Joh. XX: 25)! Hoc secundi Evangelii additamentum igitur nequaquam »*von einer Uebertreibung des Mar-*»*cus*" originem ducit, uti STRAUSSIUS monuit, cum accurata locorum collatio Evangelistarum in minimis quoque rebus doceat fidem historicam.

Ad finem vergente die, quo in vitam rediit JESUS, postquam laetum e CLEOPA nuntium audierant et cum eo ejusque socio communicaverant decem discipuli, ejusmodi quid non exspectantibus iis adstitit JESUS, quos

valde gaudentes alloeutus est, et, monente LUCA, πνεῦμα θεωρεῖν existimantibus iis corpus ostendit σάρκα καὶ ὀστέα habens. Nulla causa adest, cur ea, quae LUCAS de hisce narrat, pugnare statuamus cum iis, quae tradit JOHANNES; nam brevior hic, ubi plura habet ille, licet THOMAM abfuisse non addat; nec video, quidni in hisce idem saepius accidere potuerit, e. c. corporis contrectatio, ubi spiritum iterum videre opinati sunt, quidni bis coram discipulis edere potuerit JESUS, quo magis de ejus resuscitationis veritate sibi persuaderent, prouti haec infra JOHANNES tradit. Quominus autem statuamus, CLEOPAM cum socio, caeterosque τοὺς σὺν αὐτοῖς (sc. τοῖς ἕνδεκα) a discipulis discessisse, antequam iis JESUS apparuerit, LUCAE sane narratio minime impedit, imo vero nobis favet narratio Johannea.

Qui vero factum est, ut Angelus haud secus atque JESUS ipse de Galilaea locutus sit, eo, quo in vitam rediit, die, tamquam de loco, ubi discipulis appariturus esset, utque nihilominus ipso illo die pluribus jam conspiciendum se praebuerit? Scilicet, neque Hierosolymis, neque in Judaea jam tutus ab inimicorum insidiis cum amicis versari poterat: ipsi τῶν θυρῶν κεκλεισμένων — διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων congregati erant. Quod probe cognitum habens, inter medios amicos JESUS versari maluit, quam inter inimicos, qui jam de Ejus in vitam reditu certiores facti erant, quum etiam valde esset metuendum, ne inter vulgus hujus rei fama percrebesceret (Matth. XXVIII: 11—15). In Galilaea contra quam plurimi amore eum prosecuti erant, at

mortis nuntio audito, tristes mortuum lucturi fuissent. Omnibus igitur Galilaea potius adeunda erat, non ipsa illa, qua mandavit, hora, at festo Paschatis celebrato. Indicavit non tantum undecim discipulos, sed omnes omnino suos asseclas; ipsas quoque mulieres, quas in primis innuit Angelus apud MATTHAEUM; etenim verba *καὶ ἰδοὺ, προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν* non verba fuisse videntur, quae cum JESU *μαθηταῖς* communicare debuerunt, sed de ipsis mulieribus valuit illud: *ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε* = vos, mulieres (uti caeteri), ibi Dominum conspicietis! Ita quoque apud MARCUM et LUCAM (cf. XXIV: 9, *τοῖς ἕνδεκα καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς*); quocirca omnia egregie conveniunt. — Nam, licet omnibus amicis, praesertim in Galilaea, se conspiciendum praebiturus esset, tamen antea, ut tristes eorum animos erigeret, Hierosolymis adhuc versantibus illis Eum apparuisse, quis miretur, nisi STRAUSSIO faveat? Praeterea, ut recte OSIANDERUS (1), »*geht die skeptisch-sophistische Vergleichungs- und* »*Berechnungsweise der Erscheinungen* (STRAUSSII) »*von der willkürlichen Voraussetzung aus* (*in Hin-*»*sicht auf die bei Matth. verheissene Erscheinung*), »*man verabrede nicht eine zweite Zusammenkunft*, »*in einer Gegend, in der man die erste unbestimmt* »*lasse.*" Injuria difficultatem movet, Hierosolymis versatum esse Sospitatorem in vitam revocatum, antequam Galilaeam adiret, neque tamen cum VELTHUSENO, WESTIO,

(1) L. l. p. 337.

OLSHAUSENO (1) aliisque conjectura indigemus illa, qua statuamus, altera illa vice, qua undecim discipulis, una cum THOMA congregatis, JESUS apparuerit, Galilaeam eos jam adiisse, ibique illa accidisse. Etenim non tantum illis obstat, quod nullam itineris et mutati domicilii mentionem injiciat JOHANNES, sed in primis hoc, quod, assumta hac sententia, *τῶν θυρῶν κεκλεισμένων* (s. 26) nulla dari possit causa, quippe quod Hierosolymis quidem *διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων* necessarium, at in Galilaea supervacaneum prorsus fuisset. Conveniunt igitur Joh. XX: 26 sqq., ubi cum THOMA Sospitator locutus est, cum Marc. XVI: 14, ubi *ἀνακειμένοις τοῖς ἕνδεκα* apparuit, *καὶ ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν κτλ*, quod recte congruit praesertim cum THOMAE agendi ratione, de quo valebat, quod exprobat JESUS apud MARCUM, *τοῖς θεασαμένοις αὐτὸν ἐγηγερμένον οὐκ ἐπίστευσαν*. — Probabile igitur nobis videtur, Paschatis festo celebrato, discipulos Galilaeam adiisse; eorum nonnullos, JESUM exspectantes, prope mare Tiberiadis interea versatos fuisse, ibique Sospitatorem conspexisse, prouti narratur Joh. XXI; dein vero, quum omnes, quotquot arctiore vinculo cum JESU erant conjuncti, de Ejus in vitam reditu certiores facti essent, quam pluribus JESUM se conspiciendum praebuisse in monte Galilaeae (Matth. XXVIII: 16—20), prouti antea illud significaverat (Matth. XXVI: 32).

---

(1) Cff. VELTHUSEN, l. l. p. 135—139; G. WEST, *de Geschiedenis van de opstanding* etc. p. 235 sq.; OLSHAUSEN, *Comm.* II, 574.

At vero, ipso illo, quo e mortuis resurrexerat, die, JESUS discipulis praeceperat: *ὑμεῖς δὲ καθίσατε ἐν τῇ πόλει Ἰερουσαλὴμ, ἕως οὗ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους* (Luc. XXIV: 49), quibus monitis *ἐξήγαγε αὐτοὺς ἔξω ἕως εἰς Βηθανίαν· καὶ ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ, εὐλόγησεν αὐτούς — καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν*, s. 50 sq. Quomodo haec cum antecedentibus conveniunt, aut cum iis, quae ipse LUCAS narrat in Act. Apost. I: 3 sqq.? Hoc mihi objicientes nonnullos audio. Tenendum vero est, LUCAM monuisse, *δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενον* discipulis, his in terris JESUM versatum esse, quibus igitur, quae antea narravit, explicasse et illustrasse censendus est; quod, quidni statuamus, non video. Egregie enim Luc. XXIV: 48—51 conjungi ita possunt cum Act. Ap. I: 3—9, ut, quae illo loco brevius, hocce accuratius tradiderit. STRAUSSIO hoc minime placet, statuenti, nemini licere ab ipsius scriptoris verbis recedere, praesertim cum eo ducitur »metu, »ne fortasse variis scriptis sibi scriptor quidam re»pugnet; etenim quum altero serius alterum con»scripserit, fieri potest, ut interea plura melius, »quam antea ea cognovisset, edoctus sit;" quod et LUCAE accidisse ipse concedit (1). Attamen STRAUSSIUS, qui nonnumquam metuere videtur, ne scriptor cum alio aut secum ipse conveniat, quod ad rei summam attinet, nobiscum facit, eo tamen discrimine, ut LUCAM antea nescivisse statuat, quae postea conscripserit, quum con-

(1) Cf. l. l. II, p. 643, 714.

tra nobis praeplaceat statuere, LUCAM, quod antea brevius, deinde pluribus usum verbis scripto mandasse. Statuimus igitur, die quadragesimo post resurrectionem, proxime adstante Ejus ad coelum ascensione, postquam e Galilaea Hierosolyma redierat, JESUM discipulos adhortatum esse: *ὑμεῖς δὲ καθίσατε ἐν τῇ πόλει Ἰερουσαλὴμ.* Brevissime eodem modo haec narravit MARCUS ad Evangelii finem.

At nondum vidimus de longa illa serie difficultatum, quas nobis movere monuit STRAUSSIUS verba illa (Joh. XXI: 14), *τοῦτο ἤδη τρίτον ἐφανερώθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν.* Innuit scriptor eas apparitiones, quae pluribus discipulis, una congregatis, contigerant, quas in Evangelio Johanneo commemoratas videmus, caeterarum, quas silentio ipse praeteriit, nulla ratione habita. Scilicet Hierosolymis bis apparuit JESUS *τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ*, altera vice decem, undecim altera discipulis; ad mare Tiberiadis denique tertia vice. Tandem in Galilaeae monte conspicuus factus est redivivus Sospitator, quam apparitionem unus MATTHAEUS tradidit, XXVIII: 16 sqq. Hic solemnis mihi fuisse videtur conventus omnium, quotquot arctiore vinculo cum CHRISTO erant conjuncti, qui nondum omnes Eum post reditum in vitam conspexerant; quocirca facile fieri potuit, ut, quod addit MATTHAEUS (s. 17, *οἱ δὲ ἐδίστασαν*), nonnulli dubitaverint, quae verba minime undecim discipulos spectant, quippe qui saepius jam viderant, ibique exspectarunt redivivum e sepulcro Magistrum.

Num igitur Evangelistarum de JESU, a discipulis conspecto, narrationes tam vagae et abruptae sunt? Num adeo flocci sunt existimandae, ut nulla iis fides sit tribuenda? Num ex eo, quod non continua serie haec omnia tradantur, argumentum petendum est contra ipsarum apparitionum *veritatem?* Quod si omnia urgere velimus, ad literas attendentes, narrationum vero sensum negligentius indagantes, contorte sane in concordiam rediguntur ab Evangelistis relata, atque haec quoque causa est, quod adversarii plures moveant difficultates. Sic minime cum HIERONYMO (1) statuimus, MARIAM *Magd.* bis Dominum illo die vidisse, quo in vitam redierat, altera vice (Matth. XXVIII: 9) una cum caeteris mulieribus, altera vice (Joh. XX: 16) sola, prope sepulcrum; aut cum AUGUSTINO (2), qui, ne difficultatem moveant Angeli verba προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν *Γαλιλαίαν*, »Galilaea," inquit, »interpretatur vel transmigratio vel revelatio. Prius itaque secundum transmigrationis significationem, quid aliud occurrit intelligendum, *Praecedit vos in Galilaeam*, etc, nisi quia CHRISTI gratia de populo Israël transmigratura erat ad gentes? — *ibi eum videbitis*, id est, ibi ejus membra invenietis, ibi vivum corpus ejus in iis, qui vos susceperint, agnoscetis;" mysterium his in verbis suspicato. Quid? quod HARDUINUS (3) statuit, per Ga-

(1) L. l. 5.

(2) L. l. 86.

(3) Cf. PLESSINGIUS, l. l. I, p. 371. HARDUINO recentiori tempore

lilaeam Angelum intellexisse partem quamdam montis Olivarum! Ejusmodi certe interpretationes vehementer nocent Evangelistarum narrationibus, eadem ratione, qua aliorum repugnantias quaerendi studium, quo ductus, Fragmentista *Guelpherb.* (1) eandem habuisse videtur apparitionem in Galilaea, a MATTHAEO et JOHANNE commemoratam, quum de longe alia apparitione uterque loquatur.

Caeterum, perspicuitatis causa, hîc quoque adjicere liceat *narrationum* nostrarum, in concordiam redactarum, *conspectum.*

MATTHAEUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOHANNES.
XXVIII: 9, 10. Mulieribus obvius factus est JESUS.	XVI: 9. MARIAE *Magd.* JESUS conspiciendum se praebuit.		XX: 14—18. MARIAE *Magd.* JESUS conspiciendum se praebuit.
		XXIV: 34. PETRO redivivus apparuit JESUS.	
	12. Duobus e discipulorum numero JESUS apparuit.	13—33. CLEOPAE ejusque socio redivivus Sospitator apparuit.	

assensit C. P. SANDER, *Jezus, zijnen Apostelen op denzelfden dag zijner verrijzenis in Galilaea verscheenen*, qui de tabernâ in monte Olivarum, *Galilaeâ* dictâ, cogitandum esse censet!

(1) Cf. DOEDERLEINIUS, l. l. I, p. 190.

36 sqq.
Discipulis apparuit JESUS.

19—23.
Decem discipulis subito JESUS adstitit.

14 sqq.
Undecim discipulis apparuit in vitam revocatus Sospitator.

26—29.
Undecim discipulis, quum et THOMAS adesset, JESUS apparuit.

XXI: 1 sqq.
Septem apparuit discipulis ad mare Tiberiadis redivivus Sospitator.

16 sqq.
In monte Galilaeae discipulis JESUS apparuit.

Atque haec quidem hactenus. Viderunt discipuli Sospitatorem e mortuis resuscitatum, et cum Eo aliquamdiu versati sunt, antequam ad coelum adscenderet. Hac de re iis quam persuasissimum erat, atque nemo est, quin egregie eos sibi persuadere potuisse videat, de JESU in vitam reditûs veritate. Testes illos habemus *idoneos*, quibus *παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα μετὰ τὸ παθεῖν αὐτὸν ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις* (Act. I: 3), et qui de *re sub sensus cadente* testimonium ferunt. Attamen hoc ipsum, cum de eo addubitetur, accuratius exponere nobis liceat.

§ 2.

Jesu *redivivi apparitiones suadent, ut fidem habeamus iis, qui de illis testimonium ferunt.*

Quoties de re sub sensus cadente judicium ferunt homines, non ita metuendum est, ne errent aut falsa tradant, si saltem verum dicere velint, nec mente anteceptis opinionibus impediantur. In ipsam enim rem inquirere, ejusque adjuncta dijudicare iis datum est, adeoque majore fide digni sunt habendi, quod de JESU quoque discipulis valere statuimus. Iis enim conspiciendum se praebuit Ille, corpore indutus humano; Eum viderunt tantum discipuli, non vero inimici, quo quidem factum est, ut ab altera parte αὐτόπται desint, qui discipulorum confirment testimonium, simul vero hos redivivi testes dicimus idoneos. Apparuit JESUS homo hominibus et cum iis humana ratione versatus est, non ita quidem assidue ut antea solebat, verum tamen satis diu, ut de Ejus resuscitationis veritate egregie sibi persuadere potuerint. Haec autem non facile omnes nobis concedent. Ut dicta igitur confirmemus et probemus, singulatim nobis videndum erit *primum* de corpore, quo indutus, apparuerit JESUS, *deinde* de iis, quibus conspiciendum se praebuerit, ut *tandem* de apparationum indole constet, quae, si adversarios audire velis, nullam in re nostra probandi vim habent.

I. Scilicet, res sic sese habet, ut, quum negent

nonnulli, corpore humano indutum JESUM a discipulis conspectum esse, alii vero de visionibus cogitent, sponte pateat, hos de re sub sensus cadente loqui non posse, si JESUM in vitam revocatum discipulis conspiciendum se praebuisse dicunt. E re nostra igitur esse duximus, a quaestione exordiri: *Quonam corpore indutus fuerit, postquam in vitam rediit,* JESUS? Hac in quaestione dijudicanda valde discrepant virorum doctt. judicia, ita ut in tanta opinionum diversitate tutissimum sit habendum, unice, quid ipsis hac de re Evangelistis visum sit, quaerere. Breviter vero *primum* videbimus, quid alii de ea statuerint, ut *deinde* Evangelistarum de redivivi corpore opinionem nostram dicamus.

A. Tres potissimum inierunt vias in corporis CHRISTI natura dijudicanda Theologi, quorum alii CHRISTO e morte resuscitato aliud corpus tribuerunt, quam quo ante mortem fuerat usus, mutatum illud etiam quoad *substantiam;* alii idem corpus dixerunt, sed glorificatum, vel, prouti antiquiores loqui solebant, mutatum quod ad *qualitates* attinet; alii idem prorsus corpus fuisse existimarunt, quo ad crucem actus indutus fuerat.

De *Docetis*, *Phantasiastis*, *Phantasiadocetis*, vel quocumque nomine insigniri solcant, non est quod hîc dicamus. Illi enim corpus vere humanum JESU abjudicantes, phantasticum contra, vel quod humani corporis speciem tantum referret, ei tribuentes, atque ἐν δοκήσει Eum hoc nomine hominibus similem fuisse statuentes, non aliter de redivivo senserunt. At fuerunt, qui CHRISTO his in terris versanti, anteaquam mortem subiisset, cor-

pus humanum tribuentes, statuerent, corpore Eum indutum fuisse subtili et aethereo, e sepulcro progredientem, quod cum carne humana comparari non posset. Sic ORIGENES (*contra Cels.* II, 62.) ἦν, inquit, μετὰ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ, ὡσπερεὶ ἐν μεθόριῳ τινὶ τῆς παχύτητος τοῦ πρὸ τοῦ πάθους σώματος καὶ τοῦ γυμνὴν τοιούτου σώματος φαίνεσθαι ψυχήν, et alibi (III, 41.) corporis JESU ποιότητα mutatam esse dixit εἰς αἰθέριον καὶ θείαν ποιότητα. Sic quoque CLEMENS *Alexandrinus* et CHRYSOSTOMUS, quorum hic (ad Joh. XXI: 10): ἐφαίνετο γὰρ ἄλλῃ μορφῇ, ἄλλῃ φωνῇ, ἄλλῳ σχήματι, ἐπέστη πολλάκις τοῖς ἀποστόλοις καὶ οὐκ ἐγνωρίζετο. THEODORETUS, AMMONIUS (saec. 5.), ANASTASIUS *Sinaïta* (saec. 6) statuerunt, coram discipulis CHRISTUM non comedisse, cibo indigentem, verum ut iis de resurrectionis veritate (*realitate*) persuaderet; provocant ad clausas januas, per quas CHRISTUS transierit; ad modum, quo subito discipulis adstiterit, abierit, etc. At dubiae quoque interpretationis eorum verba videntur. Sic e. c. THEOPHANES (Hom. 35) corpus in substantiam ἀΰλιὰν transmutatum fuisse negat, verum in λεπτότητα spiritûs confirmat; alio loco ἄσαρκον μὲν, οὐκ ἀσώματον CHRISTUM dixit, quam tamen locutionem »ἄσαρκον" ex THEOPHYLACTO = ἀθάνατον interpretatur SUICERUS (*Thes.* v. ἀνάστασις), qui fluctuare hanc doctrinam animadvertit, quaerens: »si CHRISTUS post resurrectionem non »est ἀσώματος, ut jam supra confitentem habuimus THEOPHANEM, quî εἰς λεπτότητα πνεύματος mutatus?" Quod ad THEOPHYLACTUM attinet, hic σῶμα ἄφθαρτον

καὶ θεουδέστατον καὶ μηκέτι σαρκικοῖς νόμοις ὑποκείμενον Ei tribuit (ad Joh. XX), atque etiamnunc Ecclesia Catholica eandem profitetur sententiam. Postea plerique JESU resuscitati corpus, quoad substantiam, idem dixerunt, verum exstiterunt tamen, qui ab his recederent. Sic e. g. praecedente saeculo in patria nostra P. NIEUWLANDUS (1) CHRISTO redivivo sanguinem esse tribuendum negavit, et P. MARHEINECKIUS indutum CHRISTUM statuit »*mit solchem aetherischen Leibe, dem Geiste am* »*nächsten verwandt und eigen, selbst die Substanz* »*dieses irdischen Leibes*," etc. Aethereum quoque JESU fuisse corpus H. A. ZEIBICH, illudque sensim paulatimque ad Ejus in coelum ascensionem immutatum esse dixit OLSHAUSENUS; aethereo valde simile CHRISTO corpus tribuit KÜHNIUS, de quo inferius. Hi omnes ubi aethereum, subtile aut spirituale dixerunt corpus redivivi, minime hoc idem fuisse, quod antea, affirmare potuerunt, quia ita revera, quod attinet ad corporis materiem, immutatum fuisse dicendum est.

Fuerunt alii, qui idem corpus, sed *glorificatum*, CHRISTO tribuerent, et novis *qualitatibus* et attributis (ut antiquiores loqui solebant) ornatum: hi corpus dixerunt glorificatum, σῶμα τῆς δόξης. Ita IRENAEUS, TERTULLIANUS, CYPRIANUS, dixitque illud IRENAEUS μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἀφθαρτισθέν, atque ad corpus juvenis Naimitici provocans, idem illud, quod ante mortem, fuisse probavit (*Haer.* V, 12, 13). HILARIUS *Pictavien-*

(1) *Letter- en Oudheidkundige Verlustigingen*, IV, 233 sqq.

sis corpus CHRISTI dixit gloria divina exornatum; confirmant autem omnes revera nihilominus *corpore* CHRISTUM indutum fuisse, illudque *τὴν οἰκείην* habuisse *περιγραφὴν* (cum THEODORETO), imo, quoad substantiam, idem fuisse, quod antea, licet variis locis illud dicant *ἀθάνατον*, *ἄφθαρτον*, *ἀδιάφθορον*, *αἰώνιον*, *immortale*, *impassibile*, *incorruptibile* antiquae Ecclesiae Patres. Ita etiam AUGUSTINUS et LEO *Magnus* utramque sententiam conjungere student, idem fuisse corpus, sed glorificatum, statuentes, quod ille »nulla ulterius morte ab anima »resolvendum atque separandum" dixit, hic contra satis ambigue ita expressit (*serm.* 69, *de Resurr.*): »resur»rectio Domini non finis carnis, sed commutatio fuit, »nec virtutis augmento consumta substantia est. Qua»litas transiit, non natura defecit, et factum est corpus »impassibile — immortale — incorruptibile — nihil »remansit in carne CHRISTI infirmum, ut et ipsa sit per »essentiam et non ipsa sit per gloriam." Quos GREGORIUS *M.* aliique secuti sunt. Sed eorum verba saepe ambiguae sunt significationis, neque semper, quid proprie velint, dilucide exponunt, quod ex ipsius rei, aptis verbis non facile explicandae, indole repetendum esse videtur. Ipse GREGORIUS *M.* hoc profitetur (*Hom.* 26, in Evv.): »Palpandam carnem Dominus praebuit, quam »clausis januis introduxit. Qua in re duo mira et juxta »humanam rationem valde sibi contraria ostendit, dum »post resurrectionem suam corpus suum et incorrupti»bile et tamen palpabile demonstravit." Quid? quod THEODORETUS negat, corpus CHRISTI in *πνεῦμα* conver-

sum esse, et corporis naturam (*φύσιν*) non mutatam esse *εἰς ἑτέραν οὐσίαν*, ut, quid tandem velit, nescias, quum aliis locis de mutata corporis substantia dubitasse videatur. Iis annumerentur ANSELMUS *Cantuar.* et Scholastici quam plurimi. Antiquiores Theologi Lutherani corpus CHRISTI redivivi dixerunt *gloriosum, idem numero ac substantia, sed novis qualitatibus vestitum, scil., impalpabilitate, invisibilitate et illocalitate*, eique immortalitatem tribuerunt, tamquam *σῶματι τῆς δόξης*. Ita quoque HAHNIUS, KRABBIUS (infra laudandus) aliique Theologi de corpore glorificato (*verklärter Leib*) locuti sunt, etsi suam sententiam minime dilucide exposuerunt.

Tandem alii statuerunt, eodem corpore CHRISTUM fuisse indutum post resurrectionem, atque omnibus numeris simili illi, quo ante mortem usus fuerit, corpori, vulneribus crucis et supplicii sanatis. Hoc statuisse videntur EPHRAEM *Syrus*, GREGORIUS *Nyssenus*, EPIPHANIUS aliique, quorum hic *ὅλον τὸ σῶμα αὐτοῦ σὺν τῇ ἐνανθρωπήσει* in vitam rediisse docuit, a quo *ἀναστὰς ἐν αὐτῇ τῇ ἁγίᾳ σαρκὶ καὶ ψυχῇ τῇ ἁγίᾳ καὶ νῷ καὶ παντὶ τῷ σκεύει καὶ ἐν τῇ θεότητι ἡνωμένος τέλειος γέγονεν ἄνθρωπος* (*Haer.* 29.) CHRISTUS dictus est, licet et aliter alibi. Praesertim CYRILLUS *Alex.* *ἐν σώματι παχεῖ*, neque *γύμνον σάρκος* fuisse CHRISTUM statuit, et *πνευματικόν, τουτ' ἔστι λεπτομερὲς τε καὶ ἀερώδες καὶ ἑτερόν τι παρὰ τὴν σάρκα* fuisse corpus Ejus negat (ad Joh. XX), ad vulnera provocans, quae ostendit. Sic HIERONYMUS, alii. Cum iis recentiori tempore fecerunt

CALVINUS, quique ab ejus partibus steterunt. Idem confirmat SUICERUS, »verum CHRISTUM corpus retinuisse, »proprietatibus essentialibus vestitum, sed glorificatum, »et ab omnibus infirmitatibus liberum," statuens, et plures praecedente saeculo, e. c. HERDERUS, qui »*daher es wundersam*," inquit, »*und fast unbegreiflich* »*ist, wie die spätere Zeit diese körperliche leibhafte* »*Person, die sich handgreiflich als denselben Jesus* »*von Nazaret zeigte, zu einem geistigen Phantasma* »*habe machen wollen und machen dürfen* (1)," quam de CHRISTI corpore sentiendi rationem »*eine niedrige* »*Vorstellungsart*" alibi dicit; REINHARDUS, et etiamnunc WEGSCHEIDERUS, qui de corpore glorificato CHRISTI in vitam revocati nihil docere S. S. statuit; Cl. PAULUS et Rationalistae omnes, praesertim qui vere mortuum fuisse JESUM negarunt; LÜCKIUS (2), HASIUS (3), Doct. v. TEUTEM (4), et dubitanter Cl. PALMIUS (5), quibus addantur M. WEBERUS (6) aliique. At de his jam sufficiat (7).

---

(1) L. l. III, 8. VI, 10.

(2) *Comm.* in Joh. T. II, 683.

(3) *Leben Jesu*, § 124, ed. 3.

(4) *Onderzoek of* JEZUS, *na zijne opstanding uit de dooden, nog dezelfde was, als bij zijne vroegere omwandeling*, in Diario *Waarheid in Liefde*, 1838, III, 476 sqq.

(5) *Bijbel voor de Jeugd*, ed. 1, T. XXII, p. 258.

(6) *Doctrina Biblica de natura corporis* CHRISTI, 1825, p. 15 sqq.

(7) De hac quaestione quid statuerint Theologi, hîc illic monuerunt C. L. MÜLLER, in Disq. *de resurr.* J. C. — supra laudata.

B. Sacri scriptores, quos in tanta opinionum diversitate sequi tutissimum est, humanum JESU corpus tribuisse mihi videntur, idem illud, quo antea indutus et mortuus est, quaeque de Ejus vita nobis tradunt, postquam resurrexerat, huic sententiae omnino favent.

Dominum enim videns MARIA *Magdalena ἐκράτησε αὐτοῦ τοὺς πόδας*: ex Joh. XX: 17 tamen sequi videtur, JESUM, quominus revera id fecerit, eam prohibuisse. Etsi de vero horum verborum sensu non agamus, animadvertere tamen liceat, alios ex illis effecisse, eo tempore nondum plane sanata fuisse vehementissimi JESU supplicii vulnera (sunt autem hi, qui revera mortuum Eum fuisse negant, ut cl. PAULUS), alios ita probasse, novum, quo denuo in vitam reversus uteretur corpus, sensim paulatimque glorificari, nec hominum tactu impediri debuisse (ut OLSHAUSENUS, SCHLEIERMACHERUM fere secutus). Quibus vero sententiam suam fulciant, non facile afferent argumenta, quum revera redivivus JESUS, minime vulneribus debilitatus, appareat, nec caeteroquin illo die, quo in vitam rediit, discipulos invitasset, ad corpus suum manibus contrectandum (Luc. XXIV: 39). Quod ad priorem attinet sententiam, statuunt illi, quod probandum est. Et quaenam corporis glorificatio illa, quae manuum tactu impeditur! Certe MARIA *Magd.* corpore indutum humano JESUM vidit;

HAGENBACH, *Dogmengesch.* I, 321. HASE, *Hutt. Red.*, p. 263. WEGSCHEIDER, *Inst. Theol.*, ed. 7, p. 471, in primis SUICERUS, in *Thesaur. Eccl.*, in vocc. *ἀνάστασις* et *θύρα*.

nam continuo, JESU voce audita, Eum agnovit; causa vero, cur verbis *μή μου ἅπτου* usus sit JESUS, minime in *corporis* ejus *natura* est quaerenda, quod absurde WEISSIUS (1) statuit, scribens: »*dass nähmlich die Berührung* »*darum untersagt wird, weil der Körper noch ein* »*untastbarer sei.*" Huc quoque pertinet, quod CLEOPAE ejusque socio conspiciendum se praebuit *ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ* (Marc. XVI: 12), quod cave de proprie immutato corpore interpreteris: nam haec verba illustrat ipse LUCAS, qui, *οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτὸν* (XXIV: 16) de illis tradens, monet, causam apud ipsos quaerendam esse, quod non statim Dominum agnoverint. Ita quoque antea MARIA *Magd.* non continuo vidit, illum qui loqueretur JESUM esse, quandoquidem tum demum ad Eum se convertit, quum eam nomine compellaret JESUS: tum enim *στραφεῖσα ἐκείνη λέγει αὐτῷ κτλ.* (Joh. XX: 16). *Μορφὴ* igitur *habitum externum* denotat, qui immutatus quodammodo iis videbatur, postquam inimicorum injuriis eum traditum viderant, cui accedit, quod tribus diebus antea mortuum et sepultum ipsos alloquentem non exspectaverint. Non ipsius JESU forma, corpusque immutatum effecit, ut Eum non agnoscerent, sed quum minime exspectarent Eum duo illi amici, Ejus praesentiam non statim suspicati sunt; *κλάσας* vero panem *ἐπεδίδου αὐτοῖς*, et *αὐτῶν δὲ διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν*. Utrum igitur interea mutatus JESUS, an animus discipulorum?

(1) L. l. II, p. 395.

Scilicet verum jam opinati *ipsorum* oculi, qui antea JESUM non agnoverant, Dominum in vitam revocatum viderunt, neque causa adest, ob quam cum MÜLLERO (1) statuas: »neque inter Apostolos forsan vel eorum dis»cipulos defuerunt, qui putarent, CHRISTUM non semper »in pristino suo corpore apparuisse, sed interdum aliam »corporis speciem suscepisse, — vid. Marc. XVI: 12." Cum JESU accumbentes jam eandem gravitatem, eandem auctoritatem, quam antea, animadverterunt, quid? quod vulnerum cicatrices vim hìc habuisse existimandae sunt (2), atque falso omnino MARCI et LUCAE verba supra allata interpretatus est STRAUSSIUS (3), statuens, LUCAM illud *μὴ ἐπιγνῶναι αὐτὸν* tribuisse, »*einem durch höhere* »*Einwirkung in ihnen hervorgebrachten subjectiven* »*Hinderniss*," MARCUM vero, »*einer objectiven Ver*»*änderung seiner Gestalt.*" Caeterum in verbis *ἄφαντος ἐγένετο* miraculum fere invenerunt nonnulli, adeo

(1) L. l. p. 24.

(2) Lubenter assentimus Doct. v. TEUTEM, l. l. 476, nota: »Als »Markus zegt, XVI: 12, *ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ*, dan mag dit niet beteekenen *in een ander gewaad*, gelijk GROTIUS het opvat; maar er is zeker »nog minder reden om het met FRITZSCHE voor eene interpolatie te »houden. — Vs. 12 staat op zich zelf, en niet in tegenstelling van »vs. 9. Even als wij in het dagelijksche leven zeggen: »hij is een »geheel ander mensch," zoo zegt Markus, *in eene andere gedaante*, »niet om eene verandering der substantie van JESUS ligchaam, maar »van JESUS voorkomen en JESUS zijn naar het uitwendige daar»mede te kennen te geven."

(3) L. l. II, p. 660.

ut scripserit OLSHAUSENUS (1): »*Die einzige richtige* »*Auffassung ist, dass seine ganze Erscheinung, sein* »*Kommen, sein sich zu erkennen geben, sein Gehen* »*etwas Geheimnissvolles hatte. Obgleich derselbe,* »*war doch sein Seyn und Wesen erhöht, geweihter* »*wie sonst. Seine Erscheinungen, obgleich körper-* »*lich, waren doch denen himmlischer Wesen ähn-* »*lich.*" At vero ita minime idem fuit JESUS; nam qui nunc ἐν δοκήσει, phantasmatis instar, inter homines versabatur, antea revera ἄνθρωπος fuerat.

Qui corpus JESU tribuunt aethereum vel glorificatum, nonne majori jure provocant ad Joh. XX: 19: τῶν θυρῶν κεκλεισμένων — ἔστη εἰς τὸ μέσον redivivus Sospitator? Nonne *modus* hîc significatur, quo JESUS discipulis adstiterit, transiens scilicet per clausas januas? Quod jam Patres monuerunt, quod EUTHYMIUS confirmat, ὡς θεὸς καὶ ὡς λεπτοῦ ἤδη καὶ κούφου καὶ ἀκηράτου γενομένου τοῦ σώματος αὐτοῦ JESUSne intravit? Illi sine dubio legerunt διὰ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, quum hujus praepositionis absentia longe aliud quid innuat: illi sine dubio non attenderunt ad verba διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, quae causam mihi significare videntur, cur clausae fuerint januae (2). »Facessant istae pueriles »argutiae!" CALVINUS aequalibus suis jam dixerat, et licet

(1) Comm. II, 569.

(2) Cff. quae de hoc loco monent STRAUSSIUS, l. l. II, 667 sqq. et LÜCKIUS, Comm. in Johann. T. II, 683 sqq. De verbis illis, miraculum in iis inveniens, scripsit *Exercitium Theologicum* C. GÜNTHER, Lips. 1693.

recentiori tempore hanc interpretationem rejecerit OLSHAUSENUS, et THOLUCKIUS minoris eam fecerit, uterque tamen huic narrationi miri quid inesse statuit. JOHANNES autem de *homine*, vere videndum se praebente, cogitavit; ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς, inquit, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, et s. 26, ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς τῶν θυρῶν κεκλεισμένων etc. Venit igitur, ut omnes venire solent, certo non ab iis exspectatus, verum non mira quadam ratione, et cum mox ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ, quam ob causam hoc fecisse JESUS existimandus est? Quare, tradente LUCA, ἴδετε, dixit, τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου· ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι· ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε· ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα (XXIV, 39)? Num igitur, qui χεῖρας et πλευρὰν habet, clausas transire januas solet? Quocirca recte CALVINUS dixit, CHRISTUM non intrasse per januas clausas, verum cum clausae essent januae, quod SUICERO ita explicandum esse videtur: »cum fores clausae fuissent, »sed quae, Domino veniente, subito patuerunt ad nu»tum divinae majestatis ejus;" sed hoc corporis ejus naturam non spectat. Patet praeterea ex narratione Lucana, a discipulis Eum accepisse ἰχθύος ὀπτοῦ μέρος, καὶ ἀπὸ μελισσίου κηρίου, quae λαβὼν, ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν. Edit autem JESUS, non tantum eo consilio, ut non amplius discipuli ἔμφοβοι γενόμενοι putarent πνεῦμα θεωρεῖν, sed ut probaret, omnino se *hominem* esse, qualis ante mortem cum iis versatus erat. Opponit quidem hisce OLSHAUSENUS(1):

(1) L. l. II. 572.

»*Wenn daher der Erlöser — vor ihnen isst, so kann* »*daraus durchaus nicht, wie schon erinnert ward,* »*gegen den verklärten Leib Christi argumentirt* »*werden, denn dieser ist ja ein wahrhafter Leib.* »*Nur darf man das Essen nicht aus einem realem* »*Bedürfniss ableiten, das freilich mit dem ver-* »*klärten Körper sich nicht vertragen würde, son-* »*dern es ist bloss als Beweismittel der Realität* »*seines Leibes anzusehen.*" At quaerere tamen liceat, quo tandem consilio JESUS ederit, quid tum edendo probaverit? Corpore se indutum esse *glorificato* procul dubio, qui neque πνεῦμα esset, nec corpore uteretur humano; sed intellectu difficilior mihi videtur modus, quo de corpore CHRISTI locutus est OLSHAUSENUS, quam aut JESU agendi hac in re ratio, aut a LUCA JOHANNEque relata. Quid denique sibi velit illud: »*denn dieser* (corpus glorificatum) »*ist ja ein wahrhafter Leib*," non recte intelligo. Nam *verum* corpus vulgo *humanum* dicimus, cibo indigens, loci temporisque legibus obtemperans. Humanum igitur corpus an minus recte *verum* corpus est dicendum? De JESU ad mare Tiberiadis agendi ratione idem valet, ubi eo consilio, cibum Eum cepisse, putamus, ut probaret, se *hominem* esse et *humano* corpore indutum, prouti ante crucis mortem tali fuerat usus. Caeteroquin discipulos fefellisse (quod absit profecto a Sanctissimo!) JESUS fere censendus esset.

Ex ipsis verbis, quibus Evangelistae utuntur, ἐφάνη, ἐφανερώθη, ὤφθη, ἐφανέρωσεν ἑαυτόν, quomodo aliquid efficiant, ut lucem huic quaestioni afferant, non

video. Quibusnam enim verbis uti debuissent, ut significarent, JESUM *visum esse* ab aliis, aut *videndum se praebuisse* discipulis *corpore humano indutum?* Quidni illa verba optime in suos usus convertere potuerunt Evangelistae? His quoque verbis STRAUSSIUS (1) nimis tribuit, statuens: »*Hier nun können schon die Aus-*»*drücke, durch welche die Erscheinungen Jesu ein-*»*geführt zu werden pflegen, namentlich ὤφθη —* »*u. s. w. — auf etwas Uebermenschliches hinzuwei-*»*sen scheinen*," qua in re multos sibi assentientes habet. At vero, licet alibi verba illa de Angelophaniis quoque adhibeantur, tamen rem sub sensus cadentem optime significant, neque iis quidquam inest, quod, si in se illa verba spectamus, notionem contineat extraordinarii aut insoliti. Quocirca MÜLLERI (2) verba nobis vindicare liceat: »Si vero Apostoli," ait ille, »corpus illud, »quod tam diligenter ab iis examinatum fuisse videmus, »tale habuissent (sc. glorificatum), mirum sane esset, »quod Evangelistae ne uno quidem verbo indicassent, »se aliquid miri vel insoliti in eo loquente, comedente, »membra corporis movente deprehendisse, aut id, quod »manibus ipsorum contrectaretur, quicquam a vulgari »carne diversum fuisse." Quod si vero verbis vim aliquam tribuere velimus, omnino, quae leguntur Matth. XXVIII: 9, *ὁ Ἰησοῦς ἀπήντησεν αὐταῖς*, aut Luc. XXIV: 15, *ἐγγίσας συνεπορεύετο αὐτοῖς*, omnem speciem extraordi-

(1) L. l. II. 666.

(2) L. l. p. 8.

narii et insoliti removent, atque igitur male idem MÜLLERUS (1), postquam probare conatus est, Apostolos CHRISTO redivivo tribuisse corpus, a pristino diversum, ita inferius pergit: »praecipue tamen illa ratione mystica »atque miram prae se speciem ferente, qua CHRISTUS »saepius suos improviso supervenisse atque subito reli»quisse videtur, eo perduci potuerunt, ut CHRISTUM »Angelorum instar superne descendisse putarent," quod, quomodo ex S. Scriptorum verbis effecerit, non intelligo.

Data opera in primis KRABBIUS (2) et KÜHNIUS (3) probare conati sunt, JESUM in vitam revocatum, alio corpore, praestantiore illo, quam quo ante mortem usus fuerit, indutum fuisse. Provocat ille ad loca Rom. VI: 9, Phil. III: 21, unde *σῶμα πνευματικὸν* CHRISTO esse tribuendum jure statuisse sibi visus est, praesertim eam ob causam, quod sibi faventes habere putat Evangelistarum narrationes de JESU in vitam reverso, cum discipulis versante. Hae quatenus illi faveant, jam vidimus. De locis vero, ex PAULI epistolis allatis, infra videbimus, quippe quae ad dogmaticam magis JESU resurrectionis significationem exponendam valeant. Quod ad KÜHNIUM attinet: »*es bleibt* »*uns mithin*," inquit, »*wenn wir evangelische Chri*»*sten sein wollen, nichts anderes übrig, als uns zu* »*der anderen Annahme zu bequemen, dass er* (JESUS) »*schon bei diesem Vorgange* (reditum in vitam dicit)

(1) L. l. p. 21.

(2) O. KRABBE, *Die Lehre von der Sünde* etc., p. 299 sqq.

(3) F. KÜHN, *Wie ging Christus durch des Grabes Thür?* 1838.

»*einen solchen unvergänglichen Leib erhielt*," quod deinde ita describit: »*und so kann also auch Christi* »*Leib bei seiner Auferstehung — kein Elementari-* »*scher geblieben, sondern muss in eine Art von äthe-* »*rischem umgewandelt seyn, d. h. in einen solchen,* »*dessen Natur von der Beschaffenheit ist, dass er ein* »*Mittelding von Geist und Körper bildet, und dessen* »*Substanz man daher weder zu den materiellen noch* »*zu den immateriellen Dingen rechnen kann* (1)." Ne sacram Scripturam sibi repugnantem habeat, omnino vereor, nec multis haec refutare nostrum est, quum praeterea ipse concedat: »*wie es einen solchen verklarten Leib ge-* »*ben kann — bleibt uns für jetzt allerdings unbegreif-* »*lich.*" At sex potissimum argumentis sententiam suam probare conatur, quorum alterum e. g. e *lucis* analogia petiit, cui »*proprietates corporeas et spirituales*" tribuit (2), et corpus JESU non dissimile fuisse statuit. Imo, ut ne dubii haereamus, totidem verbis dicit: »*und* »*steht es also fest, dass Christus in einem unver-* »*gänglichen Leibe auferstand, so kann er auch in* »*demselben keine leiblichen Bedürfnisse mehr emp-* »*funden haben, sondern müssen ihm Ruhe und Schlaf,* »*Speise und Trank, Athemholen und Bewegung u.* »*s. w. entbehrliche Dinge geworden sein* (3)." Quatenus *Docetis* annumerandus sit KÜHNIUS, equidem de-

(1) L. I. p. 34.
(2) L. I. p. 36.
(3) L. I. p. 19.

cernere non ausim, sed vel superioribus refutata, vel jam mittenda haec esse existimamus. Quantum hoc nobis licuit, e S. S. verbis effecimus, corpore indutum humano, eodem quo antea, cum discipulis suis JESUM versatum esse. Quo magis autem de horum testium fide constet, breviter de illis videamus, quibus JESUS in vitam revocatus conspiciendum se praebuit.

II. Habemus, quod laetemur, eos, *quibus conspiciendum se* JESUS *praebuit*, non tantum hoc non exspectasse, sed etiam non facile hac de re sibi persuasisse, quos et veri amantes, verum tradidisse, et de re sub sensus cadente optime judicare potuisse, novimus. Apparuit undecim discipulis in vitam revocatus plus semel, imo quingentis fratribus. Hos JESUS testes habet suae e mortuis resuscitationis; his plura hominum millia e Judaeis et Ethnicis deinceps fidem non negarunt; hos innumera multitudo Christianorum per XVIII saecula testes veneratur ἀξιοπίστους JESU resurrectionis. His igitur fidem quoque habeat STRAUSSIUS; nam, in vitam rediisse JESUM, testes, a partium studio alieni, certa nec diversa ratione memoriae tradiderunt, quod ipse postulat: »*Verbürgt* »*wäre uns die Auferstehung Jesu, wenn sie von* »*unparteiischen Zeugen auf bestimmte und zusam-*»*menstimmende Weise beurkundet wäre* (1)." Antea probavimus, hoc ipsum valere de Evangelistis et Apostolis, hoc vero negare STRAUSSIUM, testes hosce dicentem a partium studio minime alienos: »*Nur seinen Anhän-*

(1) L. l. II, 682 sq.

»*gern habe sich Jesus gezeigt: warum nicht auch* »*seinen Feinden*," ut et hi testimonio suo efficerent, ne JESU discipuli fraudis accusari potuissent? Idem jam CELSUS (1) aliique religionis Christianae adversarii, idem, odiosis verbis usus, Fragmentista *Guelpherb.* (2). Certe minime conspiciendum se inimicis praebuit, vel populo Judaeo, redivivus Sospitator (3); at quaerimus, utrum

---

(1) ORIG. *c. Cels.* II, 63 sqq.

(2) DOEDERLEINII *Fragm. u. Antifr.* I. p. 134. »*Die Wahrheit* »*darf sich ja nicht verstecken, oder verkriechen; und zwar eine* »*solche Wahrheit, welche unter uns*" (Judaeus loquitur) »*bekannt* »*und geglaubet werden sollte. — Oder sollten wir ihn nur in seiner* »*armseligen Gestalt, und zuletzt am Kreuze hangen und sterben* »*sehen, um uns an ihm zu ärgern? auferweckt aber, lebendig,* »*und in seiner Herrlichkeit nimmer zu sehen bekommen?*" *u. s. w.* cf. p. 196, »— *in den Erscheinungen Jesu — ist dieses merklich,* »*dass sie insgesammt allen übrigen ehrlichen* (!) *Leuten unsichtbar.* »*allein aber den Jüngern Jesu sichtbar gewesen seyn sollen*—".

(3) Miraculo sane CHRISTO opus fuisset, si, quominus aliquis e Judaeis ipsum videret, impedire voluisset, licet cavisse, ne ab iis publice conspiceretur, censendus sit. Ostendit Ven. J. L. NIJHOFF: *Iets omtrent de bedenking: Waarom is Jesus na zijne opstanding ook niet aan zijne vijanden verschenen?* in Diario, *Godgel. Bijdr.* XIII (1839), p. 176 sqq., populum Judaeum, quique JESU erant inimici, optime Eum conspicere *potuisse*, et, si Eum non viderint post reditum in vitam, causam quaerendam esse apud Judaeos, non vero apud JESUM. Provocat ad Matth. XXVIII: 7, coll. 10; 1 Cor. XV: 6, monens, vel mulieres, vel D illos ἀδέλφους, famam de JESU in vitam reditu procul dubio inter alios, qui non e numero erant discipulorum, pervulgasse, atque inimicos, qui de conventu isto audiis-

Judaei igitur testes fuissent a partium studio alieni, utrum iis, qui, *ψευδομάρτυρας* et milites corruperunt, utrum populo, qui *Σταυρωθήτω!* clamavit, major fides habenda sit, ubi aequum quaerimus testimonium? Sed minime de Apostolorum *ἀξιοπιστίᾳ* detrahit, quod inimicis JESUS se conspiciendum non praebuit, nam spectat potius haec quaestio ipsum Sospitatorem, quam Ejus discipulos. Horum quam plurimi Eum conspexerunt, fidemque iis habuerunt multi; neque tamen umquam, etiamsi populo Judaeo quoque apparuisset JESUS in vitam revocatus, STRAUSSIUS, et qui cum eo facientes JESU in vitam reditum negant, nobis assentient, negantes scilicet, »mor»tuum in vitam redire posse." At fortasse cogitat ille de morte syncoptica (1), quam caeteroquin sententiam acerbe carpit; quid? quod ipse concedat necesse est, discipulos, quia JESU resuscitationem non exspectaverint, testes idoneos, a partium studio alienos, habendos esse.

Non est quod hîc de causis agamus, cur Judaeis JESUS

---

sent, novitatis studio ductos, JESUM conspicere potuisse. Refutandum Virum Ven. sibi sumsit anonymus K. ibid. p. 490 sqq., provocans ad Joh. XX: 29 et Act. Ap. X: 40, 41. — Concedimus, JESUM in vitam revocatum publice numquam apparuisse aut inimicis aut Judaeorum cuidam conventui, eo consilio, ut iis de resuscitationis suae veritate persuaderet. — Judaeos autem Sospitatorem vidisse post reditum in vitam, LESSIO, ROSENMULLERO, PLESSINGIO aliisque jam verosimile visum est. Exstat etiam Progr. FEUERLINI, *de Jesu resuscitato, ab hostibus etiam viso, a solis familiaribus recognito*, Gott. 1750.

(1) Cf. l. l. II, 632.

se conspiciendum praebere noluerit, nisi eatenus, quatenus ad supra memoratam objectionem refutandam valeat disputatio nostra. Statuunt illi, Judaeos, conspecto JESU, crediturос fuisse, quos testes igitur haberemus Ejus resurrectionis. At minime illud concedimus. Per tres enim fere annos publice inter eos versatus est, miraculis, beneficiis, doctrina, persona sua omnes ad se invitans; at noluerunt isti. Publicam vitam excepit mors. Crucis supplicium subiit, quo palam significarunt Judaei, Messiam se rejicere, quem proavi exspectaverant. »Cur »non" (ut quaerentem audimus CALVINUM ([1])) »in me»dio templo et foro illustria victoriae suae tropaea »CHRISTUS statuit? Cur non formidabilis prodit in »conspectu PILATI? Cur non etiam redivivum se sa»cerdotibus et toti Hierosolymae probat?" Quia reditus in vitam novae vitae erat initium, qua non amplius improborum injuriis obnoxium aut inimicorum conviciis laedi, nec denuo captivum abduci crucique affingi Eum oportuit. »*Er war aus der Zahl der Lebendi»gen weggestrichen*" (ut recte HERDERUS ([2])) »*und »bürgerlich ein Ehrloser, Verfluchter, Verabscheu»ter worden. Hier hatte er also nichts mehr zu »schaffen. — Für diese Welt hatte er vollendet.*" Statum examinationis exceperat status exaltationis, ut antiquiores loqui solebant. Consilium jam exsecuto, per aliquot dies adhuc fides Ei erat confirmanda testium

([1]) *Inst. Rel. Chr.* III, 25, 3.

([2]) l. l. III, § 5.

ἀναστάσεως suae, quos sibi elegerat, ut deinde in coelum rediret. Quam difficile JESU fuisset, denuo in publicum prodeunti, omnibus satisfacere! Alii manibus Eum palpare, cum eo edere alii voluissent, quum Judaeorum proceres, *Δαιμόνιον ἔχει!* clamantes, Judaeos ipsos σημεῖον petentes, audiisses, vel potius πνεῦμα θεωρεῖν opinati fuissent et aeque minus atque antea fidem JESU habuissent. Quid? quod mortuum in vitam redire non posse statuunt illi, qui jam de JESU, inimicis se conspiciendum non praebente, conqueruntur!

Quid vero diutius moramur? Nullam proprie haec quaestio movet difficultatem; nam sive rem spectes a parte JESU, sive a parte Judaeorum, in factis tuto quiescamus. Insuper animadvertendum est, quod egregrie J. G. MÜLLERUS (1): »*Ebensogut kann man fragen*," inquit: »*Warum hatte er sich ihnen zeigen sollen? Solche* »*Fragen kann mann tausende thun: — Für sein* »*Volk hatte Jesus genug gelebt, und er rufte nicht* »*vergebens (auch in dem Sinn): »es ist vollendet!*" — »*Sein neues Leben, der Anfang seines herrlichen* »*Lohnes, sollte den stillen Freuden mit seinen Freun-* »*den, ihrer Belehrung und Bildung, durch die sie* »*die Pflanzschule des Reiches Gottes werden soll-* »*ten, gewidmet seyn.*"

Quae cum ita sint, eandem fidem habemus Apostolis, qui redivivum cum conspexerunt, acsi inimicis quoque apparuisset JESUS. Edentem Eum viderunt illi, ipse THOMAS non amplius dubitavit, THOMAS ille, »*der seinen Glau-*

(1) *Vom Glauben der Christen*, II, 4, 27, *Anm.*

»*ben in der Hand haben wollte*,« ut HERDERUS dixit; qui de resuscitationis veritate sibi persuasit, atque ita idoneos testes habemus illos, qui de se testari potuerunt, quod PETRUS affirmavit: *τοῦτον ὁ Θεὸς ἤγειρε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι· οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἡμῖν, οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν* (Act. X: 40, 41).

III. His vero disputatis, restat, ut paucis denique *de ipsarum apparitionum indole* videamus, ut de ratione constet, qua cum amicis JESUS versatus sit post reditum in vitam.

Ex antecedentibus jam satis superque patuit, JESU redivivi apparitiones a nonnullis minus recte dici *visiones;* quo significant, discipulos JESUM mente vidisse et cogitatione, non vero corpore indutum, at singulari ratione, Ejus reminiscentes et phantasiâ se cum Eo versari sibi persuadentes. Sic quam plurimi de JESU apparitionibus cogitarunt, qui Ejus reditum in vitam negarent, neque tamen cum Deistis, Fragmentista *Guelpherb.* aliisque fraudi omnia tribuerent. Sic STRAUSSIUS statuit, Evangelistarum narrationes de JESU, a discipulis conspecto, minime nobis praebere »*eine klare historische* »*Anschauung der Sache*,« verum fragmenta tradere et »seriem potius *visionum*, quam historiam ordine »procedentem (1).« Denuo provocat ad repugnantias, de quibus jam egimus, et ad PAULI Apostoli conversionem, quam dicendam esse negat: »*eine äussere objective*

(1) L. l. II, 684.

»*Erscheinung des wirklichen Christus;*" hujus exemplo probari statuens, »*dass starke Eindrücke von der* »*jungen Christengemeinde ein feuriges Gemüth, dass* »*ihr längere Zeit entgegengestrebt hatte, bis zur* »*Christophanie und völligen Sinnesänderung steigern* »*konnten.*" Ita quoque STRAUSSIO visum est, omnia, quae de JESU persona antea vidissent discipuli, eo valuisse: »*seine unmittelbaren Schüler im Kampfe mit* »*den Zweifeln an seiner Messianität, welche sein* »*Tod in ihnen erregt hatte, zu ähnlichen Gesichten* »*zu begeistern.*" Quae mox addit, antecedentibus non recte conveniunt, quum naturalisticae ubique interpretationi vehementer antea se opposuerit; scilicet, ut discipulorum Christophanias rite explicemus, in auxilium vocari sinit naturae *φαινόμενον* q. d., sive fulmen seu tonitru. At haec omnia, de JESU apparitionibus non proprie accipiendis, monita hac nituntur conjectura, ipsos per se eo usque pervenisse JESU discipulos, quod omnino negandum esse, luce clarius supra (1) nobis patuit. Quo jure mox ad 1 Cor. XV. provocarit, infra videbimus; at dolendum est, eum non probasse, quae jam sequuntur: »*es ist ganz natürlich — dass die* »*Christophaniën — sich, vermöge des apologetischen* »*Bestrebens, alle Zweifel an der Realität derselben* »*abzuschneiden, immer mehr consolidirten, von stum-* »*men Erscheinungen zu redenden,*" (illas autem, quas *mutas* dixit *apparitiones*, ipse STRAUSSIUS excogitavit)

(1) P. 89 sqq.

»*von geisterhaften*" (quod conjecturâ, nondum probatâ, nititur) »*zu essenden, von sichtbaren zu hand-*»*greiflichen wurden* (1)." Quae referre sufficiat, quoniam neque *Traditioni*, nec discipulorum phantasiae tribuenda esse, quae de JESU in vitam revocato, a discipulis conspecto, tradita sunt, probavimus, atque revera, corpore indutum humano, JESUM cum discipulis versatum esse vidimus. Quocirca STRAUSSII ratiocinatio, usque dum psychologice probaverit, quod historia acriter negat, ipsos scilicet discipulos per se credidisse, in vitam rediisse JESUM, dicenda semper erit *petitio principii*.

Alia ratione Evangelistarum narrationibus vim inferre ausus est WEISSIUS, statuens, discipulos de corpore tantum *glorificato* cogitasse, quod tamen manibus contrectari non posset, quum, eo monente, ex inferis ad coelum continuo adscenderit spiritus defuncti, et quoties suis videndum se praebuerit (at alio vocis sensu, quam quo nos ea usi sumus), e coelo Eum descendisse. Unam enim esse e mortuis resurrectionem cum ascensione ad coelestes sedes, statuit, quocirca »*jede einzelne Erschei-*»*nung des Herrn ein Herabsteigen von der Höhe war,* »*zu der er, verschwindend, jedesmal sich aufs neue* »*erhob.*" Monet, primum in Galilaea amicis suis JESUM in vitam revocatum apparuisse, et narrationes apud LUCAM et JOHANNEM postea esse confictas, ut JESUM, humano corpore indutum, edisse etiam comprobarent. Ita e. c. apparitionem, quae MARIAE *Magd.* contigit, ex-

(1) Cf. l. l. II, 687 sqq.

inde ortam esse censet, »*nicht dass Jesus aus dem* »*Grabe, sondern dass er aus dem Hades aufer-* »*stand, so dass er also recht eigentlich auf seinem* »*Wege vom Hades zum Himmel der Magdalena* »*begegnet wäre:*" unde explicanda esse statuit *tum* JESU verba, *μή μου ἅπτου, tum* Ejus ad discipulos mandatum, »se jam continuo Patrem adire" (1). O simplex Evangelistarum, ipsiusque JESU verborum interpretatio! Nonne JESUS illa opportunitate dixit, *οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου· κτλ.*? Nonne diserte distinguunt discipuli inter reditum JESU in vitam et in coelum ascensionem? Quare *Traditioni* fictrici omnia tribuit, quaecunque cum opinionibus Philosophi non congruant?

Non est quod moneamus, WEISSIUM caeteras JESU apparitiones alio modo interpretari debuisse, quam eam, quae MARIAE *Magd.* contigit; quocirca favere eum quodammodo videmus interpretationi Mythicae, a STRAUSSIO parum differentem. Narrationem enim de JESU, a CLEOPA socioque conspecto, depingere statuit rationem, qua sensim sensimque sibi persuaserint discipuli illi »*über die* »*Messiaswürde ihres Meisters und über die Welt-* »*geschichtliche Bedeutung und Nothwendigkeit sei-* »*nes Todes*," alteram autem apparitionem, qua ad mare Tiberiadis septem discipulis conspiciendum se praebuisse JESUS narratur, PETRI et JOHANNIS in primis causâ memoriae traditam esse dicit. Vaticinium, in illa nar-

(1) Cf. l. l. II, 395 sqq.

ratione obvium, proprie non spectat duos illos discipulos, »*als vielmehr die in ihrer Person beginnenden und* »*vorläufig durch sie vertretenen kirchlichen Tenden-*»*zen und Richtungen* (1)." Hanc *symbolicam* dixit interpretationem, quam vero num hic admittere liceat, quaerenti negando respondendum est. Fieri potest, ut scriptor doctrinam quamdam aut sententiam, quo clarius eam enunciet, historiae quasi veste induat, quae igitur non ad literam sumenda, verum involueri instar habenda est. Antiquissimo aevo, quae de rebus metaphysicis et de religione cum aliis communicare vellent, neque verbis ita nude exprimere possent, sub imaginibus proponebant, aut historicam indolem iis tribuentes, hanc historiam tamquam σύμβολον, *indicium*, *signum* habebant rei cogitatae. Ejusmodi historiae interpres, ut sensum symbolicum agnoscat, ad scriptoris consilium attendens inquirat, utrum sensum quaerere liceat symbolicum, quum fortasse meram historiam tradere sibi proposuerit scriptor. Quo melius deinde errorem evitet, quo sensum in narrationem interpretandam infert, diligenter indaget, annon fortasse apud alium scriptorem vestigia ipsi occurrant ejusdem narrationis, ut ita, comparatione instituta, constet de historiae vel sensu proprio vel sensu symbolico. Ne de caeteris dicamus rationibus, quibus ideae aut res *signis* vel *symbolis* significentur (2), unice hunc, de quo

(1) L. l. II, 406.

(2) Sponte quoque patet, minime nostrum esse, regulas praescribere interpretationis symbolicae, quum unice, quod ad rem nostram

locuti sumus, spectemus historiae usum symbolicum, quatenus eum in Evangelio Lucano et Johanneo reperisse sibi visus est WEISSIUS. Symbolice LUCAM (XXIV: 13 sqq.) proponere voluisse statuit, CLEOPAM ejusque socium sibi persuasisse de JESU mortis eamque secuturae gloriae necessitate, quam Messiae V. T. vaticinia tribuerant et de Eo praedixerant, uti et de Ejus *praesentia spirituali*. Attamen miramur, LUCAM, scriptorem historicum, qui plura, ad religionem spectantia, propriis verbis usus, jam tradiderat, ad finem libri has CLEOPAE ejusque socii cogitationes hoc modo improprie proposuisse, nec potius simplici ratione eam rem cum lectoribus communicasse. Praeterea hoc ejus consilium minime fuisse, patet ex eo, quod *ipsum* JESUM loquentem informat, coram discipulis S. Scripturam interpretantem; quam difficultatem animadvertens, WEISSIUS Evangelistae verba infringit, iisque e sua copia quaedam addens, tacite concedit, symbolicam hanc interpretationem non sufficere. Ipsum enim si audias: »*Da ward in ihnen*," inquit, »*sei es durch einen oder* »*den andern aus ihrer Mitte selbst, oder durch* »*einen derjenige Jünger, welche in dieser Einsicht* »*bereits weiter vorgeschritten waren, — der Gedan-*»*ke angeregt, u. s. w.* (1)." Ita philosophus noster loco Sospitatoris, revera cum discipulis colloquentis, substituit unum alterumve, rem melius edoctum, disci-

---

vindicandam valere possit, breviter attingamus, Horatiani memores: »Quid ferre recusent, quid valeant humeri."

(1) L. l. II, p. 401.

pulum, quod nec LUCAS illi concesserit, nec WEISSIUS sibi licere facile probaverit. Deinde ss. 22—24 ad factum, quod historia tradidit, respiciunt arcteque cum antecedentibus conjunctae sunt, de quorum veritate historica, uti probavimus, dubitari non potest. Ss. 28—30 superfluae videntur, cum CLEOPAE sociique cogitationes symbolice proponentis nihil interesset, utrum Emmaunte accubuerint aut ederint una cum JESU (ex WEISSII vero sententia, sine dubio cum discipulo illo, rem melius edocto). Accedit, quod MARCUS simplicissima ratione narrat (XVI: 12): *μετὰ δὲ ταῦτα δυσὶν ἐξ αὐτῶν περιπατοῦσιν ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ πορευομένοις εἰς ἀγρόν.* Hic historia ita traditur, ut WEISSII interpretationem omni fundamento carere luce clarius appareat. Etenim s. 13: *κἀκεῖνοι ἀπελθόντες* (postquam adeo apud eos de Messiae *δόξᾳ* et praesentia spirituali constabat) *ἀπήγγειλαν τοῖς λοιποῖς· οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν.* Inter illos igitur, quos MARCUS *τοὺς λοίπους* dicit, nullus erat, qui V. T. effata de Messia iis explicaret. Num fortasse inter undecim JESU discipulos fuit? Obstat certe Lucana narratio (XXIV: 33—35), quae docet, duos illos, Emmaunte Hierosolyma reversos, ut laetum nuntium cum discipulis communicarent, hos una congregatos invenisse, atque ita de JESU in vitam reditu sibi persuadentes, ut CLEOPAE ejusque socio dicerent: »*ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως.*" Sic neque MARCUS nec LUCAS aliud nobis tradere voluerunt, quam historiam JESU cum duobus discipulis Emmaunta euntis, cui continuo hic eam narrationem addit, qua duos hos discipulos redeuntes cum undecim convenisse proponit.

Ubinam vero quaerendus ille discipulus, quem Messiae mortis necessitatem melius perspicientem informavit WEISSIUS? Frustra quaeres, eumque mittendum esse censemus, una cum WEISSII interpretatione symbolica, quae cum ipsius scriptoris consilio non convenit, et aliunde satis refutatur. Valet idem de altera ejus interpretatione, quam commemoravimus, de JESU ad mare Tiberiadis apparitione (1), cui sensum tribuit, qui interpretis quidem ingenium luxurians refert, nequaquam vero animum ad scriptoris mentem attendentem. Eodem jure aliam invenire explicationem alius posset, aeque minus in ipsius scriptoris verbis fundatam; quocirca, ne nimis longa fiat haec disquisitio, paucis tandem videamus, quid statuerit de discipulis, JESUM se conspexisse sibi persuadentibus. Etenim quoties Sospitatorem se vidisse existimarunt, eos fuisse statuit in »*Zu-*
»*stände einer Aufregung jener Wunderkräfte, wel-*
»*che, der von uns historisch glaubwürdig befundenen*
»*Nachricht der Evangelien zufolge, durch Christus*
»*selbst den Apostelen mitgetheilt oder in ihnen an-*

(1) OLSHAUSENUS, in Comm. ad h. l., symbolica ratione JESUM *egisse* statuit, atque ita quoque ab auctore hanc apparitionem esse traditam, ut ostenderet, quî sortem ejus futuram PETRO JESUS praedixerit. Hanc sententiam, a WEISSII methodo longe alienam, LÜCKIUS dicit: »*geist-*
»*reich, meinetwege auch praktisch, historisch wahr ist sie auf*
»*keinen Fall*," in primis quia neque CHRISTUS neque auctor narrationis ejusmodi significationem symbolicam innuit. Quanto magis haec de WEISSII commento valeat!

»*geregt und zum Bewusstsein gebracht waren*,“ quasque antea Magnetismo q. d. tribuerat. »*Man kann* »*sie magnetische Zustände, Zustände des Hellsehens* »*nennen*,“ *u. s. w.*, quibus ipsa defuncti persona, spiritus scilicet, iis adfuit, et cum iis versata est (1). Minime vero nobis placent »*die Geistererscheinun-* »*gen*,“ quas WEISSIUS proposuit, quia non videmus, quo tandem modo discipuli de corpore defuncti humano cogitassent, in vitam revocato ipsisque apparente, si numquam illud viderint; quo modo in undecim placide una congregatis viris subito magicam eam vim habuerit defuncti spiritus, ut cum eo locuti non tantum sint, verum etiam manibus Ejus *corporis* partes palpaverint, imo ut mox edentem Eum viderint. Quid? quod initio quidem putarunt ἔμφοβοι γενόμενοι πνεῦμα θεωρεῖν, sed qui iis se conspiciendum praebuit, hoc iis inculcavit: ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα, quae verba non ex ore Sospitatoris, verum ex cerebris ipsius Evangelistae originem duxisse statuat, at simul probet philosophus. Tum demum cum eo faciemus, ubi ostenderit certisque argumentis

(1) L. l. II, p. 431—438. Etenim statuit: »*dass in der ver-* »*möge seiner Weltgeschichtlichen Stellung dem Heiland vor allen* »*andern Sterblichen verliehenen magnetischen Wundergabe als we-* »*sentliches Moment das Vermögen enthalten war, auch nach seinem* »*Tode noch auf seine Jünger und auf einzelne andere, durch* »*körperliche und geistige Disposition für solche Einwirkung seiner* »*geistigen, lebendig in ihnen fortwirkenden Nähe mitzutheilen.*“

probaverit (nam non sufficit ut statuat ponatve tantum), JESU discipulos de industria sibi elegisse symbolicam methodum in ideis vel cogitatis seriori aetati tradendis, et revera tam subtilem eos excoluisse philosophiam, qualem iis tribuit scriptor libri: »*die Evangelische Geschichte, kritisch und philosophisch bearbeitet.*" Quibus probatis, fides CHRISTI resuscitationi habenda, et ab Ecclesia Christiana omni tempore ei vindicanda, cum WEISSIO a nobis dicetur »*der mythische Glaube der spätern christlichen Welt* (1)."

Quae cum ita sint, abunde patet, ut mihi quidem videtur, discipulos defuncti, nisi ipsum post mortem corpore indutum vere vidissent, certo non excogitaturos fuisse hanc de corpore CHRISTI e sepulcro resuscitato fabulam; contra vero saepius eos vidisse Sospitatorem, corpore utentem, quod ipsi viderant manibusque palpaverant, humano. His apparitionibus, rebus sub sensus cadentibus, persuasissimum illis fuit de JESU in vitam reditu, quem, licet amici unice testentur, eo tamen majorem hoc testimonium habet vim, quo certius constat, eos neque exspectasse nec fere credidisse ejusmodi rerum eventum. Quo nomine STRAUSSIUS aut WEISSIUS redivivi apparitiones insigniant (2), sibi ad-

(1) Cf. l. l. II, 427.

(2) Ipse STRAUSSIUS, l. l. II, 695, quibusnam differat a WEISSIO, sic exponit: »*dass ihm die Erscheinungen des Auferstandenen nicht blos subjectiv psychologische, sondern objectiv magische Thatsachen sind.*"

versantem habent PETRUM, qui (Act. X: 41) profitetur, sibi caeterisque *μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ* apparuisse in vitam resuscitatum, qui *συνεφάγομεν*, inquit, *καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν* (1). Itaque haec cum fuerit JESU apparitionum indoles, ut sensibus observari possent, utque de veritate resuscitationis JESU, corpore humano induti, egregie sibi persuadere et convinci potuisse discipulos constet, nullum dubium exstat, quin hisce testibus fidem habere possimus. Jam vero haec, quae statuimus, egregium praesidium habent in Apostoli PAULI testimonio, qui et ipse confirmat, JESUM redivivum a discipulis visum esse; quod vero testimonium laceratum suaque vi a STRAUSSIO praesertim privatum esse dolemus, at simul tueri et in nostros usus convertere conabimur.

§ 3.

Omnia, huc usque ex Evangeliis percepta et disputata, egregie confirmantur PAULI *testimonio*, 1 *Cor.* XV: 4—7.

PAULUS Apostolus, ut rem nostram confirmet, primum audiatur. Dicit se Corinthiis Evangelium annunciasse,

---

(1) Act X: 41, verba *οἵτινες — νεκρῶν* minime commate sunt distinguenda, posito illo post vocem *αὐτῷ*, quo fieret, ut parentheseos loco haberentur verba *οἵτινες συνεφάγομεν — αὐτῷ*, et respicerent ad tempus ante JESU mortem, causamque indicarent, ob quam postea illi soli Eum viderint et cum Eo versati sint. Ita

JESUM scilicet mortuum esse et sepultum (quo sine dubio significavit, *revera* mortuum fuisse JESUM, Eumque, ut mortui solent, in sepulcro depositum esse) et resuscitatum, quibus ut facilius fidem haberent, se iis tradidisse dicit: *ὅτι ὤφθη Κηφᾷ*, quam apparitionem commemorant discipuli, Luc. XXIV: 34, dicentes, *ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι. Εἶτα τοῖς δώδεκα*, cff. Luc. XXIV: 36, sqq. Joh. XX: 19, sqq.; *ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω* (1) *πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ*: pluribus quam quingentis fratribus apparuit. Hanc apparitionem eandem habemus, atque eam, cujus MATTHAEUS (XXVIII: 17, sqq.) mentionem fecit, uti supra monui-

---

enim arctissime verba haec jungenda essent cum verbis *μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις* et vertenda: *testibus, qui ante electi fueramus, nobis qui cum eo ederamus et biberamus.* Quae interpretatio admitti non potest, nam diversa tempora significantur, omnino secernenda, praeteritum remotius, *προκεχειρ*: (plusqpfect.), et praeteritum narrantis, *ἔδωκεν* (aor. 1.) *συνεφάγομεν, συνεπίομεν.*

(1) *ἐπάνω* de *numero* numerum, qui indicatur, superante. Sic Marc. XIV: 5. — Male igitur anonymus in *Bibl. f. Kritik. u. Exeg.* v. SCHMIDT, II, 538 (*Versuch üb. d. Auferstehung Jesu*), qui de hoc loco: »*Jesus*," inquit, »*erschien über fünfhundert Brudern. Also* »*in der Höhe, schwebend in den Wolken, scheinen sie das Bild* »*erblickt zu haben.*" Sic *ἐπάνω* de *loco* interpretatus est, quasi in aëre se vidisse defunctum putassent illi. In aëre quoque PETRO, undecim discipulis caeterisque apparuisse JESUM eodem jure statuere potuisset, atque ita redivivi apparitiones tandem *μετέωρα* habentur! WEISSIUS de festo Pentecostes cogitat, eandem hanc apparitionem fuisse statuens: »*als die Ausgiessung des Geistes am Pfingstfeste*" (l. l. II, 417)!

mus; quominus vero cogitemus cum HEUMANNO (ad h. l.) de iis, qui in coelum adscendentem JESUM viderunt (Luc. XXIV: 50 sq. Act. Ap. I: 6 sq.), vetat tum discrepantia numeri eorum, qui aderant, tum, et maxime quidem hoc, quod certo omnium postremam apparitionem non commemoraverit, priusquam et caeterarum mentionem fecisset, cum temporis rationem omnino habuisse videatur. Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, de quo tacent Evangelistae, at vero Evangelium secundum Hebraeos nonnulla habet (1). Quae autem ibi narrantur et *traditioni* debemus, et nulla fide digna sunt; nam tales, quales JACOBO tribuit expectationes, numquam ille fovit, et minus recte convenire videntur cum Luc. XXIV: 34, sqq., ubi, SIMONIS mentione facta, JACOBUM quoque commemoraturi fuissent discipuli, si eo tempore JACOBO se jam conspiciendum praebuisset Sospitator. Εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν, quam apparitionem memorans, cogitavit fortasse de JESU, discipulis valedicente et in coelum adscendente.

Docet igitur PAULUS, in vitam rediisse JESUM et amicis videndum se praebuisse. Utrum temporis rationem habuerit non inquirimus, etiamsi εἶτα hoc certe verisi-

(1) Teste HIERONYMO *de viris illustr.* 2: »Dominus autem (cum dedisset sindonem servo sacerdotis) ivit ad JACOBUM et apparuit ei. Juraverat enim JACOBUS se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a dormientibus; — deinde, adferte, ait Dominus, mensam et panem; — tulit panem et benedixit, ac fregit, et dedit JACOBO Justo, et dixit ei: frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus."

mile reddit, at de ejus fide nihil detrahitur, si non eodem, quo Evangelistae, ordine JESU apparitiones tradiderit. Jam nemo est, quin hujus testimonii vim atque auctoritatem perspectam habeat. Etenim conscripta est haec Epistola e virorum Doctt. sententia intra annos 52—59 aerae Christianae, tempore, quo quatuor Evangelia, quae nobis tradidit antiqua Ecclesia, certo nondum omnia erant conscripta; deinde non Evangelista hoc testimonium tulit, non ex discipulorum numero aliquis, sed Apostolus, post JESU in coelum abitum ad sacra Christiana conversus, qui ex ipsis procul dubio discipulis haec acceperat, quemque cum iis in doctrinae annunciatione convenisse constat. Hic ut JESU in vitam reditum probaret, provocat ad Ejus apparitiones, at de earum indole nihil in medium profert, quia id minime hujus loci erat, et ad Evangelistarum Apostolorumque Evangelium annunciandi munus pertinebat. Quid vero de earum indole docuerint, ex Evangeliis, quae doctrinam Apostolicam continere censenda sunt, patet: JESUM scilicet e mortuis resuscitatum, corpore humano indutum cum discipulis his in terris versatum esse, venientem, loquentem, edentem, bibentem, manibus tractandum se praebentem (uti supra haec exposuimus), quod et PAULUS probe cognitum habuit.

Quid autem statuendum est de verbis s. 8, *ἔσχατον δὲ πάντων — ὤφθη κἀμοί*? Haec interpretanda esse censemus de iis, quae in itinere Damasceno acciderunt, a LUCA tradita, Act. Ap. IX, et ab ipso PAULO (referente LUCA) ib. XXII: 6 sqq., XXVI: 12 sqq. Quae

in hisce discrepantia (1) insunt, nihil ipsius rei veritati nocent, cum haec ipsa, quam nonnulli tantopere urserunt, pugna in eo tantum versetur, quod, qui cum PAULO iter fecerunt (Act. IX: 7.), vocem quidem audierint, neminem autem viderint; contra (Act. XXII: 9.) lucem quidem viderint, vocem autem non audierint; cujus discriminis, quod et in JESU loquentis verbis animadvertitur, ipse LUCAS causa dici potest, qui a PAULO relatorum res minutiores hîc fortasse minus curaverit. Quod si statuamus, eos fortasse *τὴν φωνὴν τοῦ λαλοῦντος* audivisse quidem, at verba ipsa non intellexisse, utrumque affirmari posset. Caeterum loquentem de coelo nemo ex iis *vidit*, qua in re narrationis cardo vertitur. Minime hîc de indole hujus apparitionis nobis agendum est (2), sed hoc monere juvat, toto coelo modum differre, quo PAULO se JESUS patefecit in itinere Damasceno a ratione, qua post resurrectionem cum discipulis his in terris versantem Eum vidimus. *Corpore humano* indutum Apostolis conspiciendum se praebuit, quod de apparatione, quae PAULO contigit, non affirmaverim; hominis ad instar inter homines versatus est cum discipulis, at hu-

(1) Cf. NEANDER, *Gesch. der Pflanzung.* I, 113 (nota).

(2) Dubitat RÜCKERTUS, ad. 1 Cor. XV: 8, an PAULUS vere JESUM viderit, quod tamen ipsius Apostoli verba confirmare videntur. Caeterum Virum doctissimum, ubi erravit, refutat NEANDER, *Gesch. d. Pflanz.* I, 117 (nota), qui recte animadvertit: *der Gegensatz, Apostgs.* IX: 7, *μηδένα, nicht μηδέν, setzt aber allerdings voraus, dass Paulus zum Unterscheide von seinen Begleitern eine Person gesehen hatte.*

mani nihil quidquam inest iis, quae a PAULO visa sunt. Nondum in coelum adscenderat cum undecim discipulis edens et loquens; quae autem de conversione PAULI leguntur, post JESU in coelum ascensionem acciderunt. Praeterea idem LUCAS, qui JESU, e sepulcro egresso, manus pedesque tribuit, in Act. Ap. de apparitione, qua PAULO se JESUM conspiciendum praebuisse tradit, narrat: ἐξαίφνης περιέστραψεν αὐτὸν φῶς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, auditaque voce loquentis de coelo, PAULI comites *neminem* vidisse. Ex his sequitur, longe aliam rem hîc informari, quam apparationem JESU iis similem, de quibus Evangelistae; recteque hoc discrimen perspexisse LUCAM, qui memoriae eas tradidit, perspectum quoque habuisse Apostolum PAULUM. Hunc enim LUCAS comitatus erat, varia itinera facientem; ab hujus doctrina LUCAM non recessisse, et in Evangelio conscribendo ab eo aliquatenus auxilium petiisse, docent cum Evangelii Lucani indoles, tum Veterum testimonia.

Ex hisce jure efficere nobis videmur, PAULUM omnino discrevisse inter JESU redivivi apparitiones his in terris, atque eam, qua in itinere Damasceno ipse cum JESU locutus fuit. Quod si enim ejusdem, ac caeteras, generis hanc habuisset, omnino statuendum est, PAULUM aut verbo hoc significare oportuisse, aut hac in re a doctrina Apostolica recessisse, illud vero cum non fecerit, Evangelistis et Apostolis tacite assensit. Etenim non sine magno veritatis detrimento CHRISTI apparitionem in itinere Damasceno caeteris Christophaniis aequiparasset, quum doctrina Apostolica, ut LUCAE scripta testantur, rite inter

eas discernat, quocirca e PAULI silentio argumentum peti posse censemus, pro veritate eorum, quae antea statuimus. Eatenus vero PAULUS dicere potuit ὤφθη κἀμοὶ (1 Cor. XV: 8.), quatenus et ipse Dominum se vidisse sibi persuasit; licet in caeteris hanc CHRISTI apparitionem alius fuisse generis, quam quas antea commemoraverat, rite cognoverit. Nam CHRISTI apparitio in itinere Damasceno, licet, in se spectata, nobis non probet, in vitam Eum rediisse, tamen hanc probandi vim Apostolo PAULO non habere non potuit, quippe qui ita ab ipso Sospitatore ad munus suum obeundum vocatus est, neque CHRISTUM viventem sibi cogitare potuit, nisi et ipsum illum e mortuis in vitam revocatum.

Hunc vero locum, si quem alium, perverse interpretatus est STRAUSSIUS, assentientem sibi habens WEISSIUM (1). Statuit enim, PAULUM omnes JESU apparitiones ejusdem generis existimasse, atque illam, qua ipse Dominum viderit. Hanc autem PAULI Christophaniam »*als äussere, objective Erscheinung des wirklichen Christus*" accipi posse negat; unde sequeretur, caeteras, quarum mentionem injiciunt Evangelistae, huic similes fuisse et potius *visiones* esse habendas (2).

Negamus autem PAULUM omnes CHRISTI apparitiones,

---

(1) L. l. II, 367 sqq.

(2) L. l. II, 687 sqq. Praecedente saeculo jam exstitit, qui eadem ratione locum nostrum interpretatus, tandem »εὕρηκα!" se posse clamare sibi visus est. Cf. a STRAUSSIO laudatus in SCHMIDTII *Bibl. f. Krit. u. Exeg.* l. l.

quas commemoravit, ejusdem habuisse generis, licet de omnibus verbo ὤφθη (Χριστὸς) utatur. Sed insuper ad sanae Hermeneutices regulas non attendisse STRAUSSIUM statuimus. Videas enim, quam pulcre ille locum difficiliorem attulerit, ut locum intellectu faciliorem interpretaretur. Traditur historia CHRISTI, a discipulis conspecti, in Evangeliis et Actuum Apost. libro, explicatu non ita difficilis, quia ex rerum adjunctis sat lucis hauritur caeterisque affunditur. Locum autem Paulinum difficiliorem dicimus, quia breviter tantum plura conjungit, quae omnino interpretatione indigent, neque e contexta oratione explicari possunt. Nonne igitur ipsa res et ratio docent, 1 Cor. XV: 5—7 conferendas esse cum locis, ex Evangeliis supra allatis, contra 1 Cor. XV: 8 conferri debere cum Act. Ap. IX: 3 sqq., XXII: 6 sqq. et XXVI: 12 sqq.? Nonne ita loca Paulina, breviora illa, ex Evangeliis et libro Act. Ap., quippe fusius rem pertractantibus, egregie illustrantur? Sic patere mihi videtur, PAULUM nequaquam de iisdem rebus hîc egisse, verum primum apparitiones, quas et Evangelistae tradiderunt, deinde vero CHRISTI apparitionem in itinere Damasceno commemorasse, ab illis longe recedentem et omnino discernendam. Ita breviorem PAULI narrationem supplere nos oportet et explicare e LUCAE aliorumque scriptis, rem fusius pertractantibus, ut sanae Hermeneutices legibus obtemperemus; STRAUSSIUM vero, uti in caeteris, ita hîc quoque, errasse luce clarius apparet.

Praeterea in eo ille non recte egit, quod, cum repugnantias exponeret inter Evangelistarum de JESU a

discipulis conspecto narrationes, simul ad disquisitionem eam traxerit locum nostrum Paulinum, quasi de fide Evangelistarum detraheretur, si ab iis PAULUS recessisset, qui minime JESU apparitionum historiam tradere sibi proposuerat. At vero non tantum non pugnat PAULI testimonium cum Evangelistarum narrationibus, verum egregie illud confirmat, magnamque probandi habet vim. Concedit enim ipse STRAUSSIUS, locum nostrum, minime spurium, conscriptum esse 30 fere annis post JESU in vitam reditum, quo tempore multi, se Dominum vere vidisse, existimarunt (cf. 1 Cor. XV: 6). Ita luculenter probatum esse videmus, PAULI aetate quam plurimos JESUM in vitam revocatum, corpore humano indutum, conspexisse, quod testatur cum Epistola I PAULI ad Corinthios, tum ab illa distinguenda alioque consilio conscripta Evangelia Canonica.

Nullum igitur fere dubium exstat, quin vere in vitam redierit, suisque se conspiciendum praebuerit redivivus Sospitator. At una tamen restat, ad quam respondendum est, objectio, a CHRISTI aequalibus mota, quam STRAUSSIUS aliique non intactam reliquerunt, quamque eorum lapidem angularem fere diceremus.

§ 4.

His nihil inest, quod cum naturae legibus pugnare jure quis statuat.

Mortuum fuisse JESUM concedunt STRAUSSIUS, WEISSIUS, alii; illum discipulis in vitam revocatum apparuisse, hu-

mano indutum corpore, statuimus nos, quod negant illi, una cum Sadducaeis, μὴ εἶναι ἀνάστασιν, opinantes. STRAUSSIUM enim audias: »*Der Satz*," inquit, »*ein* »*Todter ist wiederbelebt worden, ist aus zwei so* »*wiedersprechenden Bestandtheilen zusammengesetzt*, »*dass immer, wenn man den einen festhalten will*, »*der andere zu verschwinden droht.*" Quod si JESUS resurrexerit, statuendum esse existimat, eum non vere mortuum fuisse; si vero revera mortuus fuerit, vix credibile ei videtur, in vitam JESUM rediisse. Monet deinde, multis sane verbis usus, resuscitationem e morte admitti non posse, nisi assumto miraculo, et »*ein unmittelbares* »*Eingreifen Gottes in den gesetzlichen Verlauf des* »*Naturlebens, wie es geläuterten Ansichten von dem* »*Verhältniss Gottes zur Welt widerspricht* (1)."

Hinc illae lacrimae! Ideo summo studio urgendas esse repugnantias censuit in Evangelistarum narrationibus de Angelis, JESU in vitam reditum cum mulieribus communicantibus, uti et in caeteris, quae de CHRISTO, a discipulis conspecto, tradunt. Attamen miror, STRAUSSIUM quodammodo etiam conquestum esse de JESU, quod inimicis se conspiciendum non praebuerit, eumque hîc illic ita de illo, in vitam reverso, locutum esse, ut nonnumquam dubitares, num vere a nobis dissentiat; prae ceteris autem, eum professum esse, *si consentirent sibi invicem Evangelistarum narrationes, se* JESU *in vitam reditui, e gravi somno vel syncope exspergefacti, fidem*

(1) L. l. II, 676 sqq.

esse habiturum (1), licet ipse antea concesserit, vere mortuum fuisse JESUM! At vero conveniunt Evangelistae in re nostra tradenda! Majore etiam fide digni sunt, quam alii antiquorum scriptores historici, de quorum fide ne dubitatur quidem! Sic revera videremus, STRAUSSIUM statuere aliisque concedere, quod ipse cum veritate historica pugnare probe cognitum habet; concedentem scilicet eum audiremus, JESUM non vere mortuum fuisse, de cujus tamen mortis veritate probe ei persuasum est. Causam quaeris? Quia nullis se impeditum sentit mente anteceptis opinionibus! Quia negante ejus *philosophia*, mortuum posse in vitam redire, contrarium vero luculenter testante *historia*, hanc contorquere, excruciare, excarnificatam in vanam umbram mutare mavult, quam placitorum istius falsitatem confiteri. Quia ex tripode affirmat ille: »*Es gibt überhaupt kein rein historisches Bewusstsein ohne die Einsicht in die Unzerreissbarkeit der Kette endlicher Ursachen und in die Unmöglichkeit des Wunders* (2); quum denique historiae testimoniis se convictum sentiat, omnis miraculi species prius ei removenda est, quam missa facienda historiae illa *conscientia* (*Bewusstsein*), quam sibi ipse vindicavit.

Quî tandem STRAUSSIUM refutabimus? Miraculum omnino hîc cernitur, quod concedit ille, ideoque veritatem ejus historicam negat. Quum ille: »fieri non pot-

(1) L. l. II, 632.

(2) L. l. I, p. 86.

est," nos contra: »at aliquando factum est," respondentem eum nobis audimus: »*igitur* historia mentita est." Ubi philosophia docet, hominem, quum moriatur, in se non amplius existere, et post mortem personam esse, ab alio distinguendam, desinere, certo illa historiam telis suis petat necesse est, quippe quae exemplum manifestum nobis tradiderit, ei plane oppositum. Ille, qui animum dicit »*die Innerlichkeit des Leibes*," corpus autem »*die Aeusserlichkeit der Seele*," qui de illo, ubi a corpore sejungitur, affirmat, »(*dass*) *die Seele* »*als solche zu sein aufhört, mithin bei einer Wie-*»*derbelebung, selbst wenn man sich auf ein Wunder* »*berufen wollte, diess geradezu in der Erschaffung* »*einer neuen Seele bestehen müsste* (1)," numquam de JESU e morte in vitam resuscitatione sibi persuadere poterit, quum ita JESUS non eadem persona q. d. fuisset ante mortem, atque post reditum in vitam; simul vero ratio humana non facile duos animos, alterum, postquam abierat alter, in eodem corpore habitasse concedat, quod revera cum naturae legibus, quoad eas cognitas habemus, pugnare dici posset.

Negare igitur in vitam rediisse JESUM mihi videtur STRAUSSIUS, quia cum naturae legibus hoc pugnare statuit; at erravit sane. Ratio enim humana, licet sibi relicta certe de *animo*, *post sejunctionem a corpore in se existente*, non persuasum habuisset, in hoc tamen doctrinae Christianae placito, divinitus datae, tamquam certo

(1) L. l. II, 67.

et cum mentis humanae exspectationibus cogitandique regulis conveniente, acquiescere potest. Quod si verum est, animus cum corpore iterum jungi potest, quamvis per tempus aliquod ab eo separatus fuerit, modo et corpus iterum aptum ei fiat et idoneum habitaculum. Hoc si acciderit, extraordinarium quid accidisse dicendum est, minime vero cum naturae legibus id pugnare. Quod enim ab iis recedit, nondum cum iis pugnare censendum est: at naturae leges quis cognoverit? quis earum nexum perspexerit? quis Dei Creatoris potentiae terminos constituerit? Verum ne de miraculi possibilitate (sit venia verbo!) cum STRAUSSIO litigare, quaeque non recte statuit Hegeliana philosophia ex plurimorum sententia, refutare conari videamur; quod minime hujus loci nostrumve est habendum, quum JESU in vitam reditûs veritatem historice vindicare velimus. Constat autem, ipsi JESU resuscitationi fidem haberi posse, si ad testium ἀξιοπιστίαν attendas, eam vero negasse eos tantum, qui *a priori* statuerent: *fieri hoc non potuit.* Estne vero germanae philosophiae, ita alicujus rei veritatem negare, quum externis et internis argumentis probari ac vindicari possit ejus fides historica? Estne philosophi, de re in facto posita disputare, utrum fieri *potuerit*, an *non potuerit?* Certe difficile mihi visum est quaerere, utrum quidem fieri potuerit, postquam luce clarius apparuit, *revera* factum esse; quandoquidem nemo, recte argumentando, umquam probare poterit, rem, quam factam esse testantur plurimi, *fieri non potuisse.* Aeque minus cum TERTULLIANO (*de carne* CHRISTI

c. 5) statuimus: »Sepultus resurrexit — certum est, »quia impossibile est" (i. e. procul dubio = quia impossibile *videtur*), quam cum STRAUSSIO, omnibusque qui ei assentiunt: »sepultus non resurrexit — negandum »est, quia impossibile est." Hi enim *συλαγωγοῦνται διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων — οὐ κατὰ Χριστόν.* Caveant illi, ne de re dubitasse videantur, de qua, quin fieri potuerit, temere dubitari non licet; ne de iis negandum sit, *μετὰ τινὸς αἰτίας ἰσχυρᾶς καὶ τῆς κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἀσφαλείας* eos aliquid infitias ivisse, quum *τὸ τοῖς οὐκ οὖσιν ἀπίστοις ἀπιστεῖν, ἀνθρώπων ἔργον οὐχ ὑγιαινούσῃ κρίσει περὶ τὴν ἀλήθειαν χρωμένων* jure habeatur. Hoc enim, quod aequalibus jam dixit ATHENAGORAS (*περὶ ἀναστ. τ. νεκρ.* 2.), de iis omnino valet, iisque crimini dari potest.

CONCLUSIO.

Sic igitur JESU in vitam reditum vindicavimus, et, pro virium tenuitate, adversariorum objectiones refellere conati sumus. Quam egregie rei veritas in oculos incurrit, ubi huc usque disputata brevi recolimus! Tradunt Evangelistae, egregie inter se convenientes, ex Angelis audivisse mulieres laetum, de JESU e morte resuscitatione, nuntium, in quibus narrandis summa fide digni illi sunt habendi. Tacent vero de ipsa CHRISTI resurrectione, ne

verbo quidem sententiam suam profitentes. Ipsa illa firmissimis comprobatur argumentis. Etenim vel ab Ecclesiae Christianae sociis antiquissimo tempore excogitata est, vel testes ἀξιοπίστοι ii sunt habendi, qui μάρτυρες resurrectionis jure dicuntur. *Illud* concedere nec licet neque expedit. Fraus enim ab ipsis discipulis et Apostolis defuncti repetenda esset, quorum animus simplex, quorum tristitia et exspectationes ne minimam quidem fraudis suspicionem admittunt. Praeterea mythi ortus nequaquam explicari potest, quum fama percrebescens continuo sibi repugnantes habuisset et Judaeorum Senatum, et militum custodiam, et sepulcrum, quod corpore non vacuum fuisset. *Alterum* luculentissime eo probatur, quod JESUM redivivum oculis viderint, manibus contrectaverint, cum eo accumbentes ederint, vocem Ejus audiverint. Harum apparitionum narrationes minime secum invicem pugnare vidimus, et a PAULO Apostolo confirmari et comprobari. Quae cum ita sint, cumque rem nostram fide historica dignissimam esse nobis patuerit, importune sane vox auditur clamantis: »E mortuis »resuscitari JESUS non potuit!" Huic Evangelistae, Apostoli, Judaei, innumera hominum millia per XVIII saecula, tot argumentis de rei veritate persuasi, respondent: »ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως!"

Et vel sic tamen multi sunt, qui vel in vitam rediisse JESUM negent, vel si concedant, vim ejus et significationem non recte perscrutati esse, aut ab omni parte cognitam eam habere, videantur. Illos in primis, licet adhuc dubitent, mente anteceptis opinionibus impediti,

si veritati auscultare velint, de rei nostrae veritate historica sibi persuadere oportet, ubi non tantum attendunt ad difficultates, quibus obruuntur, sed etiam ad argumentorum vim, quibus refutantur. Haec enim rei nostrae vis est et significatio, ut in se spectari non possit, sed continuo sponte sua, digito quasi, alia monstret, quibuscum arcte conjuncta est, ita ut ab iis sine magno veritatis detrimento divelli nequeat. Attendamus ad vitam fataque CHRISTI, reditum autem Ejus in vitam negemus; in Apostolorum discipulorumque redivivi historiam oculos convertamus, sed JESUM e morte resuscitatum fabulam dicamus; Ecclesiam Christianam ante XVIII saecula exstitisse concedamus, simul vero JESUM mortuum quidem, at non e sepulcro redivivum prodiisse, affirmemus; tandem, si nosmet ipsos intueamur, praesentemque nostram conditionem, internam praesertim, contemplemur, quis solatium non quaerat, vitaeque futurae, terrestri hacce longe praestantioris, spem non foveat? Quis autem, negata JESU in vitam resuscitatione, historiam CHRISTI et Ecclesiae intelligat, quis validum solatii speique inveniat fundamentum? Certe, si quid aliud, haec nos cogunt, narratis ab Evangelistis fidem habere, simul vero accuratius in JESU resurrectionis momentum inquirere.

PARS II.

JESU IN VITAM REDITUS MOMENTUM PROBATUR.

Vidimus jam in introitu, vario modo reditum JESU in vitam interpretatos esse *cum* Theologos *tum* Philosophos. Nam licet eorum nonnulli historicam ejus veritatem negarent, vel sic tamen ipsam JESU resuscitationis historiam *symbolum* dixerunt idearum sublimium, ipsum ideae involucrum parvi facientes. Aliter omnino discipuli Sospitatoris, qui rei veritatem agnoscentes simul ad ejus significationem sensumque symbolicum rite attendebant; quos imitari nos oportet, ita ut cum persuasione de rei veritate studium recte aestimandi magnique faciendi ejus significationem jungamus. Apostoli certe JESU resurrectionem cum vita Ejus antecedente terrestri arctissime junctam esse viderunt; illi omnium optime senserunt atque exposuerunt egregiam resuscitationis vim, magnumque in confirmanda hominum salute momentum; praeterea vero nos *et* vitam eorum, mutatamque animi conditionem perspicimus, *et* in perenne

illud JESU e mortuis resuscitati monumentum, Ecclesiam dico Christianam, oculos conjicimus. Conjungas quaeso haecce: JESU CHRISTI vitam ante mortem; Ejus discipulorum de Eo cogitandi et agendi rationem, postquam resurrexerat, comparatam illam cum iis, quae ante Sospitatoris mortem sensisse, dixisse, egisse feruntur; adspice magnificum illud aedificium, cujus fundamenta jecerunt Apostoli, cujusque ἀκρογωνίαιος est ipse JESUS CHRISTUS. Ne vero laeteris, Dei filium hominem factum esse, ut aeterna mortales donaret salute, si neges ipsius e mortuis resuscitationem: qua negata, ne causam explicare coneris, neque mutati Apostolorum animi, neque originis Ecclesiae Christianae, imo vero ipsum potius nobis aufer mortuum CHRISTUM; quo mortuo ac non redivivo ματαία Christianorum fides sit, defunctique sepulcrum hac inscriptione appareat munitum: ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν.

Sed haec accuratius perpendamus: quo facto, JESU resurrectionis momentum dilucide apparebit. Itaque oculos convertamus in JESU CHRISTI vitam ante mortem, in Apostolorum historiam, in Ecclesiae Christianae primaevae fata, denique in salutis aeternae spem, quam jure fovere jam nobis videmur, ut luce clarius pateat conjunctio arctissima eaque numquam solvenda, quae hisce omnibus cum JESU CHRISTI reditu in vitam intercedat.

CAPUT I.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM EJUS VITA ANTE MORTEM TERRESTRI INTERCEDIT.

Quicumque Evangelistarum de JESU, his in terris versante, narrationes accurate et assidue perlegit, neque hîc illic oculos vagari sinit, certo pulcerrimam animadvertit *συμμετρίαν* illam, quae ex artis legibus in picta quaque tabula adsit necesse est, quamque oculis continuo quaerit artis peritus. Namque

> Humano capiti cervicem pictor equinam
> Jungere si velit, et varias inducere plumas
> Undique collatis membris, ut turpiter atrum
> Desinat in piscem mulier formosa superne;

aeque minus ille sensui aesthetico q. d. est satisfacturus, atque vitae JESU interpres ille, qui sublimia atque vere divina quaeque ab ea auferens, sensui satisfecerit religioso. Nam junxit quidem iste pictor, quae non jungenda sunt: interpres vero hicce disjunxit, quae disjungi non possunt. Cuinam, quaeso, placeat STRAUSSII agendi ratio, qui critico suo ingenio ita morem gessit, ut pro lubitu eas historiae partes evellere ausus sit, quae suspectae ei viderentur, tandemque vitam nobis describat hominis, cui jam plura hominum millia similia fuere, quum nihil passus sit, dixerit, egerit, quod non alii quoque passi sint, dixerint, egerint? Cuinam verisimile videatur, Ejus vitae, quae nihil sibi privum

propriumve habuit, partem ἑτερογενῆ addidisse Apostolos, ab ipsis excogitatam, qualem jure diceremus JESU in vitam reditum? Homo ex hominibus humana ratione natus, per annos aliquot inter Judaeos versatus, ab aliis institutus, nihil novi docens, asseclas nonnullos nactus, praejudicatis ipse opinionibus, imo perversis, ductus, tandem Judaeorum furori succubuit, omniumque instar mortalium mortuus est, cruci affixus. Hunc vero, monente STRAUSSIO, cui summa quaeque deinceps tribuerunt discipuli, e mortuis etiam resuscitatum dixerunt; illum, qui nihil fecit, quo tali honore dignus videri posset, e sepulcro redivivum prodiisse professi sunt ejus asseclae! Quaerisne hujus rei causam? Respondet interpres ille vitae JESU: Quia tota JESU, dum in vivis erat, sentiendi, loquendi, agendi ratio, tota ejus doctrina, tota ejus persona, hanc habuere vim in discipulorum animis, ut sponte sua ejusmodi rerum eventum sibi effingerent. Quasi necessarium fuisset, *talem* hominem in vitam rediisse! Quaeres fortasse iterum, quî tandem JESU agendi ratio, totaque ejus persona, hoc efficere valuerint? Tacet jam interpres ille, et tacere eum, quis miretur, quum certe nemo illud intelligat aut explicare possit.

Quod si praeplacet STRAUSSII aenigmata missa facere, atque Evangelistarum narrationes diligenter indagare, videbimus, JESUM CHRISTUM, prouti describitur in Evangeliis, summa fide dignis, in vitam redire debuisse, ut ne antecedens Ejus vita, veritati convenienter tradita, iterum aenigma nobis videatur. Quem in finem oculos convertamus *tum* in fata, quae subiit, *tum* in doctrinam,

quam de se ipse professus est, *tum* in facta Ejus, praesertim mirifica, quo clarius nexus pateat, qui Ejus in vitam reditui cum singulis hisce partibus, arctissime semper conjungendis, intercedit.

§ 1.

Nexus cum fatis JESU *extraordinariis.*

Attendentibus ad fata JESU extraordinaria, primo loco nobis occurrunt Ejus natales. Ecce! Angelus *τὴν κεχαριτωμένην* virginem adit, illique Dei consilium annunciat; *πνεῦμα*, inquit, *ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι.* Natus infans, popularibus fere ignotus, honoratur ab exteris, numero paucis, a pastoribus Judaeis, nulla fama utentibus; laudem vero Dei celebrant Angeli, quorum unus pastoribus annunciaverat: *ὅτι ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον σωτὴρ, ὅς ἐστι Χριστὸς Κύριος.* Puer JESUS *προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις.* Triginta annos natus, per trium fere annorum spatium, publice inter Judaeos degit. Hominibus omni modo prodesse studens, plurimos ad se allicit multifariis beneficiis, atque doctrinae annunciatione, quam audientes Pharisaeorum ministri profiteri coacti sunt: *οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος* (Joh. VII: 46). Aegrotos sanavit, coecis oculos reddidit, variisque malis medicinam attulit, quibus factum est, ut multi amore Eum prosequerentur. Quid? quod divinitus missi Angeli, in deserto, ad Eum venientes *διηκόνουν αὐτῷ*, postquam

brevi antea JOHANNES Baptista de coelo viderat τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτὸν, atque vox de coelo clamans audita est: οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Postea cum MOSE et ELIA loqui visus est PETRO, JACOBO et JOHANNI; cum fulgeret splendore magnifico, audierunt vocem ἐκ τῆς νεφέλης, ἐνεχθεῖσαν αὐτῷ ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης (2 Petr. I: 17), iterum eadem praedicantem, additis verbis: αὐτοῦ ἀκούετε. Tandem brevi ante mortem ἦλθεν φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω, quam nonnulli ita explicarunt, ut Angelum Eum allocutum esse existimarent. Succubuit tandem sua sponte Judaeorum furori, ac lubens improborum injuriis se tradidit, postquam illi Angelus apparuerat, ἐνισχύων αὐτόν. Mortem subiit ille, cujus laudes coelum pronuntiari audierat, cujus fata extrema adspicere noluit; nam σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, et moriente Illo ipsa terra commota est, adeo ut τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω. Ita jam, quod coelum, terram, Angelos confirmare vidimus, Hecatontarchum militesque pronuntiantes audimus: ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος. Haec fata erant hominis sanctissimi, quorum finis fuerit in sepulcro? Hic, uti extraordinaria via inter homines prodiit, solita ratione a mortalibus discesserit? Fide dignissima esse, quae de JESU Evangelistae narrant, luce clarius probarunt quam plurimi, ideoque iis lubenter adstipulamur. Quem igitur Angeli celebrarunt et visitarunt, quem voces de coelo missae laudarunt, Eum ab hominibus odioso

crucis supplicio necatum esse, sceleratis et improbis annumeratum esse credamus, simul vero concedamus, Apostolos, licet mortuum magistrum numquam in vitam reversum vidissent, postea certe effecturos fuisse Ejus e mortuis resuscitationem. Nam respondet vitae JESU terrestri resurrectio, atque jam defuncti persona hanc vim in iis habere debuisset, ut, quae historiae ejus deëssent (nam certo desideratur aliquid, quod mortem subsecutum sit necesse est), haec ipsi adderent. At vero ejusmodi quid excogitari non potuit. »*Die Wiedererweckung* »*des gestorbenen Christus*" (sunt verba HERDERI (1)) »*hat, menschlich gefasst, etwas so Erhabenes, Rüh-* »*rendes und Schönes, dass, wenn sie eine Fabel wäre,* »*wie sie es nicht ist, man ihr Wahrheit der Ge-* »*schichte wünschte,*" atque inferius JESU mortem eamque secutam resurrectionem dicit: »*in der unglücklichsten* »*Katastrophe so edel, schön und gross, dass es* »*wohl eine göttliche Katastrophe heissen möchte.*" Est omnino vera historia, quam de JESU in vitam reditu tradiderunt discipuli et Evangelistae; pertinet ad *τὴν ὑγιαινούσην διδασκαλίαν*, atque ita arcte cum antecedente Ejus vita conjuncta est haec posterior pars, ut revera dubites, num majorem umquam videris convenientiam. Quum *ἐν πληρώματι τῶν καιρῶν* filium suum misit Deus omnipotens, in tenebris erat Ille *τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν*, *ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον*, in tenebris versabantur omnes peccato et vitiis obruti; mortuo Domino

(1) L. l. VII: 6.

luxerunt Ejus discipuli et asseclae, omnesque, qui Eum amaverant, animus defecit, eorumque pectus nox oppressit caliginosa; redivivus autem Sospitator lucem iis attulit, et vitam gaudiumque. Namque ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων (Joh. I: 4). Hoc illi praesertim senserunt, »*da die, die alles ver-*» *loren hatten, die wie vom Hagel getroffene zer-*» *knickte Blumen lagen, auf einmal die Sonne aufge-*» *hen sahen, die sie nicht nur erhob, sondern ver-*» *jüngte und mit neuen Farben schmückte*," quod recte HERDERUS (1). Sanctus Angelorum chorus in agro Bethlehemitico summi Dei celebravit laudes, unusque ex iis JESU natales simplicibus narravit pastoribus; ita quoque pavidas mulieres certiores fecerunt resuscitationis Sospitatoris Angeli duo, atque antea sine dubio honorem detulerant redivivo e sepulcro victori, Ejusque laudes celebraverant (2). Nato ac redivivo CHRISTO gavisi sunt pii probique, improbi contra injuriis vel odiosa fraude nocere ei conati sunt; ab hisce, Judaeorum proceribus et magistratibus, minime tanquam CHRISTUS agnoscebatur. Adde, quod non magnae hominum turbae laetum nuntium annuntiarunt spiritûs coelestes, quod Regem aut

(1) Ibidem.

(2) Quod monuit cl. HERINGA, in disp. laud., a soc. *Hag.* praemio orn. 1811, p. 187. »Nu de eerstgeboren zoon van God voor de »tweedemaal *ter wereld* werd *ingevoerd*, was het nu niet voegzaam, »dat *Engelen voor Hem knielden*, daar Hij nu dat werk volbragt »had, door hetwelk Hij zich het opperbewind over Engelen en men»schen verworven heeft?"

Senatum Judaeorum non adierunt Dei illi ministri, sed pastores tantum et mulieres, qui cum aliis audita et visa communicarent. Liceat vero, *ὡς ἐν παρέργῳ*, animadvertere, ipsam JESU matrem, prouti *πάντα συνετήρει τὰ ῥήματα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς*, quum nasceretur JESUS, ita quoque animi tranquillitate et fide, filio suo habenda, caeteros omnes superasse, quum mortuus esset; etenim, neque ad sepulcrum neque in via eam filium quaesivisse die tertio, narrant Evangelistae. — Ad horum attendas narrationes. »Reditus CHRISTI in »vitam ita narratur, ut in rerum adjunctis, in terrae »motibus, in satellitum tremore, in mulierum condi»tione describendis multi sint Evangelistae; de ipsa vero »JESU resurrectione nihil fere exponant, probe nimirum »sentientes, talem rem a se nequaquam adumbrari posse. »Eandem vero modestiam et nostrae referunt narrationes" (de JESU e virgine nato), »in quibus MARIAE dubia, An»geli responsum, virginis obedientia, iter, animique »gaudium copiose describuntur, ipsa vero res, concep»tio a Spiritu sancto, silentio sanctissimo praeteritur. »*Et* natalium *et* resurrectionis historia incipit adeo a »miraculo quodam, humanum CHRISTI corpus spectan»te (1)." Ita JESU resurrectioni nihil inest, quod non conveniat cum antecedente ejus vita, aut in fata ejus extraordinaria non quadret, imo terra tremebunda im-

(1) Verbis usus sum amicissimi mihi J. J. VAN OOSTERZEE, in Disp. *de* JESU, *e virgine* MARIA *nato*. Traj. ad Rh., 1840, p. 202, qui breviter, at acute, rem, de qua agimus, attigit.

piis quasi Hierosolymis significavit, se illius cadaver continere non posse, cujus crucem ferens tremuit, quemque crimine omni insontem ab improbis necatum, a Deo resuscitatum, vidit. Terra illa, quae antea sudorem ejus biberat sanguineum, animo deficiente, jam Angeli, saxum removentis, sentit vestigia leviter eam prementis, quemque fortasse brevi antea dolenti succurrentem viderat, clarissimi nunc victoris Deique filii praeconem audit triumphantis, ministrum videt redivivi.

Pulcerrimam certe harmoniam animadvertere hîc licet; quam providentiae divinae tribuimus, non fictioni humanae. Quis tandem affirmando ad quaestionem Apostoli respondere ausit: *τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν εἰ ὁ Θεὸς νεκροὺς ἐγείρει;* CHRISTI fata intelligi nequeunt, negata ejus e mortuis resuscitatione.

§ 2.

Nexus cum doctrina, quam de se ipse professus est.

Haec cum fuerint JESU fata, mirum videri posset, si non praeclara quaeque de se professus esset. Hoc vero probatur iis, quae sibi tribuit JESUS, quibus apud nos constat, Eum nulla peccati labe infectum, ipsius vitae aeternae fontem fuisse, hujusque rei conscium Eum praescivisse, se mortis victorem e sepulcro proditurum esse. Prae caeteris ad hanc doctrinae Ejus partem attendimus, caetera missa facientes, quia arctiore nexu juncta illa nobis videtur cum Ejus reditu in vitam, ideoque singulatim

videbimus de JESU *ἀναμαρτήτῳ*, qui *ἡ ζώη* erat, atque in vitam se rediturum esse, praescivit et praedixit.

I. De JESU *ἀναμαρτησίᾳ* nulli dubitant, qui Sospitatorem generis humani Eum agnoscunt, neque eam negant quam plurimi eorum, qui dubitanter de vera JESU resuscitatione loquuntur. Eam probare minime nostrum est, qui ad JESU vitam attendimus, et, historia duce, quid de se ipse pronuntiaverit, quaerimus. Unice historiam consulentibus non facile erit probatu, ab omni peccati macula immunem fuisse JESUM, quod cum ULLMANNUS (1) probare conatus sit, Clar. tamen viro non ex omni parte bene id cessisse ostendit C. F. FRITZSCHIUS (2), qui dogmatica ac philosopha via incedendum esse monet. At constat, Apostolos de CHRISTO ita sensisse, ut Eum dicerent *τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον* (Act. III: 14.), *τὸν ἄμνον ἀμώμον καὶ ἀσπίλον* (1 Petr. I: 19), *τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν* (2 Cor. V: 21), et alibi aliter.

Etenim animi puri sibi conscius, JESUS se unum cum Patre sensit, et »qui me vidit," inquit, »Patrem vidit" (Joh. XIV: 9), Dei sanctissimi referens imaginem.

---

(1) Cujus liber *über die Sundlosigkeit Jesu* omnibus notus est.

(2) Commentationes IV *de ἀναμαρτησίᾳ* JESU CHRISTI, insertae in FRITZSCHIORUM *Opusce. Acadd.*, p. 43—142. Nuperrime quoque in lucem prodiisse video Diss. G. F. DÖHNERI, *de dictis aliquot* JESU CHRISTI, *quae ἀναμαρτησίαν ejus infringere videantur.* Zwiccav. 1840. Unice vero agens de Joh. I: 4, Matth. XII: 43 sq., XV: 26, Joh. X: 3, Matth. XIX: 26 sqq. plura omnino omisisse, alia minus recte animadvertisse videtur.

Quem Angelus jam dixerat *τὸ ἅγιον* atque *υἱὸν Θεοῦ*, is ita inter homines vixit, ita parentibus, discipulis, inimicis placuit, ut eorum nemo aliquid habuerit, quod ei objiceret, mali aut perversi. Quod perficiendum illi tradiderat opus Pater coelestis, id lubentissime perfecit, ita ut publice professus sit: *ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε* (Joh. VIII: 29). Quis hominum ejusmodi quid pronuntiaverit, nisi hypocrita aut fraudulentus ostentator? Quis, nisi probe convictus, nemini innotuisse, se aliquando peccasse dicam? an per totam vitam ne cogitatione quidem a bono se aberrasse, palam inimicos interrogare non dubitaverit: *τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας;* (Joh. VIII: 46). Haec sunt ejus verba, cujus erat cibus voluntati obsequi Patris, qui Eum miserat, qui, ut servos peccati, quippe *ἐν τῇ οἰκίᾳ* non versaturos *εἰς τὸν αἰῶνα*, liberaret, in mundum venerat, ipse scilicet *ὁ υἱὸς ὁ μένων εἰς τὸν αἰῶνα*. Ita discrimen fecit inter se ipsum et *τοὺς ποιοῦντας τὴν ἁμαρτίαν*, qui, ab eo liberati, vere liberi dici possent (Joh. VIII: 34—36). Peccati igitur imperio non suberat, neque umquam a Deo defecerat, quum caeteroquin mortales liberare non potuisset. Quocirca morte prope adstante preces fundens, *τὸ ἔργον*, inquit, *ἐτελείωσα, ὁ δέδωκάς μοι, ἵνα ποιήσω* (Joh. XVII: 4), et mox, *τὰ ἐμὰ πάντα σὰ ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά* (s. 10). Ita tantum conscia mens recti precatur ad Deum omnia scientem, quocirca si vel in minimis erraverit, aut coram Deo hominibusque *ἀναμαρτησίας* speciem quamdam falso jactasse censendus est, aut PETRO assentiendum, de JESU dicenti: *ὃς*

ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ (1 Ep. II: 22). At vel sic tamen mortuus est sanctissimus hicce inter homines! Vel sic tamen stipendium Eum meruisse peccati omnes jure statuerent! Mors enim, ubi finis imponitur vitae terrestri, neque ulla adest spes vitae post mortem felicis futurae, ubi peccati servum flagitiorum poenae manent, mors enim sibi CHRISTUM quoque subjecisset, et testimonio suo comprobasset Judaeorum criminationem. Quod si igitur in vitam non rediisset JESUS, peccato obnoxius fuisse habendus esset, licet origo Ejus fuerit extraordinaria, licet ab omni peccati labe omnibus immunis visus sit. Tum enim ipse Deus, qui τὸν θάνατον non tantum mortem physicam, corporis exitium esse voluit, sed statum etiam insequentem animi infelicissimum, palam professus fuisset, JESUM non fuisse ἀναμαρτήτον. Fuerit autem insons coram Deo, mors calamitosa perniciesque foedissima nequaquam in Eum quadrarunt, atque debuit in vitam revocari, qui poena peccati injuria fuisset mulctatus.

Verum jam videas, quid acciderit. Ipse ille, qui ante mortem, ut vidimus, peccati immunitatem sibi vindicavit, qui ad Deum precatus erat: δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί (Joh. XVII: 5), quae verba si mortalis homo, si servus peccati emittere auderet, blasphemiam continerent, ille, postquam per duas noctes diemque unum sepulcrum sibi habuit cadaveris habitationem, ἀναμαρτήτος apparuit e sepulcro egressus. Patuit ita, Eum certe non peccasse, qui poenas non exti-

mescebat peccati, cujus corpus nova vita donatum luce clarius comprobavit, Eum non mentitum esse. Quaerisne argumentum historicum e vita JESU, ut immunitatem Ejus probes a peccato, attendas, quaeso, ad reditum in vitam, quo majus non facile afferes, quo certius non invenies, quo ad aliis persuadendum magis idoneum non habetur. Nam ita filius esse Dei apparuit, qui a Patre in vitam revocatus est, prouti etiam *πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν* corpora mortalia vitâ donare valet; ille qui in vitam non revocatus fraudator habendus fuisset, jam resuscitatus *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι.*

Quis jam est, quin Deum audiens de JESU praedicantem: hic est filius meus, quem dilectum habeo; atque JESUM se filium esse Dei affirmasse sciens, continuo narrationi fidem negaret, quae mortuum fuisse, at non in vitam revocatum CHRISTUM, memoriae traderet? Hoc aenigma nec solvi posset, neque cum aliis JESU de se effatis componi.

II. *Ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή* (Joh. XI: 25); ita fontem et auctorem vitae se dixit JESUS, et alibi: *ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή* (XIV: 6), ita ut per illum, tamquam per viam certam ac tutam, ad Patrem pervenire unice possimus. Hoc tam certo enunciavit, quia arctissima conjunctio intercedit inter Ipsum et Patrem, qui *ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ*, et *ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ* (V: 26). Ex hoc vitae aeternae fonte non tantum verba profluebant melle dulciora, sed quae ipsam quoque mortem perniciemque fugabant; scilicet ex se ipse non loque-

batur, sed verba, quae ei Pater tradiderat, cum hominibus communicabat, Deique *λόγος ἀληθειά ἐστι* (XVII: 17). Ideo dixit, se daturum esse aquam, quam si quis gustaverit, *οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα*, quum aqua illa *γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον* (IV: 14). Ita quoque: *ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς* (VI: 35), quem panem *τὸν ἀληθινὸν* dixit, *ζωὴν διδόντα τῷ κόσμῳ*, qui e coelo descenderat; quo factum est, ut *τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον* ipse dare posset *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* (s. 27). Hunc miserat *ὁ ζῶν πατὴρ*, viventem, ut ipse addit JESUS, *διὰ τὸν πατέρα;* quicunque *ὁ τρώγων με*, inquit, (*τὸν ἄρτον ζῶντα*) *κἀκεῖνος ζήσεται δι' ἐμέ* (s. 57). Vitae auctor ita erat *τὸ φῶς τοῦ κόσμου*, quam lucem si quis sequi vellet, *ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς* (VIII: 12), uti alio loco, *κἀγὼ ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς*, affirmavit Sospitator (X: 28). Quae cum ita sint, non potuerunt non verba Ejus atque doctrina hanc habere vim, ut, qui ea audirent fideque amplecterentur, vitae aliquando futurae participes fierent; idcirco dicit JESUS, ipsi Patrem dedisse *ἐντολὴν*, quae est *ζωὴ αἰώνιος*, i. e. qui JESU auscultarent, iis verba Sospitatoris causam efficientem et fundamentum fore vitae salutisque aeternae (XII: 49, 50). Namque *ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν ἔχει ζωὴν αἰώνιον* (III: 36), quia Ejus *ῥήματα πνεῦμά ἐστιν καὶ ζωή ἐστιν* (VI: 63), eamque habent efficacitatem, ut, qui fidem CHRISTO haberet, vere vivere dici posset, etiamsi mortuus sit, quum mors sit vi sua destituta; *ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ*, ita CHRISTUS, *κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται* (XI: 25).

Quid? quod ipse monet, ut ne ullum relinquatur dubium, *ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα* (VIII: 51).

Qui ita *ἡ ζωὴ* erat, idem ille erat *ἡ ἀνάστασις;* qui fidem ipsi habentibus fons et auctor vitae exstitit, omnes ille corpore mortuos in vitam revocare potest. Distinguendum enim esse videtur inter *ζωὴν* et *ἀνάστασιν* (cf. Joh. VI: 39, 40, 54), et quum participes *τῆς ζωῆς* jam fiant, qui CHRISTO fidem habeant, hac in vita terrestri, ita mors physica est transitus ad vitam aeternam coelestem, ut hujus *ζωῆς* pignus haberi possit *ἡ ἀνάστασις*. Hanc ob causam Pater JESUM miserat, ut, qui filio fidem haberet, in aeternum viveret, unde JESUS promittit: *καὶ ἀναστήσω αὐτὸν ἐγὼ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ* (VI: 39, 40), imo *ἔρχεται ὥρα*, inquit, *ἐν ᾗ πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ* (*τοῦ υἱοῦ*), qui ad resurrectionem aut vitae aut damnationis resuscitabantur (V: 28, 29).

Qualia effata! Quot nominibus differt ille a caeteris mortalibus, quibus Deus vitam dare atque auferre potest, qui vitam cum aliis communicare non possunt, nec spiritum aut animam ne per momentum quidem temporis sibi vindicare; qui peccato servientes mercedem omnes accipiunt *τὸν θάνατον*, corporis animique aeternam perniciem. Inter tales exstitit aliquando homo, a peccato liber. Antequam his in terris versaretur, imo ante mundum conditum se apud Patrem fuisse, profitebatur, humanâ vero assumtâ naturâ, arctissime illâ cum

divinâ conjunctâ, ut *υἱος τοῦ Θεοῦ* et *υἱος τοῦ ἀνθρωπου* idem diceretur, fons erat uberrimus vitae, quam perditum genus humanum propter peccata amiserat. At quomodo ipse vitae fons, a Patre constitutus, interire aut exstingui potuisset, nisi ipso peccati imperio? In JESU CHRISTO autem non eam peccatum habuit vim, ut *τὴν ζωὴν* sibi subjiceret, et quum corpus *τοῦ Θεάνθρωπου* vi et supplicio necarunt mortales, non potuit non in vitam redire ille, *ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ* (Act. II: 24). Quì vero Pater omnium judicem constituisset Illum, qui mortuorum corpora resuscitaret, cujus sepulcrum clausum mansisse viderant ipsi homines, quem mortuum terra receperat, redivivum numquam viderat?

Rediit autem in vitam, ne morti ejusque adjunctis peccati poenis subesset, rediit in vitam, quia morte teneri non potuit. Historice constat, redivivum Eum e sepulcro prodiisse, quo vitae fons et auctor, quo ipsa *ἀνάστασις* esse apparuit. Summo jure, *καὶ μαρτυρεῖ*, inquit, *περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με πατὴρ* (Joh. VIII: 18); nam de Eo ita luculentissime Deus testatus est, ut toto animo, PETRI verbis usi, CHRISTO dicamus: *ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις!*

III. Quid? quod reditum in vitam *vaticinatus est!* Quod ne mirum videatur. Nam, prouti vidimus, ille, qui a peccato immunis erat, quique vitae fontem se esse professus est, in vitam se rediturum esse praescivit. JESUS eo lubentior Patri obtemperavit, jubenti *θεῖναι* (*τὴν ψυχὴν*) *καὶ πάλιν λαβεῖν αὐτὴν* (Joh.

X: 18), quo certius ejus fuit consilium, hominibus salutem aeternam recuperare, vindicare, confirmare. Personâ quoque suâ Deum iis patefecit, quae ne interiret prae caeteris cavendum erat. Praeterea salutare, quod perficiendum sibi sumserat, opus, tam bene JESUS perspectum habebat, ut de felici eventu ne per momentum quidem temporis dubitaverit, optime sciens, se Patris voluntati obsequi. Hac spe fretus alias quoque oves sibi congregandas esse dixit, qui voci invitantis auscultarent, *καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν* (Joh. X: 16), neque hoc tantum, sed fundamentum Ecclesiae suae validum esse scivit, ut affirmaret adeo: *καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς* (Matth. XVI: 18). Quantum solatium hoc ei praebuerit inter gravissimas vitae aerumnas, sponte patet, ubi tenerrimum advertimus amorem, quo totum genus humanum amplexus est. An vero hoc unice animum CHRISTO addiderit, ut fortiter oppugnaret mundum, peccatum, eorumque illecebras, jure dubitatur. Scilicet, si praevidisset JESUS, se non frustra quidem omnes vires intensurum esse in opus salutare perficiendum, hominumque salutem se stabiliturum, at *penitus* tamen se interiturum esse, ita ut personam ejus aggressi inimici, eam necarent pernicieique traderent, atque adeo cum dedecore se periturum esse; si praevidisset JESUS, pretium salutis generis humani suam esse vitam, suam personam, turpiter pereuntem, et in vitam non redituram, certo non ea animi fortitudine, non ea constantia, non ea voluptate se in mundi salutem tradidisset, quibus jam mortem Eum subeuntem videmus. Nam intercunte

Ejus persona, periissent salutares operis effectus: haesitassent amici, gavisi essent inimici. Vinculum, quod solvi non potuit, inter ipsum Ejusque opus intercessit; non doctrina tantum, non verba sufficerunt, sed adfuerit ipse necesse fuit, ut, prouti Patrem patefecit personâ suâ, ita quoque illa, numquam interitura, confirmaret atque omnibus insequentibus saeculis traderet salutares sui operis effectus. Quocirca, licet difficultates Eum non laterent, quas removendas inveniret, (quo respicit illud: *οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν*, Matth. X: 34.) intima tamen animi persuasio, quod vitae esset fons et auctor ex Patris voluntate, certiorem Eum reddidit gloriosae de morte victoriae, vitae novae initii, resuscitationis e mortuis. »*Lässt es sich bei dem, an* »*welchem wir überall die Klarheit und Sicherheit* »*bewundern, mit der er die Verhältnisse durch-* »*schaut,*" (sunt verba HASERTI (1),) »*lässt es sich bei* »*dem Erlöser erwarten, er habe es übersehen kön-* »*nen, sein Grab werde auch das Grab seines hei-* »*ligen Unternemens sein, wenn sich die Allmacht* »*Gottes nicht an ihm verherrlichen und ihn ins Leben* »*zurückrufen werde?*" At sciebat, se, quum veritatem patefaceret, non interiturum esse, ut *τὴν ζωὴν, τὸ φῶς τοῦ κόσμου, τὴν ἀνάστασιν* se dicere posset, atque ita persuasum habebat, »*das Leben,*" ut idem

(1) Cf. C. A. HASERT, *über die Vorhersagungen Jesu von seinem Tode und seiner Auferstehung*, 1839, pag. 20. Conferri merentur, quae inde a pag. 16 jam monuit.

HASERTUS (1), »*das durch ihn Wahrheit geworden* »*sei, könne nicht wieder untergehen, einmal in der* »*Geschichte der Menschheit zur wahrhaftigen That* »*geworden, müsse es fortdauern und seine Kraft* »*immer weiter und weiter verbreiten.*" CHRISTI memoriam per omnia saecula homines tenere certo debuerunt, si per Eum salutem aeternam consequi vellent, at nisi redivivus e sepulcro prodiisset, Ejus persona hanc vim minime habere potuisset. Sacram instituens coenam hoc praevidit, de morte sua cogitans hoc praescivit, atque igitur mirum nobis videri debuisset, si de reditu in vitam ne verbo quidem monuisset. Tradunt vero Evangelistae, Eum omnino ante mortem scivisse, e mortuis Eum Patrem resuscitaturum esse, quod et discipulis saepius annuntiavit: *ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ἀποκτανθῆναι — καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι* (cff. Matth. XVI: 21, Marc. VIII: 31, Luc. IX: 22. Matth. XVII: 9, Marc. IX: 9. Matth. XVII: 22, 23, Marc. IX: 31, 32. Matth. XX: 19. Marc. X: 34, Luc. XVIII: 33. Matth. XXVI: 32.). Licet vero JESU sermones, quos, morte proxime adstante, coram discipulis habuit, non totidem verbis reditûs in vitam mentionem injiciant, vel sic tamen numquam ita placide et quieto animo de sorte sua futura, et de iis, quae mox eventura erant, locutus fuisset, nisi probe scivisset, se e sepulcro redivivum esse proditu-

(1) L. l. p. 22.

rum (1). Non tantum hoc suspicatus est ratione humana, non erat incerta exspectatio, non tantum ex rerum *περιστάσεσιν* aut temporis ratione effecit, aut V. T. effatum quoddam secutus est, sed certo certius ex Patre hoc cognovit et praescivit, tertio se die in vitam rediturum esse, postquam mortem subiisset, atque disertis verbis coram Judaeis hoc professus est: *λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτὸν* (2) (Joh. II: 19.), prouti et alio tempore de reditu in vitam die post mortem tertio cogitasse videtur, Matth. XII: 39,

---

(1) Cf. ad hunc locum cl. H. E. VINKE, *Specim. laud.*, pag. 122—129.

(2) Tot ac tanta de loco hocce vere *πολυθρύλλητῳ* monuerunt celeberrimi interpretes, ut paucis monere sufficiat, quibusnam rationibus inducti JOHANNI Apostolo adstipulari malimus in verbis illis interpretandis, quam interpretibus ab eo recedentibus. Etenim si revera tam inusitata fuisset locutio *ναὸς* ad corpus significandum, si eam de templo vel omni alia re potius quam de *ναῷ τοῦ σώματος* interpretari nobis liceret, quî tandem factum est, ut ipse Apostolus eam ita explicuerit, qui in temporis sui usu loquendi certo praesidium invenerit hujus interpretationis? Qui itaque negant, vocem *ναὸς*, nude positam, *corpus* significare, videant quomodo JOHANNIS, qui aetatis suae usum loquendi recte cognitum habuit, explicationem emendent. Quod si vero Apostoli interpretationem nostram faciamus, intelligimus, quî factum sit, ut Judaei (Matth. XXVII: 63) sciverint, JESUM praedixisse, in vitam se esse rediturum. Qui a nobis dissentiunt, impropric locutum fuisse JESUM concedunt, sed quem ipsi afferunt verborum sensus plerumque difficilior est intellectu. Multus hîc est LÜCKIUS, quem confer ad h. l. Aliorum sententias refutatas videas a cl. VINKE, l. l. p. 9 sqq.

40 (1). Fuerunt omnino quam plurimi, qui JESUM praedixisse reditum suum in vitam negantes, post eventum haec verba Sospitatori tribuisse Apostolos statuerent. At quomodo, quaeso, hoc probent, ipsi videant, quum diserte Evangelistae tradant, discipulos, verbis JESU auditis de morte Ejus et in vitam reditu, tristitia affectos fuisse (ἐλυπήθησαν σφόδρα, Matth. XVII: 23), neque ullo modo, quid proprie voluerit, eos intellexisse (καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα, Luc. XVIII: 34), quod igitur e sua copia item postea addiderint necesse est, at eos addidisse quis credat? Quominus JESU effata postea a discipulis alio sensu allegorico memoriae tradita esse statuamus, quod BRETSCHNEIDERO, ne multos alios dicam, placere video (2), impediunt discipulorum cogitationes, Marc. IX: 10, qui verum verborum sensum non intellexerunt, συζητοῦντες τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. Praescivisse et praedixisse JESUM reditum in vitam statuimus (3); jam vero

(1) Cf. cl. VINKE, l. l. p. 55 sqq. Quae loco illo MATTHAEI inveniuntur verba, etsi non diserte quidem de reditu JESU in vitam agunt, vel sic tamen ad vaticinationes de resuscitatione e mortuis referri debere non est quod dubitemus.

(2) Cf. ejus *Handbuch der Dogmatik.* ed. 4, I, p. 302—305.

(3) Negat hoc STRAUSSIUS, *Leb. Jesu*, II, p. 344—362, qui finxisse haec vaticinia Apostolos statuit: »*wie es dem, der in die Sonne* »*gesehen, ergeht, dass er noch längere Zeit, wo er hinsieht, ihr* »*Bild erblickt: so sahen sie, durch ihre Begeisterung, für den* »*neuen Messias geblendet, in dem einzigen Buche, das sie lasen,* »*dem A. T., s.*« *überall, und ihre — Ueberzeugung, das Jesus der*

sponte in oculos tibi incurrit, quid accidisset, si mortuus in sepulcro mansisset. Constat quidem, discipulos non exspectasse JESU reditum in vitam, mortem Ejus luxisse animumque eos defecisse, at nihilominus, quod praedixerat CHRISTUS, nisi eventu fuisset comprobatum, ab omnibus in Ejus damnum conversum fuisset. Ex dictis satis superque patet necessitas, ut ita dicam, JESU resurrectionis, nam ille, qui de se dixerat: ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὴν (sc. τὴν ψυχήν μου), quique affirmaverat: καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτὴν (Joh. X: 18), vere ita a mortalibus omnibus distinguebatur, quorum nemo ταύτην τὴν ἐντολὴν accepit παρὰ τοῦ πατρός; ille, nisi in vitam rediisset, vanam speciem, nescio cujusnam, inanis gloriae jactasset. Sed reditus in vitam probavit, quae de se praedixerat, ut non amplius dubii haereamus voci obtemperare jubentis: αὐτοῦ ἀκούετε!

Quis jam est, quin arctissimam conjunctionem per-

»*Messias sei*, — *grieff' nach Stützen*, *welche langst gebrochen sind*." *u. s. w.* HASIUS, *Leb. Jesu*, § 90, ex eventu vaticinationes adauctas esse statuit, et temporis indicium, diei tertii, augmentum dicit Apostolorum. Contra hos nonnulla monuit OSIANDER in *Apologie d. Leb. J.* p. 275, qui de STRAUSSIO: »*Der Schlupfwinkel*," inquit, »*der beliebten* »*Hypopothese einer Weissagung* ex eventu *ist hier dem Rationalisten* »*versagt*, *da er wirklichen Erfolg nicht einräumen kann und eine* »*Prophezeiung aus demselben eine doppelte Täuschung ware*." NEANDER, *Leb. Jesu*, ed. 3, p. 701 sqq., quodammodo concedere videtur, nonnulla JESU effata postea demum formam accepisse vaticinationis de reditu in vitam, uti Joh. II, 19, Matth. XII: 39, 40.

spectam habeat resurrectionis JESU cum doctrina, quam de se ipse profitebatur, se dicens a peccato immunem, vitae fontem et auctorem, atque ita e sepulcro redivivum se esse proditurum? Prouti illa valet ad ipsum rite cognoscendum, ita quoque Ejus reditus in vitam vere pars est habenda doctrinae de CHRISTI persona, quatenus vitam patefecit aeternam, peccati vim frangentem. JESU in vitam reditum aufer, et simul CHRISTUM nobis aufers, qui unus cum Patre, *χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, generi humano attulit *τὴν ζωὴν* et *τὴν ἀνάστασιν*. Non recte igitur judicasse de JESU resuscitatione nobis videtur SCHLEIERMACHERUS (1), arctissime conjunctam eam esse cum doctrina de Ejus persona negans: »*wenn* »*doch*," inquit, »*auf dem Sein Gottes in Christo* »*seine erlösende Wirksamkeit beruht, und eben der* »*Eindruck davon, dass ihm ein solches einwohne,* »*den Glauben an ihn begründete: so ist ein unmit-*»*telbarer Zusammenhang dieser Thatsachen mit jener* »*Lehre nicht nachzuweisen*" (agit autem de reditu in vitam, ascensione in coelum et *παρουσία* CHRISTI). Quum vero in eo in primis cernatur munus JESU redemtoris, quod a peccato nos liberavit, quod vim peccati fregit, atque morte sua vitam nobis vindicavit, *φωτίσας ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν*, quaerimus: quomodo hoc perfecisset, nisi ipse a peccato et morte, tamquam poena peccati, liber, nisi ipse *ἀναμαρτήτος*? Quis vero neget, doctrinam de JESU immunitate a peccato pertinere ad doctrinam de

(1) *Der Christliche Glaube u. s. w.* II, § 99.

Ejus persona? Quid? quod gravissimam ejus partem efficit! Quod si verum est, apparet, eo nomine reditum Ejus in vitam omnino in censum venire, si quaeris: quis fuerit JESUS? prouti luce clarius apparuit, arctissimam esse conjunctionem resurrectionis Ejus cum *ἀναμαρτησίᾳ*. Monet SCHLEIERMACHERUS, ut sententiam suam probet, discipulos JESUM agnovisse *τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ*, quum Ejus in vitam reditum ne suspicati quidem sunt. Cui respondemus, PETRUM professum quidem esse omnium discipulorum nomine: *Κύριε, πρὸς τίνα ἀπελευσόμεθα; ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις·* (Joh. VI: 68.) *σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος* (Matth. XVI: 16); sed uti JESU in vitam reditum, sic eo tempore neque Ejus mortem suspicabantur. Omnino et PETRI et caeterorum fides procul dubio defectura fuisset, nisi illum, cui summa quaeque tribuerunt, quem mortuum ne cogitare quidem potuerunt, redivivum vidissent e sepulcro prodiisse (*Ἵλεώς σοι Κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο*, verba erant PETRI, Dominum reprehendentis, quum hic de morte sua loqueretur, Matth. XVI: 22). Item negandum esse censemus, quod addit SCHLEIERMACHERUS, nos quoque JESUM Dei filium agnoscere, nulla ratione habita Ejus in vitam reditûs (1). Scilicet nos numquam non cum PAULO laudes celebramus JESU CHRISTI, *τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει — ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν* (Rom. I: 4), quem si mortuum,

(1) L. l. »*Die Jünger erkannten in ihm den Sohn Gottes, ohne »etwas von seiner Auferstehung und Himmelfahrt zu ahnden, und »dasselbe können wir auch von uns sagen.*"

at non resuscitatum, habuissemus, an Dei filium Eum dicturi fuissemus, valde dubitamus. Aeque minus ei assentiendum est, CHRISTUM ad gloriam coelestem evehi potuisse, etiamsi in vitam non rediisset, statuenti, si salutares saltem haberet effectus mors Sospitatoris, quum et mors et reditus in vitam pars sit operis Ejus salutaris (Rom. IV: 25), quibus de peccati et morte, peccati poenâ, victoriam reportavit. Ita certe senserunt Apostoli, qui ubivis annuntiarunt, e mortuis JESUM esse resuscitatum; *εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται — κενὴ ἡ πίστις ὑμῶν* (1 Cor. XV: 14.). Quaenam vero fides innuitur? Ipse quondam PAULUS: *πίστευσον*, inquit *δεσμοφύλακτι* Philippensi, »*ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ σωθήσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου*," et mox Evangelium ei annunciavit (Act. XVI: 31, 32), quod in primis CHRISTI in vitam reditum fuisse, quis neget? Non recte igitur SCHLEIERMACHERUS existimat, »*dass der richtige Eindruck von Christo vollständig vorhanden sein kann und auch gewesen ist, ohne eine kunde von diesen Thatsachen*," et redemtorem nos CHRISTUM agnoscere posse, etiamsi Ejus in vitam reditûs certiores non facti essemus; erravit adeo, fidem CHRISTI resuscitationi habendam pertinere statuens »*mehr zur Lehre von der Schrift — als zur Lehre von der Person Christi;*" quodsi verum esset, non video, quare illam ubivis Apostoli tam strenue vindicarint, tanti fecerint, ad coelum ejus momentum evexerint; sin jure summo hoc fecerint, JESU reditum in vitam ad doctrinam de Ejus persona referendum esse statuimus.

§ 3.

Nexus cum factis Ejus mirificis.

Pauca addamus de conjunctione JESU in vitam reditûs cum factis Ejus mirificis. Concedimus, CHRISTUM plurima quidem patrasse miracula, ita ut dicere potuerit: *τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται* (Matth. XI: 5); sed idem fecerunt Israëlitarum prophetae, idem Apostoli, quocirca hoc privum sibi propriumque CHRISTUS non habuit. Attamen uti antecedentia, quae monuimus, satis superque docuerunt, ab omnibus hominibus plane diversum fuisse JESUM, ita si mortuus in sepulcro mansisset neque in vitam rediisset, MOSI atque ELISAE, PETRO atque JOHANNI aequiparandus fuisset. Miracula enim in Aegypto MOSES patravit, mortuum in vitam revocavit ELISA, verbisque PETRI: *Ταβιθὰ ἀνάστηθι!* illa auscultavit. At vero ipsi hi mortui sunt cum iis, quibus vitam reddiderant, omnesque mors atra premit. Per temporis spatium generi humano profuerunt illi; mortuos illos memoria jam colimus. CHRISTUS autem per omnia saecula vivere, salutis fons esse aeternae debuit. Non tantum Judaeis, non tantum sui temporis hominibus lux et solatium exstitit in tenebris; sed nobis etiam, iisque qui posthaec vivent, idem ille erit *ἡ ζωὴ*, felicitatis auctor. Eo amor erga aequales Eum perduxit, ut non tantum omni modo eorum saluti prospexerit, sed et mortuos in vitam revocaverit. Quis verborum

Domini non memor est: *μὴ κλαῖε*, dolentem alloquentis matrem, quae filium mortuum luxit, filium vero jubentis: *νεανίσκε, σοὶ λέγω, ἐγέρθητι* (Luc. VII: 11 sqq.)? Quemnam fugit CHRISTI sapientia et amor divinus, cum JAÏRI filiae vitam (1) reddidit (Marc. V: 22. Luc. VIII: 41 sqq.)? Quod si quis filium Dei adspicere velit, nil humani a se alienum putantem, gloria divina fulgentem, LAZARI adeat sepulcrum, ibique Sospitatorem lacrimas fundentem, precantem, in vitam amicum revocantem intueatur (Joh. XI: 11 sqq.). Egregie haec in Eum quadrant, qui vitam sibi tribuit aeternam ab ipso Patre acceptam, cujus facta mirifica aequales incitarunt et per-

(1) OLSHAUSENUS, *Comm.* II, p. 552, de hoc loco dicit: »*Sollen »wir die einfache, ganz entschiedene Erklärung Christi: »das Mägd-»lein ist* nicht todt, *sondern sie schläft*," *umdeuten in den Satz: »das Mägdlein* schläft nicht, *sondern sie ist todt*," *so gestehe ich »nicht abzusehen, wie da noch von sichern Resultaten der Exegese »die Rede seyn kann.*" Concedimus JESUM de filia JAÏRI, quam mortuam esse putabant adstantes, dixisse: *οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει* (Luc. VIII: 52), sed idem de LAZARO mortuo dixit: *κεκοίμηται*, atque se abiturum esse monuit, ut e somno eum excitaret (Joh. XI: 11). Sed LAZARUS vere mortuus fuit, ut adeo ex verbis JESU de filia JAÏRI haudquaquam argumentum peti possit, ad probandum, eam non mortuam fuisse, praesertim quum somnus mortis imago recte habeatur (cf. Joh. XI: 14). Omnes quidem existimarunt, vere mortuam fuisse filiam, unde JESUS, verbis illis usus, eos de morte consolatur. Omnis ejus agendi ratio docet, minime errasse parentes et amicos defunctae, nam erroris eos non convicit, quod certo caeteroquin fecisset; LUCAS denique multis annis post de filia scripsit: *ἀπέθνησκεν* (s. 42).

moverunt, ut fidem Ei haberent, tamquam filio Dei. Explicatu difficile jam mihi videtur, JESU fidem habuisse tot, quot nactus est, asseclas atque amicos, nisi apud eos constitisset, mortuos in vitam Eum revocare potuisse, quem e mortuis resuscitatum esse sciverunt. Illud etiam ab eo exspectasse aequales, docet quodammodo Judaeorum agendi ratio, qui JESUM prope LAZARI sepulcrum viderunt lacrimantem et dixerunt: *οὐκ ἠδύνατο οὗτος, ὁ ἀνοίξας τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ, ποιῆσαι, ἵνα καὶ οὗτος μὴ ἀποθάνῃ* (Joh. XI: 37); quanto magis nos, qui omnem ab Eo salutem exspectamus, mortuo diffideremus Sospitatori, qui aliis vitam reddiderit, ipsi autem Patrem redditurum vitam sperare non potuerit, aut ab altera parte creditu difficile est, JESUM e mortuis resuscitatum mortuos ipsum in vitam revocare non potuisse. Cum Judaeis: *ἄλλους ἔσωσεν*, quam plurimi dixissent, *ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι*. Neque est quod diffiteamur, mirum non esse, CHRISTUM, qui de se praedicavit, *πάντας τοὺς ἐν τοῖς μνημείοις* suam audituros esse vocem, in vitam quoque revocasse mortuos, quum his in terris versaretur; cogitari vero non posse CHRISTUM, qui non tantum mortuos in vitam revocaverit, sed omnes olim in vitam revocaturus est, ipsum mortem subiisse, neque a Patre in vitam esse revocatum. Aenigma hoc esset a nemine solvendum. At solvit illud Deus omnipotens, qui, uti in caeteris, ita quoque hac in re pulcerrimam adesse voluit harmoniam; nam *tum* fatis JESU, *tum* doctrinae, *tum* factis respondere videmus JESU reditum in vitam. Quum de JESU resuscitationis veritate histori-

ca tuto jam nobis persuadere possimus, rectius intelligemus quoque ea, quae de factis Ejus mirificis, de mortuis ab Eo in vitam revocatis, traduntur. Haec enim facta arctissime conjuncta apparent cum ejus persona et cum doctrina, quam de se profitebatur (1), quae jam melius intelligi possunt.

Ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς (Col. II: 9). Hoc luculenter, ni fallor, probarunt huc usque disputata de fatis, doctrina, factisque JESU CHRISTI, hoc probavit redivivus, quum e sepulcro prodiit. Quod initio hujus Capitis diximus, id jam confirmatum videmus, egregie non tantum convenire vitae CHRISTI partes inter se, verum etiam, si pars eorum, quae traduntur, deësset, claudicare caetera omnia et intelligi vix posse. Tota JESU vita eam in nobis habet vim, ut summam admirationem nobis moveat; ut Deo gratias agamus, qui in ea suas virtutes, maxime suum erga homines amorem, tamquam in speculo, intuendum nobis dederit, utque Angeli vaticinium impletum existimemus: *οὗτος ἔσται μέγας, καὶ υἱος ὑψίστου κληθήσεται* (Luc. I: 32).

---

(1) Recte SACK, *Polemik.* p. 196. »*Da Christus selbst als das wahre, persönliche, göttliche Wunder dasteht, und als der Herr des Lebens erwiesen ist, erscheinen Seine Wunder als natürliche Lebensäusserungen Seiner Persönlichkeit, als wahre Wunder, vollbracht aus Seinem Einssein mit Gott heraus, als Werke Seines Vaters.*"

CAPUT II.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM HISTORIA APOSTOLORUM INTERCEDIT.

Prouti abrupta videtur historia JESU, si reditum Ejus in vitam negas, ita quoque, negato illo, aenigmati nobis est Apostolorum historia. Sive enim spectes eorum animi conditionem, sive fata, tantum observatur discrimen inter eorum de JESU sentiendi rationem fataque, postquam nuntium acceperant resuscitationis JESU, comparata illa cum eorum historia, tum ante Sospitatoris crucis supplicium, tum per illud temporis spatium, quo in sepulcro fuit, ut, quin majorem ullam mutationem animadverteris, jure dubites; quod si vero JESU resurrectioni eam tribuas, non amplius mira tibi videbitur. De ea igitur accuratius videamus.

§ 1.

Nexus cum mutata Apostolorum animi conditione.

Lubenter concedimus, homines saepissime ita sibi non constare, ut, quod olim magni fecerunt, deinceps nihili faciant, quod antea verum crediderunt, ei mox omnem fidem denegent, quod olim aggredi vix ausi fuerunt, deinceps fortiter peragant. Attamen causa fere semper adest mutati animi aut consilii, et rari sunt leves isti ho-

mines, qui quotidie alia specie tibi appareant, cujus tamen mutationis nulla justa causa dari possit. Ab his omnino differunt CHRISTI Apostoli. Evangelistarum narrationes eos nobis informant ante diem post mortem JESU tertium *dubitantes*, *animo deficientes atque in agendo infirmos*, de morte JESUM loquentem audientes *anxii* et *tristes*. Paucis vero diebus post eorum observamus *inconcussam fidem*, *audaciam atque constantiam*, *animum laetum*. Digna haec sunt, quae brevi exponantur.

Dubitabant saepe discipuli (arctiore sensu ita dicti), non eam CHRISTO fidem habentes, qua dignus erat ille, qui tanta σημεῖα et τέρατα fecerat, quo factum est, ut illos JESUS reprehenderet, eorumque ἀπιστίαν culparet. Tempestate adeo exorta, maris ventorumque metuerunt furorem, licet, qui paulo ante aegrotos sanaverat, iis adesset. Querentibus: κύριε, σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα, respondet Ille, τί δειλοί ἐστε, ὀλιγόπιστοι (Matth. VIII: 26); πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν (Marc. IV: 40). Fides eos defecisse videtur, licet paulo ante magnae hominum multitudini parvâ cibi copiâ sat edendum praebuisset ille (Matth. XVI: 8, 9; Marc. VIII: 17, 18), ita ut πεπωρωμένην τὴν καρδίαν eorum reprehendat. Aegrotum sanare non potuerunt (Matth. XVII: 16; Marc. IX: 18), quia eorum fides debilis erat, nullamque in ipsis habebat vim (Matth. XVII: 19, 20), quocirca γενέαν eos dicit ἄπιστον καὶ διεστραμμένην. Dubius haerens quaesivit PETRUS, quamnam accepturus esset cum caeteris mercedem, propterea quod JESUM essent secuti (Matth. XIX: 25—27). Ideo hoc iis incul-

cavit Sospitator: ἔχετε πίστιν Θεοῦ (Marc. XI: 22), qua fieret, ut majora etiam perficere possent. Infirmum autem discipulorum animum mutatum prorsus deinceps videas, fidemque confirmatam, ita ut multa τέρατα καὶ σημεῖα facerent (Act. II: 43), aegrotos sanarent (III: 7; V: 16), fide inter se arctissime conjungerentur (IV: 32), atque summa cum fiducia loquerentur, Dei auxilium implorantes (IV: 29). Dubitationes exceperat inconcussa fides, animi haesitationem fiducia, Deo habita.

Animo item antea *deficiebant* atque in agendo infirmi apparebant. Audias PETRUM acriter profitentem, se minime Dominum deserturum esse, cui assentientes videmus caeteros (Matth. XXVI: 33, 35); attamen non ita diu post neque cum amico carissimo vigilare valent, neque ei succurrunt, cum vim illi inferrent. Quid? quod PETRUS ipse ter vehementer negavit, umquam se fuisse cum JESU, cognitumve Eum habuisse. Revera vix ac ne vix quidem credas, eundem illum fuisse PETRUM, qui Dominum liberare studuerat, strictoque gladio MALCHI absciderat aurem. Sed brevis fuit animi fortitudo; quum enim captivus abducendus JESUS cohortem admonuisset, ἄφετε τούτους ὑπάγειν, discipulos innuens (Joh. XVIII: 8), omnes fere in fugam se conjecerunt, solum relinquentes amicum (Matth. XXVI: 56, ἀφέντες αὐτὸν, ἔφυγον. Marc. XIV: 50, coll. Luc. XXII: 49, 50). Et vel sic tamen sortem hanc praeviderant quodammodo; etenim, quum Bethaniam adire sibi proposuisset JESUS, illum reprehenderant, et de Judaeorum saevitia et furore

monuerant (Joh. XI: 8). Vere erant *πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων*. Quid de illis exspectares, ubi eventu comprabatum esset, quod iis Dominus praedixerat: *παραδώσουσι ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς, καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν* (Matth. X: 17, 18)? Iterum se fuisse JESU discipulos negantes, trementes, timidos, pavidos eos deinceps fuisse putasne? Erras profecto! Namque idem ille, »quem vox ancillae terruerat, qui vivum ter in »hora abnegarat, ablatum ex oculis confitetur, celebrat »Hierosolymis apud Magistratus, coram Sacerdotibus, »nec ullis precibus abstineri, nullis jam minis absterreri »potest" (1). Qui antea in fugam se conjecerunt, postea coram pluribus hominum millibus se testes JESU professi sunt, qui, ad crucem actus atque supplicio calamitoso mulctatus erat. Quid? quod Judaeos publice accusavit PETRUS de morte ignominiosa, qua *τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς* vita privaverant. Licet adeo vim iis inferrent Judaeorum proceres, atque vetarent, de JESU in posterum loqui, tamen palam professi sunt PETRUS et JOHANNES, se Deo malle quam hominibus auscultare. Quae audacia, non fanatismi furori aequiparanda, sed hominum, probitate insignium, fortitudo dicenda! Probe sciverunt, quid facerent, atque facere eos oporteret. Et summa constantia ita de JESU testati sunt Hierosolymis, per

(1) Haec MORNAEI verba laudata videas a KOECHERO ad HUG. GROTII *de Ver. Rel. Chr.* librum, *Annotationum* p. 185.

Judaeam, Galilaeam, Samariam, extra Palaestinam, coram Judaeis et Gentilibus. Vitam parvi fecerunt, ubi CHRISTI honos celebrari posset. Miraculum hoc omnino dicendum est. Namque »aperte agunt, nihil dissimu»lant; circumstantias omnes" (ut recte TURRETTINUS dixit) »recensent; notant loca, notant tempora singulorum »eventuum, notant nomina personarum, notant sacer»dotes, magistratus, privatos homines, eos omnes de»nique, quorum aliquae his in factis partes fuerant. — »Coram omnibus, Judaeis, Gentilibus, Doctoribus, »Philosophis, Magnatibus facta illa audacter promulgant; »ea memorant, inculcant, repetunt, nulla non occasi»one, nullis non in locis. Non metuunt, non sunt sol»liciti, ne sibi non credatur; res maxime miras atque »stupendas ita nude atque secure tradunt, quasi ea nemo »in controversiam vocare possit. Nullum artificium, »nulla cautio, nullae latebrae, nullae offuciae in iis »omnibus deprehenduntur. Sic dicunt, sic agunt Apo»stoli" (1), atque ita audacter atque constanter et fortiter, ut numquam animum eos deficientem aut in agendo infirmitatem deprehendere possis. — Nec carcerem neque cruciatus metuerunt, nec mortem adeo reformidarunt, corumque nullus, licet fortuna admodum adversa usus, licet gravissimas perpessus aerumnas, CHRISTI causam reliquit.

Anxietatem et tristitiam discipulorum observes, quoties, antequam mortem subierat, JESUS de ea loqueretur.

(1) TURRETTINI *Opera omnia*, I, 335.

Sensim paulatimque Sospitator discipulis annunciavit, quid futurum esset, qua tristi sorte usum ipsum morti traditurі essent Judaei, consolationem simul addens, laetum nuntium de resuscitatione futura. At non intelligunt illi verum horum verborum sensum; vel inter se de eo disputant, vel eum interrogare non audent. Dominum reprehendit PETRUS, se sperare indicans fore, ut ejusmodi quid non eveniret (Matth. XVI: 22). Deinceps, cum iterum haec praediceret JESUS, a lacrimis vix abstinere possunt; *ἐλυπήθησαν σφόδρα* (XVII: 23). De Ejus reditu in vitam ne cogitant quidem; idcirco tam tristi animo sunt, postquam magister sepultus erat, nullamque spem eos habuisse constat melioris rerum conversionis (conff. quae supra (1) monuimus). At quid videmus? Intra duorum mensium spatium totus eorum animus mutatus est. Mortuum, quem in vitam rediturum esse non exspectarunt, jam Judaeis annunciant, dicentes, *τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεὸς*, saepiusque, quasi magnus esset honos magnumque privilegium, diserte hoc inculcant: *οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες*. Id probare conatur PETRUS ex V. T. effato; de hac re quam plurimis eos persuadentes, omnesque *αἰνοῦντες τὸν Θεὸν* videmus (Act. II: 47). Nulla tristitia impediti verba faciebant, eorumque *παῤῥησίαν* omnes mirabantur.

Omnino habemus quod miremur. »*Wer gab denn* »*denen eben noch vorhin so anders- und grobden-* »*kenden Fischern und Zollnern diesen neuen kunst-*

(1) p. 89 sqq.

»*lichen Plan an? Wer gab ihnen solchen jetzt zur*
»*ungeschicktesten Zeit an, da sie mit einem an 's*
»*Kreuz gehängten, unter Schmach und Abscheu ge-*
»*storbenen Messias zum Vorschein kamen, und da-*
»*mit selbst zum Spott und Abscheu werden mussten?*"
Ita HERDERUS (1). Et revera fidem animadvertimus inconcussam, audaciam et constantiam, laetumque animum eorum, qui brevi antea dubitantes, animo deficientes atque in agendo infirmi, de morte sua JESUM loquentem audientes anxii tristesque fuerant. Haec mutatio tam subito obtinuit, ut neque fanatico errori, qui temporis demum lapsu variisque rebus adjunctis oriri solet, neque studio emolumentum, honores aut asseclarum magnam copiam assequendi eam tribuere possimus. Nullam, nisi JESU resuscitationem e mortuis dicas, causam invenies. Prouti enim haec valuit ad CHRISTI auctoritatem comprobandam, ad fidem ipsi habendam stabiliendam, ita, quem ante mortem nondum recte cognoverant, post reditum in vitam divinum non tantum legatum, sed Dei adeo filium agnoverunt. Hoc eo magis animum iis reddidit, quo tristiores post mortem Domini fuerant; et quo certius apud eos de veritate JESU resurrectionis constitit, eo firmius atque constantius evasit studium, aliis de hac re persuadendi et ad CHRISTUM caeteros adducendi. Quidquid iis accideret, memores verborum Domini erant, cum iis valedicens dixisset: *εἰρήνην ἀφιήμι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν, οὐ*

(1) L. l. IV: 13.

καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν· μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, μηδὲ δειλιάτω (Joh. XIV: 27); memores verborum Domini erant, quum promissis steterit miseritque Spiritum S. (cf. XVI: 7), de quo JESUS dixerat: ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει (s. 13). Ne disputatio nostra terminos excedat, haec multis exponere non licet, at sponte in oculos incurrit, aenigmati nobis esse Apostolorum de JESU sentiendi, et eorum agendi rationem ante JESU mortem et post reditum in vitam, si hunc negas; auferas igitur potius historiam, quae mirabilia et δυσνόητα nobis tradat, nullo modo solvenda; quae simplices et incultos homines sensisse et egisse narret, eorumque mutationem describit animorum, sublatâ et causâ ejus et opportunitate. Atque idem valet de fatis Apostolorum.

§ 2.

Nexus cum Apostolorum fatis post JESU *in coelum ascensionem.*

Observatu dignum est, Apostolos tantum asseclarum numerum nactos esse cum Hierosolymis, tum in Palaestina, quum palam ubivis professi sunt, JESUM Nazarenum, a Judaeis ad crucem actum, in vitam e mortuis rediisse; simul vero attendendum est ad modum, quo caeteri, qui non cum iis facerent, Senatus in primis, Pharisaei et Sadducaei hanc redivivi annunciationem acceperint. Utrumque explicatu difficile erit, si JESUM

neges in vitam rediisse, nec facile furorem, infirmitatem et invidiam imbecillam inimicorum intelliges. Quid fecerint Judaeorum Senatores, audito illo: »JESUS resuscitatus est," supra (1) vidimus. Minime illud negarunt, licet fabulam et vagum rumorem totam rem esse probare potuissent. Attamen captivos abduxerunt Apostolos. Quemnam igitur errorem hi commiserunt? Si enim rem in facto positam hominibus annunciassent, caeterum pacis amantes, novarum rerum studio non ducti fuissent, illatae vis nulla justa dari potest causa. At insontes erant, nullius criminis rei, quum continuo liberos eos dimiserint Judaeorum proceres; hoc unum tantum noluerunt isti admittere, annunciationem nempe redivivi CHRISTI. Hac in re autem differebant a discipulis, qui hoc unum missum facere noluerunt, tacere de redivivo recusarunt. Inde novae persecutiones, iterata captivitas, vincula, nova denuo captivorum dimissio. Qua in re hoc prae caeteris mirum nobis videatur. JESUM, dum in vivis erat, aggredi non ausi sunt Judaei festo Paschatis, metuentes, ne ipsi populares se iis opponerent (Matth. XXVI: 5), seditionem moventes, et saepius vim CHRISTO inferre non veriti fuissent, nisi magnam hominum turbam ei faventem et auscultantem vidissent. Apostolos vero, quum claudum sanassent hominem, et ad populum verba facerent in medio templo, magna adstante corona, captivos abduxerunt Sacerdotes, praefectus templi et Sadducaei, *διαπονούμενοι διὰ τὸ*

(1) p. 93 sqq.

διδάσκειν αὐτοὺς τὸν λαὸν, καὶ καταγγέλλειν ἐν τῷ Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν (Act. IV: 1 sqq.). Haec duo jam animadvertas, quaeso. Nonne verosimile est, Sacerdotes periculum existimasse in mora, propterea quod vim inferrent discipulis JESU, licet ingens multitudo (quinque millia virorum memorantur, s. 4) illis faveret? Mihi saltem ita visum est. Quod si vero mortuus in sepulcro JESUS mansisset, quod numquam posuerunt isti aut affirmare ausi sunt, non video, quare tantopere ejus discipulos vexarint Sacerdotes, quum tale mendacium sponte falsum apparuisset. Causa quaeri non potest in eo, quod populum docuerint; divinam enim doctrinam tradere unicuique licitum erat. Estne fortasse causa quaerenda in eo, quod annuntiarint ἐν τῷ Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν (s. 2)? Nullum, ni fallor, dubium exstat, quin hanc ipsam ob causam adfuerint Sadducaei, estque hoc alterum quod animadvertas velim. Etenim patet ex Evangeliorum narrationibus, acerrimos JESU inimicos fuisse Pharisaeos, Sacerdotes legisque peritos, quibus valde displicuit JESU agendi ratio, in eo praesertim perversa (ut isti dicebant), quod populum a doctoribus abduceret et ad se traheret, quo non potuit non auctoritas eorum diminui. Praeterea odiosus erat Pharisaeis, quia horum vitia et crimina palam reprehendit. Quod autem attinet ad Sadducaeos, hi non ita populum curabant, sed unice doctrinam JESU de ἀνάστασει mortuorum aegre ferebant, quocirca placide et nugatorie cum eo disputabant (cf. Luc. XX: 27 sqq.), eos vero Dominum odio persecutos esse, prouti Phari-

saei, memoriae non traditum est. Sed mutata est eorum agendi ratio, JESU mortuo. Non refutant Apostolos, sed captivos abducunt, quo valido argumento in posterum quoque usi sunt (cf. Act. V: 17, 18). Quidni potius cum iis disputarunt, victoriam sine dubio reportaturi, cum de eorum magistro, qui tanta de mortuorum resurrectione praedicaverat, sibique eam tribuerat, at ipse mortuus quoque jacebat, certe risissent. Sed nihil ejusmodi. Nihil habuerunt, quod opponerent, atque igitur, uti homines solent, quibus ita silentium imponitur, adversarios convitiis et injuriis petunt, aut vi et armis tacere cogunt. Prouti autem Sacerdotes de JESU in vitam reditu sibi persuasisse videntur, ita quoque, uti patet, Sadducaei. At vero quomodo haec jungenda fuissent placita: non est resurrectio mortuorum, ab altera parte; ab altera: JESUS *mortuus* in vitam rediit. Priorem partem missam facere noluerunt, alteram igitur negare debuissent. Sed res in facto posita negari non potest, atque igitur nihil facere potuerunt, quam discipulos impedire, quominus cum aliis historiam illam communicarent. Postea quoque serio rem tractasse videntur, quum de PAULO Apostolo ageretur (cf. Act. XXIII: 6, sqq.). Ita modus, quo Apostolis se opposuerunt adversarii, quo illos hi persecuti sunt, et doctrinae de redivivo annunciationem prohibere studuerunt, nullo modo intelligi potest, nisi statuas, vere in vitam rediisse CHRISTUM. Ita in eo hujus rei momentum tibi appareat, quod jam Apostolis rem fuisse cum adversariis pateat, qui voluerunt quidem, at nullo modo,

uti historia docet, negare potuerunt, e mortuis JESUM resuscitatum esse.

Quae cum ita sint, patet, cum mutata Apostolorum animi conditione fatisque arctissime junctam esse vitam JESU, et partem ejus gravissimam fere, reditum in vitam. Hic tantam in ipsis habuit vim, ut eorum historia tum demum rite exponi possit, ubi CHRISTUM resuscitatum esse concesseris. Quod si eam neges, quî, quaeso, simplices homines, caeteroquin ejusmodi quid non excogitaturos, condidisse Ecclesiam Christianam tibi verisimile videatur?

CAPUT III.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM FATIS ECCLESIAE CHRISTIANAE PRIMAEVAE INTERCEDIT.

»*Das Christenthum ist siegreich eingeführt und* »*die Kirche gegründet worden über dem Grabe des* »*Auferstandenen.*" Quod rectissime HASIUS (1). Etenim JESUM in vitam rediisse testatur historia, et vere conditam esse Ecclesiam Christianam nobis tradit. Licet prius quidem negent nonnulli, hoc tamen ille tantum negabit, qui solem nobis lucem afferre infitias ire audet. Videant igitur, ut difficultates removeant, qui, adesse Ecclesiam concedentes, negant e mortuis JESUM resusci-

(1) *Leben Jesu*, § 125, p. 217.

tatum esse; nam quum e JESU resuscitatione pendeat Ecclesia Christiana, haec, negata illa, aenigmati nobis erit, ejusque originem frustra explicare conabimur. Spectes eam vel conditam inter Judaeos, vel propagatam inter Gentiles, certe numquam ea sorte usa fuisset, si auctorem habuisset JESUM *cruci affixum*, e mortuis *non resuscitatum*. Itaque Ejus in vitam reditûs momentum in eo quoque apparet, quod, illo vindicato, Ecclesiae Christianae primaevae fata explicare possimus.

§ 1.

Nexus cum Ecclesiae Christianae origine inter Judaeos.

Religio Mosaïca, divinitus instaurata, omnibus temporibus accommodata Judaeis videbatur, eandemque semper habitura esse auctoritatem, quam olim MOSI, omnium prophetarum summo, tribuerant Israëlitae. Vi sua eam privarunt, qui captivum abduxerant populum, in pristinum vero statum eam restituerunt, qui libertatem populi vindicarunt. Arctissime enim conjuncta erat religio Judaeorum cum prospera populi conditione, ita ut, illa sublata, haec defloresceret. Templum Hierosolymitanum, JEHOVAE palatium, ritus sacros, dies festos habebat populus, numquam non colendos, et qui haec mutare conaretur, impius ei videbatur. Quum vero Romanis subessent, gloriaque sua destitutus videretur cultus Mosaïcus, Messiae, quem regem exspectabant terrestrem, gloriosum, invictum, tribuebant religionis li-

bertatisque instaurationem, morumque emendationem, ut nova gloria, novo honore sacra proavorum fulgerent, quo respicere videntur ZACHARIAE verba: *τοῦ δοῦναι ἡμῖν ἀφόβως, ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας, λατρεύειν αὐτῷ·* (Luc. I: 73, sq.) (1). Quid? quod exsecratus videbatur, quicunque vim inferre sancto templi aedificio ausus erat. Exemplo nobis sit, ne de JESU dicamus, STEPHANUS, quem lapidibus percusserunt propterea quod negavit, templum habitare JEHOVAM, quodque accusavit Judaeos impietatis et improbitatis, quippe qui legem acceperant, praesentibus Angelorum agminibus, et vel sic tamen ab ea discesserant (Act. VII: 48 sq. 53, 54). Hanc injuriam ferre non potuerunt, quod patet ex falsorum testium criminatione, qua hoc crimen ei fecerunt: *ὁ ἄνθρωπος οὗτος οὐ παύεται ῥήματα [βλάσφημα] λαλῶν κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἁγίου τούτου καὶ τοῦ νόμου· ἀκηκόαμεν γὰρ αὐτοῦ λέγοντος, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος οὗτος καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον, καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη, ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς* (Act. VI: 13, 14). Ex eo, quod falso eum criminati sunt, sequi videtur, STEPHANUM his *verbis* non usum esse; simul vero ex iis patet, tum nemini licuisse, verbis templum vel legem laedere, tum longe aliud Judaeos exspectasse quam cultûs vel morum conversionem.

Inter hos jam exstitit nova religio, quae abrogavit cultum Mosaïcum; exstitit Ecclesia Christiana, quae instituta Mosaïca vim suam amisisse quam luculentissime

(1) Cf. BERTHOLDT, *Christologia Judaeorum*, § 31.

probavit, iisque se opposuit; exstitit hominum societas, quae legem, a MOSE traditam, antiquatam dixit, omnibusque aditum patere ad Deum Patrem statuit. Multi, cum ex magnatibus, tum ex infima plebe, omnibusque hominum ordinibus ei faverunt, licet ab ignobili conderetur turba. Quid vero praedicarunt ejus socii? JESUM scilicet Nazarenum, quem Judaei ad crucem egissent, Dei esse filium, Messiam a patribus exoptatum; *μετανοήσατε*, ita PETRUM audimus loquentem, *καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος· ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία — καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακράν, ὅσους ἂν προσκαλέσηται Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν* (Act. II: 38, 39). Inaudita haec erant Judaeis, legi Mosaïcae minime convenientia, quae sacrificia ritusque externos praescripsit. Fidem postulabant Apostoli, JESU habendam. At qualis fuit homo, cujus nomen celebrari audiebant Judaei? Impius ab illorum principibus habitus, publice ignominioso crucis supplicio damnatus, qui turpi morte e vita discesserat. Hunc infamia pressit, hujus nomen exsecratum fuit. Judaei enim turpissimum dixerunt crucis supplicium, et lex Mosaïca hoc dederat mandatum: cadaver improbi hominis, mortis poena multati et patibulo suspensi, ante noctem esse sepeliendum, nam suspensum Deus exsecratur; sic ne terram sacram profanam redderent, caverent (Deut. XXI: 23, Gal. III: 13). Incredibilis videtur res, quam historia nobis tradidit! Pluria hominum millia, Judaeorum, inter quos erant Pharisaei et principes eorum haud pauci, fidem habue-

runt illi, quem per multa deinceps saecula eorum populares contumeliose dixerunt תלוי, *suspensum;* ecclesia, quae a suspenso nomen habet, condita est inter illos, qui Ecclesiae auctorem cruci affixerunt. Quis haec fieri potuisse credat, nisi, ut haec explicet, sciat, hunc JESUM, minime contumelia fuisse notatum, et de eo luculenter Deum esse testatum? Scilicet, hoc rei nostrae momentum est, ut JESU in vitam reditus omnibus palam significet, Deum insontem declarasse, quem isti damnaverant; Deum honorasse, quem isti calumniati erant; JEHOVAM amare, cui maledixerant Judaei. Judicium, quod constituerat Senatus populusque Judaeus, Deo displicuit; publice significavit JEHOVA, se illud neque approbasse nec ratum habuisse. Ideo errasse judices, et injuria JESUM affecisse magnates, Eumque insontem fuisse, viderunt Judaei. Ideo plura eorum millia Eum salutis aeternae habuere fontem et auctorem. Neges jam JESU e mortuis resuscitationem; sed explices, quaeso, originem Ecclesiae Christianae inter Judaeos; illâ verâ habitâ, haec intelligi potest. Neque hoc tantum, sed inde sequitur, ipsos Judaeos non potuisse non Messiam habere Dei filium, cujus honorem vindicatum, cujus gloriam Deum tuitum esse viderant. Caeteroquin, quod de Apostolis HERDERUS dixit: »*Welch ein unsinniger Plan, dass diese eilf* »*Galiläer zu Jerusalem vor der versammelten Na-* »*tion das Reich eines Messias ankündigen und an-* »*richten wollen, der vor wenigen Tagen als ein* »*Uebelthäter den schimpflichsten Tod, den man*

»*nur Knechten und Verworfnen anthat, gestorben* »*war* (1)," idem nos de Judaeis dicimus, qui mente caruisse videntur, fidem habentes mortuo, ab ipsis damnato, improbo. Sed quod inceperat Paschatis festum, confirmavit illud et illustravit Pentecostis festum. Nomine redivivi e sepulcro τὸν παράκλητον misit Pater, cujus vim et effectus coram oculis habuerunt Judaei; sic horum agendi rationem, quum fidem CHRISTO haberent, res nostra egregie illustrat, ejusque momentum luce clarius apparet.

Ecquis, negato JESU reditu in vitam, nobis explicet PAULI Apostoli agendi rationem? Erat ille discipulus GAMALIËLIS, probi et venerandi Pharisaei, παιδευομένος, ut ipse profitetur, κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ Θεοῦ. Hic, si quis alius, MOSIS instituta colebat, JESU redivivi sectatores persequebatur, ita ut in honore esset apud Senatum Sacerdotesque Judaeorum (Act. XXII: 3 sq.). Nec mirum. Omnibus enim nota erat veritas eorum, quae de se ipse affirmavit: προέκοπτον ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ ὑπὲρ πολλοὺς συνηλικιώτας ἐν τῷ γένει μου, περισσοτέρως ζηλωτὴς ὑπάρχων τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων (Gal. I: 14). Studio ducebatur Dei gloriam provehendi, minime vero sibi emolumenti aliquid inde capiendi, quocirca Deo gratias egit, quod Eum coluisset ἀπὸ προγόνων ἐν καθαρᾷ συνειδήσει (2 Tim. I: 3, coll. Act. XXIII: 1), atque coram rege AGRIPPA dixit:

(1) L. l. IV, 18.

ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα φαρισαῖος (Act. XXVI: 5). Hunc (1) videmus, praejudicatis sane opinionibus minime ductum, Christianis faventem, postquam subito in itinere Damasceno ad CHRISTUM conversus erat; hunc per multos annos vulnera, carcerem, vincula, pericula varii generis, mortem denique minime extimescentem, ut CHRISTUM cruci affixum, e mortuis resuscitatum, omnibus annunciaret, CHRISTUM, Ἰουδαίοις σκάνδαλον, at ipse Judaeus! Quod ipsi ignominiosum visum erat, quippe Judaeo, mox gloriosum summumque bonum habuit. Statuant adversarii, PAULUM Evangelium CHRISTI annunciaturum fuisse, licet non probe convictus fuerit firmissimi ejus fundamenti, JESU e mortuis resuscitationis. At nobis minime verosimile videtur, fabulam, narrationem commentitiam in PAULO eam habuisse vim, ut a MOSE desciscceret, CHRISTO totum se traderet, ut proavorum cultum abrogatum diceret, Ecclesiae Christianae praeco, columna evaderet, ut Judaeis, qui CHRISTUM rejicerent, se opponeret, sectatoribus mortui ac non redivivi, σκανδάλου istius Judaeorum, annumerari vellet. Num revera credis tu, qui JESU resurrectionem negas, Judaeum doctum, pium et religiosum, sine ulla causa idonea, MOSI, omnium maximo prophetarum, praetulisse hominem, supplicio mortis

(1) Quae legatur dignissima est erudita THOLUCKII disputatio: *Einl. Bemerk. in d. Studium der Paul. Briefe, die Lebensumstände, den Character u. s. w. d. Apostels betreffend*, quae occurrit in Ejus *Verm. Schriften*, II, 272 sqq.

punitum et a Deo non resuscitatum? Credat Judaeus Apella. Praeterea recte ULLMANNUS: »*Der Apostel Pau-*»*lus*," inquit, »*sonst ein Bild innerer Lebenseinheit* »*und geistiger Grösse, wird zum vollkommensten* »*Widerspruche, er wird eine ganz räthselhafte, hal-*»*tungslose Erscheinung, wenn wir ihm den eigent-*»*lichen Schwerpunct und die Basis seines Lebens,* »*die Wahrheit der Evangelischen Geschichte, unter* »*den Füssen weg ziehen* (1)." Primarium autem historiae JESU locum PAULO visam esse resuscitationem Ejus e mortuis, morte JESU excepta, quis neget, qui vel semel et orationes et ejus Epistolas inspexerit?

Profecto miraculum mundi physici habenda est JESU e mortuis resuscitatio; sed multo majus mundi moralis et psychici miraculum mihi videtur, si ipsi Judaei Messiam agnovissent illum, quem infamiâ notatum viderant, a JEHOVA repudiatum, cruci affixum. »*Das war in der* »*That kein angemessener Schluss für ein messiani-*»*sches Leben, für das Leben eines Gottgesandten,* »*am wenigsten im Sinne derer, die Jesum zunächst* »*umgaben.*" Hoc, quod observavit ULLMANNUS (2), Judaeos non fugisset, in primis si *iis* obtrusissent Messiam Apostoli, qualem STRAUSSIUS *nobis* obtrusit, ne uno quidem nomine dignum, qui MOSI aequipararetur. Nam neque Ejus persona, neque fata, neque doctrina, neque facta aliquid tum habuerunt, quod extraordinarium

(1) Cf. *Historisch oder Mythisch*, p. 64.

(2) L. l. p. 29.

aut divinum redoluerit, neque JESUM auctorem fuisse Ecclesiae Christianae inter Judaeos, multo minus Gentilibus acceptum, explicare poteris, nisi in vitam Eum rediisse concedas.

§ 2.

Nexus cum Ecclesiae Christianae propagatione inter alienigenas.

Orta inter Judaeos Ecclesia Christiana, stabilita est inter alienigenas, quod mirum omnino videatur. Primum enim miramur, Gentiles sacra Christiana a Judaeis accepisse, quos contemnebant odioque habebant, quia separata a caeteris populis erat natio, atque unum Deum colens, caeterorum Polytheïsmo vehementer se opponebat. Christiani e Gentilibus, si CHRISTO nomen dare vellent, Deos suos missos facere debuerunt, quo factum est, ut transitus ad Christianos alienigenis difficilior sane fuerit, quam Judaeis. Nam et hi JEHOVAM, Deum ABRAHAMI, ISAÄCI et JACOBI, Deum agnoverunt eundemque Patrem JESU CHRISTI; nulla vero concordia erat et conjunctio inter JOVEM et JEHOVAM, nulla inter consociationem Olympi et Deum omnipotentem, coeli terraeque Creatorem, Christianorum. Deinde hoc animadvertendum est: Deos in terram abduxerant homines ante CHRISTI adventum, Deus vero per CHRISTUM in coelum sustulit hominem. Itaque omnia mutata erant, omnemque rerum naturam, quam Diis suis habitandam dederant poëtae Gentiles, relictam ab iis et desertam ne-

cessario vidit Polytheïsta, qui praeterita tempora non dolere non potuerit. Illis enim necessitatem et familiaritatem, inter homines Deosque intercedentem, non interruperant JESU CHRISTI praecones. Verbis usos summi Germanorum poëtae querentes eos audimus:

»*Unbewusst der Freuden, die sie schenket,*
»*Nie entzückt von ihrer Herrlichkeit,*
»*Nie gewahr des Geistes, der sie lenket,*
»*Sel'ger nie durch meine Seligkeit,*
»*Fühllos selbst für ihres Künstlers Ehre,*
»*Gleich dem todten Schlag der Pendeluhr,*
»*Dient sie knechtisch dem Gesetz der Schwere —*
»*Die entgötterte Natur.*"

Phantasiam in primis Graecorum, gentis poëseos nutricis artiumque magistrae, ipsa haec Polytheïstica religio nutrierat, sensusque voluptate permulserat, ita ut nonnumquam ille respiceret ad cultum abrogatum, ad templaque diruta, cui nondum placuerat sententia: *πνεῦμα ὁ Θεός· καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν· — οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ.* Tristem hujus querelam audiit Olympus:

»*Ach, da euer Wonnedienst noch glänzte*
»*Wie ganz anders, anders war es da!*
»*Da man deine Tempel noch bekränzte,*
»*Venus Amathusia!*"

Accedit, quod fides postulabatur JESU habenda, homini Judaeo, quem Judaei cruci affixerant, quem et ipsi Gentiles morte punivisse sibi videbantur, judicium quippe latum videntes a Procuratore Romano. Qualis autem

poena? Scilicet, quae a servis sumebatur, et omnium contumeliosissima habebatur, supplicium crudelissimum et teterrimum, quod infamiam se comitantem habebat (1). Conjunctae hae difficultates valde impediverint Ecclesiae Christianae propagationem necesse est. Praeterea philosopha gens prae caeteris erant Graeci, qui non miracula quaerebant, uti Judaei; *Ἰουδαῖοι σημεῖον αἰτοῦσι καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν;* vere ita PAULUS (1 Cor. I: 22), quum neque miraculis scateret horum Mythologia, neque a Christianis ea peterent. Sed ad dialecticam rerum expositionem attendebant, nonnumquam rem prae forma missam facientes. Syllogismos artesque rhetorum amabant. Sed simplex erat CHRISTI doctrina, Evangelii annunciatio, *οὐκ ἐν σοφιᾷ λόγου, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ.* Illam auditam irrisione luserunt; CHRISTI nuntium audierunt quidem, sed dubitantes plures dixerunt: *τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν;* aut non intelligentibus *ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς* ille videbatur, qui CHRISTUM et resuscitationem mortuorum praedicabat (Act. XVII: 18, 32). Illis, qui aut res intelligere et demonstrari cupiebant, aut de iis dubitabant, non placuit Evangelium, quod *fidem* postulat; imo resurrectionem mortuorum, quam ratio humana non capit, irridentes, Apostolo PAULO nonnulli dixerunt: *ἀκουσόμεθά σου πάλιν περὶ τούτου.* Sed quod illi deriserunt, maximi habendum erat, quum multo magis fluctuans eorum ac vaga philosophia irrisioni esset tradenda.

---

(1) Cf. WINER, *Real-Wörterbuch*, v. *Kreuzigung*, I, p. 800.

Quibus perpensis, quis verosimile esse existimat, hominibus gratam fuisse religionem, quae docet *πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι*, quum ipsi de peccatis suis non cogitarent, ideoque malo medicinam afferre non studerent? Sin Sospitatorem quaesiverint, quî tandem Eum agnovissent hominem, qui reus mortuus videretur; quo modo a peccati imperio Dei filius liber, aliosque liberaturus videretur, qui crucis ipse mortem subiisset? Hanc ob causam *Χριστὸν ἐσταυρωμένον*, Servatorem, qui, propter crucis supplicium contumeliosum, minime auctor vitae salutisque aeternae videri posset, *μωρίαν* habuerunt Graeci, et Ecclesiae Christianae sociis se adscribi numquam certe passi fuissent, nisi adfuisset causa, qua JESUS crucifixus, fidem ei habentibus, visus sit *Θεοῦ δύναμις καὶ Θεοῦ σοφιὰ* — (1 Cor. I: 23, 24).

Aderat illa. In vitam rediisse JESUM aeque certum est, atque Ecclesiam Christianam propagatam esse inter Graecos, Romanos, caeterosque Gentiles. Quum hoc incredibile videatur, negata JESU resuscitatione, jam omnes difficultates superasse *redivivi* annuntiationem sponte patet. Eo enim valuit JESU reditus in vitam, ut comprobaret, Eum esse *τὴν ζωὴν*, *τὴν ἀνάστασιν*, quam si negarent Gentiles, exemplo Sospitatoris, re in facto posita, redarguere eos potuerunt Christiani, et quicunque emendationis moralis studiosus erat, sponte fiduciam reponebat in CHRISTO, e mortuis resuscitato. Non infamiae nota amplius premebatur; crucis signum a sepulcro vacuo gloriam et honorem acceperat, et qualem numquam viderant antea, philosophum vel doctorem celeberrimum

post mortem superstitem, nisi memoria coleretur, talem jam ante oculos habuerunt sapientissimum, sanctissimum, divinum heroëm, victorem peccati mortisque, qui mortuus in vitam rediit, cujus verbis factisque Deus sigillum quasi impressit. Omnes igitur, si eos, qui *a priori*, *μὴ εἶναι ἀνάστασιν* statuerent, excipias, quotquot peccata doluerunt, Deosque suos fictitios esse viderunt, et humanam sapientiam vanam esse et mancam atque imperfectam agnoverunt, socii Ecclesiae Christianae esse malebant, quam Polytheismo, sensui religioso minime satisfacienti, favere. »*Der griechische Glaube war eine* »*Religion für Glückliche, für das Unglück hatte* »*er weder Trost noch Kraft.*" Recte ita HASIUS (1). Illis solatium attulit redivivus JESUS. Romani rempublicam seu imperium perire cum religione putarunt; utraque redivivo e sepulcro cessit Sospitatori. Aufer JESU in vitam resuscitationem, et frustra propagationem Ecclesiae Christianae inter Gentiles explicare conaberis. Utraque enim arctissime est conjuncta, a se invicem divelli nequit; nam sublata priore cadit haec, prouti catena e loco superiore pendens in humum concidet, fracto supremo ejus annulo. Sublatâ causâ, quî tandem, quaeso, explices effectum?

»*Man erwäge es vollständiger: ein gekreuzigter* »*Jude stiftet die Christliche Kirche.*" Summo jure ULLMANNUS (2) hoc inculcavit, et supra disputata jam

(1) *Kirchengeschichte*, § 23.

(2) Egregie summus ille vir exposuit, quî tandem *homo cruci*

satis superque docuerunt, mente aliquid esse cogitandum inter Ecclesiae Christianae originem et propagationem, atque mortem JESU. Mortuus Ecclesiam condere non potuit. Mortuis PYTHAGORA, SOCRATE, PLATONE, ARISTOTELE, eorum quidem discipuli placita exposuerunt, amplificarunt, ut philosophi dicerentur *Pythagoraei*, *Academici*, *Peripatetici*, sed inter se non conjuncti erant *Academici* aut *Peripatetici;* societas inde non exstitit, multo minus Ecclesia, ritibus, legibus, interno quodam vinculo conjuncta ac stabilita. Horum philosophorum alter emendare alterius placita studuit; ex SOCRATIS schola celeberrimi prodierunt magistri, qui iterum aliis nomen dabant; verum ad unum omnes perierunt. Alius generis MOSES erat, vir summus, legatus divinus, qui populo leges, instituta, religionem dederat; at vero Deus per MOSEM populum Israëliticum instituerat, eoque mortuo, stetit religio Judaïca monotheïstica, quia JEHOVA populi rex mansit, atque lex Mosaïca minime cum ipsa MOSIS persona erat conjuncta. Qui MOSEM vidit, audiit, secutus est, minime JEHOVAM vidit, audiit, secutus est; nam, licet legatus divinus esset, homo tamen ille mansit, peccato obnoxius, qui errare potuit, *per* quem JEHOVA Judaeis se patefecerat quidem, *in* cujus tamen persona nequaquam cernebatur patefactio divina. Neque volun-

---

affixus Ecclesiam condere potuerit, in disputatione: *Was setzt die Stiftung der Christliche Kirche durch einem Gekreuzigten voraus?* edita in libello: *Hist. oder Mythisch*, p. 3—40, ubi nullam rationem habuit eorum, quae de JESU Evangelistae tradunt.

tate neque potestate cum Deo se unum esse, MOSES profiteri ausus fuisset.

Non ita CHRISTUS. Prouti STRAUSSIUS vitam JESU exposuit, non intelligimus, quî vel per septem dierum spatium exstitisset ab eo condita societas. Mors enim omnia, quae ad eam stabiliendam fecisset, certo delevisset. Ecclesia Christiana fundamenti loco non habet nec habere potest sepulcrum cadavere impletum; fundamentum habet et habere debet sepulcrum, corpore vacuum, vel ipsum potius redivivum CHRISTUM. Qui hoc negat, cum STRAUSSIO probare conetur, quod ULLMANNUS monuit: »*dass in der Geschichte aus Nichts nicht* »*nur Etwas, sondern etwas ganz Ungeheures, eine* »*welthistorische Macht werden könne;*" (1) probare conetur, Ecclesiam primum finxisse conditorem, hunc vero deinde condidisse Ecclesiam. Sed quid excogitari potest, quod totum terrarum orbem commovere, mutare, emendare, nova vita donare potuisset? Num visiones, ficta narratio sive piae fraudi originem illa debuerit, seu de industria excogitata fuerit, hanc vim habitura fuisset? Undenam vis illa vitalis et *ἐνεργεία*, quae per XVIII saecula innumeros homines, populos, novâ vitâ donavit, undenam repetendum, quod, postquam JESUS CHRISTUS his in ter-

(1) L. l. pag. 71; cf. THOLUCK, *Glaubw. d. Ev. Gesch.* p. 373 sqq., qui acute exposuit: »*dass die Geschichte der ersten Kirche* »*eine Kette ist, welche, wenn wir sie elektrisch bewegt sehen,* »*darauf hindeutet, dass am Anfange ein Schlag vom Himmel auf* »*die Erde gefallen sein muss.*"

ris vixerit, novum aevum inceperit, ita ut generis humani historia in duas partes divisa sit? Unice hoc repetas ex CHRISTI persona, ex mundi Sospitatore, qui solis instar fulget ac splendet in media historia, in mediis hominibus, ut luna inter stellas minores. Ejus in vitam reditus haec omnia explicat et illustrat. Negasne JESUM in vitam rediisse? Quis igitur instituit diem solis, quo conveniant omnes Christiani, ut Dei Filiique laudes celebrent, precesque fundant, quod non nostris temporibus constitutum est, sed a JUSTINO *Martyre* jam traditur: *τὴν γὰρ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τοῖς συνέλθουσιν ποιούμεθα, ἐπειδὴ πρώτη ἐστιν ἡ ἡμέρα — καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη* (1). Ejus aequales a proavis hoc acceperant, Apostolos imitatis. Septimus enim dies ab antiquissimo inde tempore Deo sacer a Judaeis habebatur. Undenam repetendum, quod Ecclesia Christiana festum Paschatis CHRISTO consecraverit, e mortuis resuscitato? Quod si non in vitam rediisset, non dubito, quin lugentes potius quam festum celebrantes mortui magistri memoriam coluissent, et si vel demus, Apostolos Paschatis festum instituisse propter visiones, quibus redivivum se vidisse existimaverint, posteriora saltem tempora diem illum missum fecissent, cui historia, veritatis testis illa, se opposuisset. Sed quid plura? »Dicendum esset" (sunt verba TURRETTINI) »incredibilem hominum multitudinem, absque ullis humanis auxiliis" (qua in re differunt a Muhammedanis,

(1) *Apologia* I, 67, pag. 84, ed. Paris. 1742.

qui excercitibus armisque religionem suam propagarunt) »absque ullo emolumento, contra inter extrema peri»cula et supplicia omnis generis a patriis sacris recessisse, »et doctrinam stultissimam carnique ingratissimam admi»sisse, et ad mortem usque propugnasse — adeo ut per »saxa, per ignes, per cruces, inter patibula viam sibi »fecerit (1)." Sed Judaei neque Gentiles, populi neque Imperatores, excercitus nec persecutiones, vincula neque carceres, cruciatus neque mortis supplicium impedire potuerunt, quominus sacram coenam in memoriam mortis, festum Paschatis in memoriam resuscitationis CHRISTI celebrarint Christiani, quominus firmior semper ac validior evaserit Ecclesia Christiana, neque in posterum impedire poterunt, quominus totus terrarum orbis aliquando redivivi laudes sit celebraturus. Certo certius est, quod HASIUS monet: »*Das Christenthum* — »*seiner Erscheinung nach, ruht auf der Auferste*»*hung* (1)," et luce clarius patet, iis, qui hisce miraculum inesse et in vitam rediisse JESUM negent, multo majora obesse miracula, ubi aedificium adspiciunt, fundamento carens, ex aëre pendens.

---

(1) *Opp. omnia* I, 474.

(2) *Leb. Jesu*, ed. 3, p. 217.

CAPUT IV.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM SPE NOSTRA SALUTIS FUTURAE INTERCEDIT.

Vidimus, cum historia JESU, Apostolorum, Ecclesiae primaevae Christianae junctam esse rem, quam tuiti sumus, ita ut ab ea minime divelli possit. Sed non sufficit, JESU e mortuis resuscitationis vim et significationem historicam exposuisse; magnam praeterea gravitatem ei tribuimus dogmaticam et moralem, *tum*, ut de aliis taceamus, quia justificationem nostram coram Deo confirmat, *tum*, quia imago est et stimulus emendationis nostrae, *tum*, quia pignus est resurrectionis nostrae vitaeque aeternae. Caetera missa facientibus, haec paucis exponere nobis liceat (1).

§ 1.

Nexus cum justificatione nostra.

Ita se Pater coelestis in JESU CHRISTO hominibus patefecit, ut peccato obnoxiis mortisque imperio subjectis significaret, peccata se velle condonare mortemque aufer-

(1) Alia vel supra attigimus, vel exposita videas a KRABBIO, l. l. pag. 275 sqq. cf. H. A. MAU, *von dem Tode, dem Solde der Sünde und der Aufhebung derselben durch die Auferstehung Christi*, in Diario: *Theol. Mitarbeiten*, 1833, II, p. 3 sqq. 1840, IV, p. 1 sqq. — Cf. quoque LIEFSTINK, Disp. *over het belang van Jesus opstanding.* a Soc. *Hag.* praemio ornata, 1796.

re, modo fidem haberent filio, qui mortem subiit, ut servos peccati a morte liberaret eosque ad Deum reduceret, quique in vitam revocatus est, ut vitam iis vindicaret, opusque suum confirmaret ac perficeret. Mortis JESU vim salutarem hîc exponere vetat instituti ratio, arctissimam autem esse illius conjunctionem cum reditu in vitam antea vidimus; attamen JESU magis historiae rationem habuimus, quam beneficiorum, quae generi humano attulit. Hîc animadvertere liceat, JESUM omnibus, quae his in terris perfecit, sigillum quasi impressisse reditu suo in vitam, quem testem dicimus veritatis eorum, quae fecit et dixit, et *fundamentum* melioris, quam exspectamus, conditionis. Quaecunque enim de se testatus est, tamquam filio Dei, in hominum salutem mortem subituro, de Patris amore erga homines, et de fide sibi, tamquam Sospitatori generis humani, habenda, haec omnia vim accipiunt et auctoritatem, quum e sepulcro redivivum Eum egressum esse videmus. Etenim a Patre e mortuis resuscitatus Dei filius declaratus est (Rom. I: 4); insontem Eum vidimus mortem subiisse, eamque vi sua privasse, atque illam ob causam a Deo in vitam revocatus est, ut luculenter comprobaret, Eum mortis victorem esse habendum. Semel enim mortuus est in gratiam peccati; in vitam vero revocatum mors cum sibi subjicere non valet, *θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει* (Rom. VI: 9, 10. Act. Ap. XIII: 34). Quo fit, ut eo tutius fidem ei habere possimus, quo certius constat, Patrem Eum in vitam revocasse, et tristem nostram in meliorem convertisse conditionem (Eph. II:

5 sq.). Etenim, qui propter peccata nostra mortem subiit, ut expiarentur, in vitam revocatus est propter justificationem nostram, ut in integrum restitueremur (Rom. IV: 25). Ita juncta est CHRISTI mors cum ejus e mortuis resuscitatione, ut, quod illa effecit, haec confirmet, ut sine altera nullam altera vim habeat. Conjuncta effecit utraque, ut, abrogata lege, vim suam amitteret peccatum, quod quum vi sua esset privatum, mortis quoque imperium abrogatum est. Nam *ἡ δύναμις τῆς ἁμαρτίας, ὁ νόμος*, et *τὸ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία* (1 Cor. XV: 56). CHRISTO in vitam revocato, novum incepit aevum vitae et salutis, quam mors interrumpere non potest, quum nec CHRISTI vitam mors interrumpat. Hoc vero, quod ultimo loco statuimus, affirmare non possunt, qui, in vitam JESUM revocatum esse concedentes, negant, in coelum Eum rediisse, adstantibus discipulis, corpore indutum. Quocunque enim se vertat HASIUS, quem unum omnium instar laudemus, et licet affirmaverit: »*es ist wahrscheinlich genug an* »*sich, dass Jesus auf andre als die gewöhnliche* »*Weise von diesem irdischen Weltkörper schied;*" certum est, JESUM, quem hominem fuisse scimus post reditum in vitam, humano more ab hominibus discedere debuisse, nisi extraordinaria via ad Patrem rediisset. Quum igitur ascensionem in coelum mythum dicat, veritatem vero historicam vindicet resuscitationis, hanc omni vi sua privasse censendus est HASIUS (1); nam sponte patet,

(1) *Leb. Jesu*, ed. 3, § 127. Verba, quibus usus est, fluctuan-

denuo Eum mori debuisse, quem Deus palam ad dextram suam non collocavit, mortisque victorem illum haberi non posse, de quo non certo certius scimus, numquam eum moriturum esse.

Sed quae HASIO obest difficultas, eadem nostram premere sententiam visa est KRABBIO (1), statuenti, de JESU, denuo non morituro post reditum in vitam, constare minime posse apud eos, qui corpus ei humanum tribuunt, idem illud, quo ante crucis mortem indutus fuerat. Sic enim per 40 dies, temporis spatium illud inter reditum in vitam et in coelum ascensionem, morti Eum obnoxium fuisse, neque mortis victorem vere haberi potuisse, monuit. Attamen hoc tenendum est. Quum vere mortuus est CHRISTUS, adeoque hoc nomine Patris voluntati satisfecit, opusque suum ad finem usque perduxit, in vitam revocatus, licet corpore indutus esset humano, de morte, quippe poena peccati, victoriam reportavit; quam ut confirmaret Pater, brevi post summos ei contulit honores, quum in coelum ascendenti aeternam JESU CHRISTO gloriam tribueret. Ubi fide amplectimur doctrinam Apostolorum de JESU in coelum sublato, equidem non video, quidni eodem jure atque illi, qui aethereum

---

tem ejus doctrinam produnt. Quid enim significant haec: »*Denn »sein Abschied war nicht das trübe scheiden eines Sterblichen, »sondern der Segen eines Verklärten, welcher, eins durch seine »Liebe mit der Gottheit, auch unter den Seinen unsterblich fortzu»leben verhiess; und er ist bei uns geblieben.*" —?

(1) L, l. p. 299 sqq., in primis pag. 304.

aut glorificatum JESU corpus tribuunt, cum PAULO affirmare possimus: »*Χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν, οὐκέτι ἀποθνήσκει* (Rom. VI: 9), quum de corporis CHRISTI natura non loquatur, sed de JESU, postquam in coelum abiisset, immortalitate et gloria vestito. Quod ante mortem precatus erat: *καὶ νῦν δόξασόν με, σὺ πάτερ, παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοί* (Joh. XVII: 5), exaudivit Pater coelestis. Gloria Eum exornatum viderat magnus gentilium Apostolus, cujusque laudes per totam vitam celebravit, hujus corpus in coelo degentis *σῶμα τῆς δόξης* dicere potuit (Phil. III: 21). Ex hac autem denominatione nihil effici potest, quod de corporis JESU natura, his in terris versantis, aliquid nos doceat, quum CHRISTUM resuscitatum, sed in coelum etiam sublatum, summa potestate utentem et cum *ἐνέργειᾳ τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα* sibi informet. Statuas igitur, corpus JESU, quum in coelum adscenderet, commutatum et a pristino diversum factum esse, quo omnes, quas nonnulli movent difficultates removeas. Ne vero cum aliis JESU mortis veritatem negemus, qua negata, nullam habet vim Ejus in vitam reditus. Ita enim, qui non vere mortuus est, minime mortis vim infregit, et qui non vere e mortuis in vitam revocatus est, nequaquam vitam nobis patefecit et vindicavit. JESUS CHRISTUS, quum crucis mortem subiit, et a Patre in vitam revocatus est, nos vere a peccati poena liberavit, vitaeque et salutis aeternae participes nos reddidit. Deus palam ita significavit, se genus humanum in felicem, quem peccantes amiserant,

statum restituere velle, modo fidem haberent Filio, fideque amplecterentur, quae peregit. Nam qui fide cum CHRISTO conjunctus est, uberrimos ex eo aliquando feret fructus; ἔχει τὴν μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ, scilicet, ὅτι ζωὴν αἰώνιον ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεός. καὶ αὕτη ἡ ζωὴ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐστιν (1 Joh. V: 10, 11). CHRISTUS θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι (1 Petr. III: 18) ad Deum nos reduxit, cui per eum fidem jam habemus (I: 21), quum ad novam certamque spem denuo nati videamur (I: 3 sq.). CHRISTI καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν (2 Tim. I: 10) peculium jam sumus; fides ei, e mortuis in vitam revocato, habita ad salutem nos ducit (Rom. X: 9), Eumque τὸν κατακρίνοντα extimescendum certe non habemus (VIII: 34). Nam pro nobis mortuus est, atque idem ille in vitam revocatus, ut nos liberaret; quod si igitur non resuscitatus est, mors salutaris omnem vim suam amittit, et nos peccato obnoxii manemus; frustra fiduciam in eo reponimus, omniumque sumus miserrimi (1 Cor. XV: 17 sqq.). Scilicet, cum ita se res habeat, ut nulla mutatio, JESU non resuscitato, in conditione nostra obtinuerit, maximi sane momenti habendus est JESU reditus in vitam, qui *et* cum Deo nos conjungit, *et* fidem, CHRISTO habendam, confirmat, *et* animum nobis quietum reddit. Quum enim Dei eramus inimici, κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ (Rom. V: 10).

§ 2.

Nexus cum emendatione nostra.

Jesu reditus in vitam recte dicitur *imago* et *stimulus* emendationis nostrae, non eo sensu, quo recentiores nonnulli statuerunt, Apostolos e mortuis JESUM resuscitatum esse docuisse, ut significarent, homini emendatione morali opus esse. Illis enim haec Apostolorum doctrina ita symbolice informata esse videtur, ut ipsam historiam missam facere, ideam vero, sub imagine propositam, retinere male sibi licere putarent. At, qui sibi persuaserit de JESU resuscitationis veritate, ei egregium in oculos continuo incurrit momentum hujus rei, quae sub imagine vere proponit emendationem nostram, et ad eam incitat, uti monuerunt Apostoli.

Scilicet ita sibi rem informarunt, ut, quum CHRISTUS in hominum salutem mortuus esset, hos adhortarentur, ad pristinam vitae rationem emendandam, CHRISTO fide habita, Deoque vita consecrata. Imaginem PAULUS petiit e baptismo, per quem mortis JESU participes facti sunt Christiani, ita ut in aquam immersi cum CHRISTO mortui videantur. Jam vero *σύμφυτοι γενόμενοι τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ*, caeterorum, quae CHRISTUS passus est, participes facti sunt, praesertim *τῆς ἀναστάσεως*. Haec novae CHRISTI vitae erat initium, quam mors certo non interruptura erat; ab eo igitur temporis puncto, quo cum CHRISTO mortui erant, qui in baptismo, ex aqua egredientes, resuscitati apparuerant, eorum quo-

que vita a pristina diversa habebatur. Ita et nos cum CHRISTO sepulti videmur, *ἵνα, ὥσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν* (Rom. VI: 3 sqq.). Pulcerrima certe imago, quam PAULUS nobis proposuit. Qui CHRISTO fidem habuit, antiquissimo tempore sancto baptismo lavabatur; sub aqua disparuit, qui peccato Diisque falsis valedixit, ex aqua emersit, qui vitam CHRISTO consecrare voluit. Quid mirum, PAULUM in hisce similitudinem quamdam invenisse cum JESU in vitam reditu, quem imaginem dixit novae Christianorum vitae, emendationis eorum moralis? Sponte eo ducebatur, quum mortem CHRISTI cum Ejus reditu in vitam semper fere jungat, et qui illius sit particeps, hunc quoque sibi vindicare posse videatur (2 Cor. IV: 10, 11). Idem fere PETRUS innuit (1 Ep. III: 21), sed quod uterque effinxit *σύμβολον*, nisi historico nixum esset fundamento, non magnam in hominibus habuisset vim (1). Nisi de

(1) Memorabile mihi videtur, quod apud antiquioris aevi Christianos in more fuisse testatur scriptor opusculi: *ἀποκρίσεις πρὸς τοὺς ὀρθοδόξους*, quod cum JUSTINI *M.* operibus editum invenitur in ed. laud. p. 441 sqq. Provocans ad IRENAEUM, tradit: *διὰ τοῦτο ἡ ἐν ταῖς ἓξ ἡμέραις ἡμῶν γονυκλισία σύμβολόν ἐστι τῆς ἐν ταῖς ἁμαρτίαις πτώσεως ἡμῶν· τὸ γὰρ ἐν τῇ κυριακῇ μὴ κλίνειν γόνυ, σύμβολόν ἐστι τῆς ἀναστάσεως, δι' ἧς τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι, τῶν τε ἁμαρτημάτων, καὶ τοῦ ἐπ' αὐτῶν τεθανατωμένου θανάτου ἠλευθερώθημεν.* Ita ab Apostolorum aetate Christianos consuevisse monet, die solis et inter festum Paschatis et Pentecostes spatio, preces fundentes, genua non flexisse, in memoriam resuscitationis CHRISTI, cf. l.l. quaest. 115.

CHRISTI resuscitationis veritate nobis persuadere possimus, Evangelistarum de ea narrationes non facile, speculi instar, novae vitae emendationisque nostrae moralis imaginem nobis cernendam praebiturae fuissent. Quo enim modo in JESU, e mortuis non resuscitato, vitae emendationis imaginem cernere potuissemus? Uti sepulcrum corpus CHRISTI, ita peccatum corpora nostra retinuisset; CHRISTI mors nostrae mortis imaginem retulisset, at nullum novae vitae initium! Vindicata vero Ejus e mortuis resuscitatione, appareat jam ejus momentum. En tibi incitamentum, quod ad mores emendandos te adhortetur.

Etenim non tantum imago, sed stimulus etiam emendationis nostrae habeatur JESU in vitam reditus. Scilicet *ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ* (Rom. VI: 6.). CHRISTUS in gratiam peccati mortuus est, at in vitam revocatus *ζῇ τῷ Θεῷ* (s. 10); nos vero, qui cum eo in vitam revocati videmur, peccato, non vero Deo, obtemperare pergeremus? Absit profecto! CHRISTUS nos tenet, in vitam revocatus, *ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ*; a legis imperio liberatos *ἐν καινότητι πνεύματος δουλεύειν* nos oportet, uti cos decet, qui a CHRISTO, in vitam revocato, nomen habent (VII: 4 sqq.). Quandoquidem pro omnibus mortuus est JESUS, non sibi, *ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι* vivere eos oportet (2 Cor. V: 15.); *τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα* (s. 17.). Res esset sibi ipsa repugnans, novam cum CHRISTO vitam degere, et

pristino obtemperare domino, quasi cum CHRISTO non resuscitati apparuissemus. Peccato, voluptati bonisque terrestribus valedicendum est, quum, qui fide cum CHRISTO juncti sunt, terrestria non curent; *εἰ οὖν συνηγέρθητε τῷ Χριστῷ, τὰ ἄνα ζητεῖτε, οὗ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καθήμενος* (Col. III: 1.). Regnum incepit gratiae, quo, *κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς* (Eph. II: 10), magis magisque salutis aeternae adipiscendae studiosi fiamus necesse est, JESUM CHRISTUM in vitam revocatum intuentes, *ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας, καὶ τὰ μέλη [ἡμῶν] ὅπλα δικαιοσύνης τῷ Θεῷ* consecrantes (Rom. VI: 13). Redivivus e sepulcro victor egressus est peccati mortisque; cum eo ex peccati illecebris erepti jam nunc vivimus Deo. Quod si autem mythis annumerandus esset JESU reditus in vitam, frustra ad eum provocaturi fuissemus; quum vero de ejus veritate constet, eumque vindicatum esse sciamus, quam dilucide ejus momentum apparet! Quam egregie nos incitat ad vitam emendandam! Ita morum emendationis imago continuo nobis stimulus evadit, quo incitati, ad bonam frugem nos recipiamus.

Quae cum ita sint, licet mortem omnes exspectemus, hac in vita tamen ad salutem aeternam nos praeparat JESU e mortuis resuscitatio. Nam Dei spiritu ducti, in Dei CHRISTIque honorem viventes, vitae salutisque aeternae in dies certiores fiemus, hac spe freti, fore ut aliquando una cum CHRISTO vere vitae aeternae simus participes.

§ 3.

Nexus cum resurrectione nostra vitaque futura.

Ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν. Tristissimum certe at verissimum PAULI effatum, quod experientiâ confirmatum omnes videmus. Parvi haec vita facienda esset, si atra mors finem imponeret stadio, quod in se spectatum, peccato etiam contaminatum, omne gaudium nobis auferret. Sed Dei gratia alterum, consolationis fontem uberrimum, addidit effatum: *ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται* (1 Cor. XV: 22). CHRISTI in vitam reditus *pignus* nobis est resurrectionis nostrae, vitaeque futurae aeternae.

Ipse, uti supra vidimus, sibi CHRISTUS mortuorum resurrectionem tribuit, quam, quominus sensu morali accipiamus, vetat hoc, quod addit: *καὶ ἀναστήσω αὐτὸν ἐγὼ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ* (Joh. VI: 40). JESU doctrina instituti, deque Ejus in vitam reditu persuasi, Apostoli eandem doctrinam professi sunt, quam ut confirmarent, ad resuscitationem Sospitatoris e mortuis provocarunt. Docent mortuos in vitam aliquando CHRISTUM revocaturum esse, omnesque judicaturum; Deum, ut omnes hoc rite teneant, e mortuis Eum resuscitasse (Act. Ap. XVII: 31), atque per Eum nos olim in vitam revocaturum esse (2 Cor. IV: 14; 1 Thess. IV: 14 sqq.). Si de corpore quaeras, quo induti apparituri simus, multa certe habet, quae nobis opponat ratio humana, quae

corporis resurrectionem illudit, et infitias ire conatur. Absit vero, ut disputando argumentis eam vindicemus, aut ad ea, quae objiciunt philosophi, animum advertamus. Finem imponamus necesse est disquisitioni nostrae, quae ne justo longior fiat metuo. Jurare hîc liceat in verba magistri, et PAULUM nos sequi profiteamur, qui: *ποίῳ δε σώματι ἔρχονται;* quaerenti, respondet: *ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ, ἐν δόξῃ, ἐν δυνάμει.* Corpus erit *spirituale*, perniciei non obnoxium, nam *οὐδὲ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ*, neque, quod peccato serviit corpus, vitae aeternae particeps fieri poterit (1 Cor. XV: 35 sqq.). JESUS CHRISTUS *μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ* (Phil. III: 21.). Multae sane difficultates remanent, neque intellectu facilis haec doctrina nobis videtur, at morali aut symbolicae ejus interpretationi favere non ausim. Qui enim eam proponunt, non recte attendisse mihi videntur ad comparationem, quam PAULUS instituit, *tum* inter ADAMUM et CHRISTUM, *tum* inter CHRISTUM et nos. Quod enim PAULUS de ADAMO profitetur, per eum omnes mori, nequaquam improprie, sed proprio sensu accipiendum est, de morte physica eamque secuturo statu infelicissimo, cui opponitur *ἡ ζωὴ*, quam per CHRISTUM omnes consecuturi sunt: *ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται* (1 Cor. XV: 22.). Patet igitur verum esse, quod dixit: *δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν* (s. 21). Deinde attendas, quaeso, ad comparationem, quam instituit inter CHRISTUM et nos.

Prouti CHRISTUS resuscitatus est, ita quoque nos Deus in vitam revocabit, sed *ἀπαρχὴ Χριστὸς, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ* (s. 23, coll. Rom. VIII: 11; 1 Cor. VI: 14). Eadem ratione, qua e sepulcro CHRISTUS prodiit redivivus, nos aliquando in vitam redituri sumus, *ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι·* ne vero illud proprie, hoc improprie quis interpretetur, quo fieret, ut CHRISTUS nullo modo *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων* dici potuisset (s. 20). Hoc nomine tantum Eum PAULUS insignivit, qui mortuus, at in vitam revocatus, numquam moriturus est, quocirca nec LAZARI neque aliorum in vitam reditus ei obest, qui denuo mortui sunt, ut iterum olim in vitam revocentur.

E mortuis resuscitati vitae aeternae participes erunt; qui cum CHRISTO fidei vinculo juncti sunt, nullam perniciem extimescendam habebunt. *Ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος* (1 Cor. XV: 26), quo subacto, omnes *τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου* ferentes, et immortalititate donati, de veritate sibi persuadebunt *τοῦ λόγου· κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος.* Victoris agminis tunc audietur chorus: *ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον;* beatorumque paean: *ποῦ σου, ἅδη, τὸ νῖκος;* Vita incipiet salutis numquam interiturae; namque ejus pignus est JESUS CHRISTUS, in vitam a Deo revocatus, caput totius corporis, cujus nos membra sumus, cum eo arctissime juncta; qui, uti in omnibus, ita quoque longae illius in vitam revocatorum seriei primus est, *ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν.*

Quod hic suspicari tantum nobis licuit, in statu feli-

cissimo certo cognitum habebimus; imperfecta hîc, perfectior ibi erit scientia nostra. Una cum caeteris, qui CHRISTO toti se tradiderint, perspectum habebimus *tum* nexum, qui JESU CHRISTI operi cum nostra intercedat salute, *tum* Ipsum et *τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ* (Phil. III: 10). Laudes Dei celebrabuntur: *τῷ Θεῷ χάρις τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* (1 Cor. XV: 57), et qui de se ipse affirmavit: *Θαρσεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον* (Joh. XVI: 33), illum aliquando beati laetum nuntium palam profitentem audient (Apoc. I: 18): *ἐγενόμην νεκρός, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.*

THESES.

I.

Jesu reditum in vitam, ad doctrinam de Ejus persona pertinere, non recte negavit SCHLEIERMACHERUS.

II.

Jesum peccato immunem fuisse, illius resuscitatione e mortuis egregie comprobatur.

III.

Licet, antequam JESUS in vitam redierit, alii quoque e mortuis resuscitati fuerint, vel sic tamen summo Ille jure dicitur *πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν*.

IV.

Corpus humanum, quod JESU in vitam revocato tribuimus, non impedit, quominus cum PAULO (Rom. VI: 9) statuamus: *θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει*.

V.

Omnem JESU e mortuis resuscitationis vim et significationem auferunt, *tum*, qui vere mortuum fuisse JESUM negant, *tum*, qui Ejus in coelum ascensionem mythis annumerant.

VI.

Testimonium, quod de se ipse tulit JESUS, maximam habet probandi vim.

VII.

Periculi plenum existimandum est, a communi fere Ecclesiae Patrum testimonio recedere, quod de Evangeliorum Canonicorum scriptoribus, lingua caet. ferunt.

VIII.

MARCUM Evangelistam stipendia meruisse mihi non verisimile videtur.

IX.

Lectio *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν*, Rom. VIII: 11, vulgatae praeferenda est.

X.

Verba Matth. X: 23, *ἕως ἄν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, non eo sensu explicanda sunt, ut JESUM, post breve temporis spatium se cum discipulis denuo conventurum esse, promisisse, ex iis efficias.

XI.

Assentiendum minime est STRAUSSIO, existimanti (*Leb. Jesu*, ed. 3, I, p. 675) parabolam de divite, iter instituturo, servisque talenta exhibente, Luc. XIX: 12 sqq., confictam esse ex duabus illis parabolis, quae Matth. XXV: 14 sqq. et XXI: 33 sqq. habentur.

XII.

Ὁ σεισμος, qui memoratur Matth. XXVIII: 2, haudquaquam *militum animi commotionem* significat.

XIII.

Islamismo Mosaïsmum praestantiorem esse statuo.

XIV.

Concordata q. d. plerumque Pontificibus Romanis unice favent, de auctoritate vero detrahunt Imperatoris vel Regis, qui ejusmodi cum illis foedus ferit.

XV.

Altera PAULI Apostoli captivitas argumentis satis validis defendi non potest.

XVI.

Anachoretae, a caeteris separatim viventes, et sibi et societati Christianae nocuerunt magis quam profuerunt.

XVII.

Rite discernatur inter librorum Symbolicorum et formularum Lithurgicarum auctoritatem.

XVIII.

Institutioni Catecheticae, tum mensibus hibernis, tum aestivis, opera navanda est.

VAARWEL,

AAN MIJNEN VRIEND

J. I. DOEDES,

BIJ ZIJN VERTREK VAN DE AKADEMIE.

Eisch geen feestlied van hem, wien de stormen van 't leven
De lier deden breken, aan de vreugde eens gewijd.
Neen, vraag niet, dat hij geurige rozen zal weven
Door de krans, die de roem om de slapen u spreidt.

Ja, voorheen mogt mijn hart, gansch van vreugde bevangen,
Zich soms uiten in 't kunstloos, maar vreugdevol lied,
En soms ruischten mijn' toonen en klonken mijn' zangen
Voor het zalig verleden en 't lagchend verschiet.

Doch dat al is voorbij, en zal nooit zich herhalen.
De Acoolsharp mijner droomen ligt neder in 't stof.
Als een rookdamp verdweenen mijn' zaal'ge idealen,
En de toon mijner snaren werd somber en dof.

Past die toon op het feest, dat gij, vriend! thans moogt vieren?
Past een rimpel op 't voorhoofd van hem, die u mint?
Waar nu groenende laauwren den schedel u sieren,
En gij hier uwe droomen verwezenlijkt vindt?

O! ik weet het, gij kunt haar, gij zult haar niet wraken,
Gij waart mij een steun, waar de hoop mij ontzonk,
En gij weest mij zoo vaak op het lichtende baken,
Dat steeds in den donkeren nacht voor mij blonk.

O! heb dank voor die vriendschap, heb dank voor die trouwe,
Heb dank voor die hulp, en dien troost en dien raad,
Die zoo vaak bij mijn droefheid, mijn smart en mijn rouwe,
Mijn hoop was, mijn steun, mijn' verligting, mijn baat.

Vriend! Uw toekomst is schoon! Mogt ze nooit u misleiden.
Maar al werd ge ook bedrogen door 't kleurig verschiet,
Steeds het oog op die star, die ons voorlicht, ons beiden;
De *Liefde:* haar luister en licht tanen niet!

Ja, wat laauwren de roem door uw' hairen moog hechten,
Hoe schittrend van kleur en hoe weeldrig van blad,
De rozen der Liefde zijn schoonere vlechten;
Zij verwelken noch dorren u ooit op uw pad!

Kom dan, voorwaarts gestreefd! God en liefde in het harte,
Den Hemel in 't oog en een' vriend aan de hand!
Kom dan, voorwaarts gestreefd! zoo door vreugde als door smarte
Wordt gij eenmaal bereid voor een zaliger stand.

Nu, vaarwel, o mijn Vriend! Ja, dat woord doet mij treuren:
Maar ik weet, hoe het lot van elkander ons voert,
Geene magt is in staat om een' band te verscheuren,
In de jeugd eens zoo hartlijk, zoo hecht vastgesnoerd.

F. S. Jr.

CORRIGENDA.

Pag.	35	Ann.	3.	longinguo	*lege*: longinquo
»	59	Reg.	2.	caetorum	—— caeterorum
»	65	—	21.	quaesierunt,	—— quaesiverunt,
»	192	Ann.	2.	Joh. I: 4,	—— Joh. II: 4,
»	——	—	—	Matth. XIX: 26 sqq.	—— Matth. XIX: 16 sq.
»	197	Reg.	18.	resuscitabantur	—— resuscitabuntur
»	207	—	7.	peccati	—— peccato
»	——	—	14.	σωθήσῃ	—— σωθήσῃ

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS

DE

MUTATIONE, HOMINI, SECUNDUM JESU ET APOSTOLORUM DOCTRINAM, SUBEUNDA.

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS

DE

MUTATIONE, HOMINI, SECUNDUM JESU ET APOSTOLORUM DOCTRINAM, SUBEUNDA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GERARDI SANDIFORT,

MED. DOCT. ANAT. ET PHYS. PROF. ORDIN.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGII

in Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES PAULUS STRICKER,

HAGANUS,

IN PAGO DRIEHUIZEN SACRORUM ANTISTES

AD DIEM IX JANUARII MDCCCXLV, HORA II—III.

HAGAE COMITIS,
TYPIS J. ROERING.
MDCCCXLV.

PETRO NICOLAO VAN DER STOK,

SACRORUM ANTISTITI IN PAGO *ZUILEN*,

VIRO, PROPINQUITATE SIBI ET AMICITIA CONJUNCTO,

S. P. D.

JOH. PAUL. STRICKER.

Quum de libello, Vir conjunctissime! quem tandem absolvere et publici juris facere mihi contigit, nonnulla monenda sint, Praefationis loco, Epistolam ad Te scribere constitui, non tantum in caritatis, qua Te amplector, publicam significationem, sed eo etiam consilio, ut Tu, cui hoc opusculum prae aliis gratum fore confido, cognita habeas, quae de ejus ratione et instituto cum lectore communicanda videntur.

Silentio nunc praetereo septem annos suavissimos, per quos Leidae ad munus gravissimum informatus sum. Quam saepe Tecum confabulando horum memoriam renovavi! Quam dulce mihi erat, summis laudibus efferre Praeceptores, quos habui, doctrina et

humanitate insignes! Nosti eorum nomina et merita. Nosti, quantopere eos suspiciam et qua eos pietate colam. Suavissimam et utilissimam Amicorum, quibuscum mihi erat studiorum communio, quid memorare attinet consuetudinem? Ergo pauca tantum de hoc libello.

Vix disputationis Academicae conscribendae capto consilio, argumentum mihi sumsi Parentheses, quae in Editione recepta Novi Testamenti notis indicantur. *Hoc vero argumentum, postquam multa, huc pertinentia, jam collegissem, majoris amplitudinis esse vidi, quam capiant disputationis Academicae fines. Tum Promotor meus Clar.* VAN HENGEL, *cui, dicere non possum, quantum debeam, auctor mihi exstitit de* pietatis et virtutis studio, secundum JESU Apostolorumque doctrinam, *disputandi. Vix autem materiem tractandam circumspiciens, ecce, quod hodie perpaucis contingit, ad Antistitis Sacrorum, ut Tu quoque lactus recordaris, munus vocatus sum. Jam hujus muneris tot fuerunt et tanta negotia, ut tempus, quod in disputationem conficiendam impenderem, per biennium fere, si officio mihi mandato religiose fungerer, prorsus mihi deesset. Tum, quantum otii occupationum mearum gravitas mihi tribuit, ad consilium, quo nondum destiteram, perficiendum contuli. Nec tamen illud ipsum, quod mihi in proposito fuerat, exsecutus sum. Crescente enim in diem opusculo, tempore vero urgente, quo inceptum*

absolverem, substiti in iis, quae ad τὴν μετ ἄνοιαν *et* τὴν ἐπιστροφήν *pertinent, causam* τοῦ ἁγιασμοῦ *intactam relinquens. Atque haec nunc in lucem edidi, sperans fore, ut Viris doctis non prorsus displiceant, quae ad nonnullos N. T. locos difficiliores illustrandos disputata sunt.*

Miraberis forte, opusculum hoc minus diligenter elaboratum videri, quippe rarius, quam specimina Academica soleant, in excitandis Virorum doctorum scriptis. At Leida remotus, eos tantum consulere potui libros, quos aut ipse possidebam, aut Amicorum, praesertim Promotoris mei liberalitati debebam.

Interea accidit aliquid, quod mihi partim ingratum, partim vero gratissimum erat. Magnam enim disputationis partem jam elaboraveram, quum in manus incidebat liber Venerandi VAN DER WILLIGEN, *cui titulus:* Vervolg op de verhandeling over het eigenlijke wezen des Christendoms. *Et primum quidem hoc in libro eandem materiem ita tractari vidi, ut auctoris ingenium et doctrina insigniter eluceant. Deinde vero, uti multum, quod lubens fateor, hinc didici, sic haud sine voluptate animadverti, haud pauca talia esse, ut cum iis convenirent, quae antea in schola Cl. Promotoris audivissem, vel ipse mente jam comprehendissem. Nec tamen consilii denuo mutandi necessitas hinc orta videbatur. De aliis enim a Viro Venerando dissentiendum esse judicabam; in alia, et quidem permulta, inquire-*

re mihi proposueram, quae ibi aut plane non leguntur, aut obiter tantum attinguntur; quod ex utriusque libri comparatione lectores facile intellecturos puto.

Ceterum Te, qua es humanitate, errores, quos commiserim, leniter correcturum, persuasum mihi est. Quam lenitatem, ut omnes mihi ostendant libelli lectores, opto.

Uxorem Tuam, sororem meam carissimam, salvere jubemus. Vale meque amare perge.

Scripsi in Pago *Driehuizen.*
Ipsis Idibus Decembris.

DE MUTATIONE, HOMINI, SECUNDUM JESU ET APOSTOLORUM DOCTRINAM, SUBEUNDA.

De mutatione, homini, secundum Jesu *et Apostolorum doctrinam, subeunda* disputaturus, hanc omnem disputationem tripartitam feci. Caput *primum*, quid de verbis *μετανοεῖν* et *μετάνοια* censendum sit, docebit; *alterum* ostendet, quomodo judicandum sit de verbis *ἐπιστρέφειν* et *ἐπιστροφή*; *tertium*, alias voces aliasque formulas utrique, *τῷ μετανοεῖν* et *τῷ ἐπιστρέφειν* affines, tractabit. His peractis, in appendice breviter indicabo, quonam loco et numero utrumque illud ab homine Christiano haberi debeat.

CAPUT I.

De verbis *METANOEIN* et *METANOIA*.

SECTIO I.

Notio verborum *METANOEIN* et *METANOIA*.

A notione verborum incipiendum esse, ut, quod verbis continetur, fiat perspicuum, res ipsa loquitur. Quod, quum accuratius fieri nequeat quam Etymologia et usu loquendi consulendis, hac via et ratione nos rem ad liquidum perducturos spero.

Verbum *μετανοεῖν*, ut docent Lexicographi [1]), significat:

---

[1]) Cff. Stephanus, *Thesaurus linguae Graecae* et Suicerus, *Thesaurus Eccl.* Hunc Lactantii locum uterque descripsit: « Is enim, quem facti sui poenitet, errorem suum pristinum intelligit; ideoque Graeci melius et significantius *μετάνοιαν* dicunt, quam nos Latine possumus *resipiscentiam* dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiae et confirmat animum suum ad rectius vivendum: tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur.» Praeterea citari merentur verba Chrysostomi (*Hom. X in Matth.*),» *μετάνοιαν λέγω οὐ τῶν προτέρων ἀποστῆναι κακῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἄμεινον, ἐπιδείξασθαι καλά*, «et Aretae (*Apoc. Cap. III*): «*μετάνοιά ἐστι μετάστασις ἀπὸ τῶν χειρόνων καὶ μεταβολὴ ἐπὶ τὸ βέλτιον.*» Videantur porro Schleusner, *Lexicon Graeco-Lat. in N. T.*, Bretschneider, *Lex. Gr. Lat. in libros N. T.* ed. 3., Passow, *Handwörterb. der Gr. Spr.*

post sapere, *post intelligere*, atque inde *sententiam* aut *mentem mutare* [1]).

Valet igitur idem quod *μεταστρέφειν τὸν νόον*, uti plene legitur apud Apollonium *Rhodium*, *Argonaut.* I. 807. sq.

ἦ μὲν δηρὸν ἐτέτλαμεν, εἴ κέ ποτ' αὖτις
ὀψὲ μεταστρέψωσι νόον.

Μετάνοια igitur est *mentis mutatio*. Verbis autem *μετανοεῖν* et *μετάνοια*, per metonymiam, haud raro tribuunt [2]) *poenitentiae* notionem, in quam nunc paucis inquirendum est. Nullus, quantum novi, exstat locus, in cujus interpretatione *poenitendi* illa notio requiritur; et quamquam Schleusnero assentiri haud vereor, monenti: «de iis usurpatur, qui, postquam admissum fuit factum, tum demum cogitant et reputant quale illud sit, suam de eo sententiam mutant,» nollem eum his addidisse: «et de errore admisso dolent, i. q. *μεταμέλομαι*» [3]). Notio *dolendi*, quae omnino ad poenitentiam pertinet, a verbo *μετανοεῖν* prorsus aliena est. Exempla a Schleusnero et Bretschneidero huc allata non probant, quod iis probare voluerunt, uti *Prov.* XX: 25, ubi verborum *μετὰ γὰρ τὸ εὔξασθαι μετανοεῖν γίνεται* sensus est: *Post votum editum*

---

[1]) Post alios de Etymologia vocabulorum *μετανοεῖν* et *μετάνοια* egit H. Heemskerk: *Spec., quo inquiritur in not. τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν* [illegible] p. 88. sq.

[2]) Lexicographi omnes, quos vidi, et plerique interpretes.

[3]) *Μετανοεῖν* et *μεταμέλειν* vel *μεταμέλεσθαι* hoc nomine inter se differunt, ut illud usurpetur de sententiae mentisve mutatione, hoc vero semper significet *poenitere dicti vel facti.* Cff. Herod. VI: 63. IX: 1. Plut. Tom. VI. p. 680. Reisk. Aulus Gellius, I: 8. Porro *Exod.* XIII: 17. 1 *Sam.* XV: 35. *Zach.* XI: 5. *Sir.* XXXV: 19 et e Novo Test. *Matth.* XXI: 29, 32. XXVII: 3. 2 *Cor.* VII: 8. *Hebr.* VII: 21. Vide etiam Suicerum l. l. in voce *μεταμέλειν*.

sententiae fit mutatio; item Jesu oratio apud *Lucam*, XVII: 3: *καὶ ἐὰν μετανοήσῃ, ἄφες αὐτῷ*, quae significat: *Si mentem mutaverit, dimitte eum*, sc. condonando: [1]) quae vero *Matth.* XI: 21 [2]) leguntur: *πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν*, ad mentem auctoris explicanda sunt: *Veste lugubri induti et cinere caput adspergentes jam dudum mentis mutatae documenta edidissent.* [3]) Vulgo huc referuntur quoque, quae exstant *Hebr.* XII: 17, quo uno in loco Interpres vernaculus vocabulum *μετάνοια* ita ver-

---

[1]) Ven. v. d. Willigen, *Vervolg op de Verhandeling over het eigenlijke wezen des Christendoms*, p. 46, de hac Jesu oratione ita disputat, ut Jesum sibi proponat, certos homines a peculiari quodam vitio sibi cavere jubentem. Vereor tamen ut Servatoris mentem plane assecutus sit vir doctus. Jesus enim, ni fallor, generalem agendi normam discipulis proposuit, nec his tantum, sed omnibus cujuscunque aetatis hominibus. Nil igitur obstat, quominus vs. 3 scribamus: *si mentem mutaverit* et vs. 4. *mentem muto.*

[2]) Neque hîc assentiendum videtur viro egregio, p. 45 monenti, hoc in loco *externam* tantum *mutationem* significari verbo *μετανοεῖν*. Si recte video, fraudem ei fecerunt praecedentia *ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ*. At vero haec non pertinere ad sequens verbum *μετενόησαν*, evidenter apparet ex comparatione loci similis *Luc.* X: 13. Lucas, nimirum, verbis *σποδῷ* et *μετενόησαν* interposuit participium *καθήμενοι*. Multo minus etiam causam video, cur *Matth.* XII: 41, coll. *Luc.* XI: 32, a vulgari notione verbi *μετανοεῖν* discedendum sit. Utroque igitur in loco fidenter scribatur: *mentem mutare*, atque illud explicetur: *animum vitaeque rationem emendare.*

[3]) Alia exempla, e scriptis N. T. petita, infra, suo loco, ita illustrare conabor, ut facile cuivis appareat *poenitendi* notionem a verbis *μετανοεῖν* et *μετάνοια* prorsus alienam esse. Quae attulit Bretschneider, l. l. e *Test.* XII *Patr.* apud Fabricium *Cod. Pseudep. V. T.* Vol. I. pagg. 520 et 607, primo adspectu de poenitentia agere videntur; quae vero ibidem, p. 611, leguntur: *μετάνοια τῆς σαρκός* vix aut ne vix quidem ad poenitentiam referri possunt.

tendo reddidit, ut respondeat Latino *poenitentia.* [1]) Grotius verba *μετανοίας γὰρ τόπον οὐχ εὗρε* sic interpretatus est: *Non enim invenit poenitentiae locum.* [2]) Similiter Calvinus et Beza. Non est tamen, quod a notione vulgari recedamus. Fidenter scribatur: *Non enim invenit locum sententiae mutandae*, [3]) atque hoc explicetur: *Esavus*, [4]) *quidquid tentabat, quae semel ab eo enuntiata et facta erant, corrigere frustra conatus est.* Cf. Palmius ad h. l. Alias notiones, verbo *μετανοεῖν* obtrusas, silentio praeterire licet: sunt enim minoris ponderis et rarius in Literas Sacras importatae.

Tenemus igitur sine scrupulo vulgarem verborum notionem, quae in *mentis mutatione* cernitur. Mentis vero illa mutatio duplex esse potest, prouti spectat intellectum aut voluntatem hominis. Apud Scriptores exteros sermo tantum est de *reditu ab errore intelligentiae.* [5]) In Libris

---

[1]) In Versione, quae dicitur, vernacula (*Statenoverzetting*) verba *μετανοεῖν* et *μετάνοια* reddita sunt: *zich bekeeren*, *bekeering;* bis tamen *leet zijn: Luc.* XVII: 3, 4 et *zich beteren: Act.* III: 19. XXVI: 20.

[2]) Plus semel Grotius minus recte ita interpretatus est. Cff. ann. ad *Marc.* I: 4. *Matth.* XXVII: 3 etc. Nec Grotius tantum, sed Calvinus quoque et Beza, et inter recentiores, longe plurimi interpretes.

[3]) Ad formulam *μετανοίας τόπον* cff. *Sap.* XII: 10: *Κρίνων δὲ καταβραχὺ ἐδίδους τόπον μετανοίας* et Clem. *Rom. Ep. ad Corinthios, C.* VII: *Καταμάθωμεν, ὅτι ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ μετανοίας τόπον ἔδωκεν ὁ Δεσπότης κ. τ. λ.* quae et alia plura notavit etiam Bleek: *der Brief an die Hebr.*

[4]) Hanc sententiae mutationem ipsius fuisse Esavi, non vero, ut, praeeunte Beza, plerique censen intt., Isaäci, satis superque probavit Bleekius. l. l.

[5]) Exempla praebet Schleusner: Xenoph. *Cyrop* Sic. I: 1, 3. Diod. Sic. XV: 47. Polyb. IV: 66.

Sacris contra ubivis, ni fallor, significatur *animi mutatio*, quae in morum emendatione cernitur, quod e consilio, quo scripti sunt hi libri, facile intelligitur. Sunt tamen loci, de quibus dubitari possit, uti *Prov.* XX: 25; XXIV: 32 et, quem supra citavimus, *Hebr.* XII: 17. Accurata vero horum locorum lustratio docet, sermonem non esse de mutatione opinionis alicujus perversae.

Interpretes Alexandrini 1 *Sam.* XV: 29, *Jer.* IV: 28 verbum *μετανοεῖν* scripserunt, ubi in Codice Hebraeo legitur נחם, quod aliis in locis, et quidem longe melius, respondet Graeco *μεταμέλειν*. Symmachus verbum שוב reddidit *μετανοεῖν Jobi* XXXVI: 10 et שובה *μετάνοια Jes.* XXX: 15. In libris Apocryphis V. T. quoque de animi mutatione legimus *μετανοεῖν* et *μετάνοια*, nempe *Sap.* V: 3; XII: 10, 19. *Sir.* XVII: 24; XLVIII: 15, quo in loco, primo adspectu, exspectaveris fere verbum *ἐπιστρέφειν*, quoniam ibi sermo est de reditu ab idololatria ad veri Dei sacra. Sed aliam ejusmodi conversionem sibi proponere auctor non poterat, nisi morum emendatione conspicuam, et hac ex parte bene se habet *μετανοεῖν*.

Verborum *μετανοεῖν* et *μετάνοια* notionem in N. T. nullam esse aliam, quam animi emendationem, non opus erit, ut hîc jam plurium locorum comparatione probem. Omni sequenti his de verbis disputatione hanc notionem defendere conabor. Monendum superest, plenam formulam esse: *ἡ μετάνοια ἡ εἰς Θεόν*, prouti exstat *Act.* XX: 21; ad quem locum conf. de Wette, *Exeg. Handb. zum Neuen Test.*

SECTIO II.

Homines, qui ad *TO METANOEIN* vocati sunt.

Generatim ad τὸ μετανοεῖν vocatos esse omnes, Jesu et Apostolorum tempore extra societatem Christianam viventes, *sigillatim* vero homines Judaeos, Gentiles et passim Christianos, Novi Test. institutione accuratius considerata patebit.

§ 1.

Generatim omnes, extra societatem Christianam viventes.

Loci, in quibus *omnes*, extra societatem Christianam viventes, a Jesu et Apostolis ad τὸ μετανοεῖν vocati sunt, numero sunt tres: *Luc.* XXIV: 47; *Act.* XVII: 30; 2 *Petr.* III: 9.

Quum in eo esset Jesus, ut terram relinqueret, allocutus est discipulos et praeter alia iis dixit: *Οὕτως γέγραπται, [καὶ οὕτως ἔδει* [1])*] παθεῖν τὸν Χριστὸν — καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν εἰς πάντα τὰ ἔθνη, ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλήμ.* Errant, qui haec et similia [2]) ita interpretantur, ut Christo mentem hanc tribuant: annuntianda est ἡ μετάνοια non tantum Judaeis,

---

[1]) Quae verba uncis inclusi, a nonnullis Interpretibus glossema habentur, et quamquam veteres, qui ea omiserunt, pauci sunt, sunt tamen eorum testimonia gravia. Tischendorfius orationem sic constituit: *οὕτως γέγραπται· παθεῖν κ. τ. λ.* Verba tamen *καὶ οὕτως ἔδει* ab antiquis ex oratione expulsa videntur, quoniam putabant, ea progressum ejus turbare.

[2]) E. c. *Marc.* XVI: 15.

sed etiam aliis, moneantque, CHRISTUM *Particularismo* Judaeorum se opposuisse, atque illud *πάντα* non urgendum esse. At vero vocabulum *πάντα* si non urgendum est, nihil significat; jam satis enim *Particularismo* Servator se opposuit, gentes exteras memorando. Hoc igitur sibi voluit: *Incipite* [1]) *ab Hierosolyma* [2]) *annuntiare τὴν μετάνοιαν; persequimini illud per omnem terram Judaeam; tum, fines transgressi, per finitimas regiones, quas incolunt gentes exterae; neque ibi subsistite, sed quocunque penetrare poteritis, homines adhortamini, ut ad animi emendationem se convertant.* Ex hac interpretatione appareret, secundum ipsius JESU sententiam, ubivis terrarum fuisse, quibus ejusmodi emendatione opus esset.

Neque aliter res se habet, ubi PAULUS *Act.* XVII: 30, in oratione Athenis habita, haec monet: *Τοὺς μὲν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς, τανῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν.*[3]) Sunt, qui,

[1]) *Ἀρξάμενον* non absolute positum, sed participium impersonale, quod infinitivo adjungatur, habendum esse, docet WINERUS, *Grammatik des Neu Testam. Sprachidioms Ed.* 5. p. 263.

[2]) Hierosolymam nominatim memoravit JESUS, quoniam tunc ejus ibi degebant discipuli, et ipsa urbs erat capitalis, cujus incolae, summo scelere patrato, ostenderant, quantopere prae omnibus animi emendatione indigerent.

3) Si quis sibi reperisse videtur locum, in quo verbum *μετανοεῖν* explicandum sit: *errorem intelligentiae corrigere*, fortasse ad illa *χρόνους τῆς ἀγνοίας* provocabit; sed animadvertat, quaeso, secundum PAULUM, Deum haec tempora *praetervidisse*, i. e. peccata, per errorem commissa, condonasse. Versu sequenti Apostolus etiam mentionem facit judicii Divini. Satis lucide igitur apparet, vitium voluntatis esse, quod ille in posterum caveri jubeat; atque hoc mirum nemini videri poterit, qui secum reputet, *Idololatriam* non tantum fuisse errorem intelligentiae, sed vulgo secum conjunctam habuisse animi vitaeque vitiositatem.

illud πᾶσι rejicientes, pro eo πάντας substituant, quod etiam Lachmanno et Tischendorfio placuit, atque ita accusativum infinitivo adjungant. Equidem, cum Goeschenio, Wettio et aliis, librarios πᾶσι in πάντας mutasse putaverim, ut, quod a vero aberrare ipsis videbatur, ex oratione expellerent. Magnifice locutum esse Apostolum quisque videt. Adverbii πανταχοῦ usu auditorum oculos convertebat in omnes regiones totius imperii Romani, in quibus illud κήρυγμα εἰς μετάνοιαν jam auditum erat. Nec tamen statuere ausim, eum per hyperbolen dixisse τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι, quum fere non dubitem, quin sibi voluerit: *Omnes homines, nemine excepto, in regionibus illis, qua late patent, in quibus Euangelium hodie annuntiatur, degentes exhortatur* [1]) *Deus, ut subeant τὴν μετάνοιαν.* Quid causae sit, cur Jesus et Paulus *omnibus* illud praescripserint, infra, suo loco, exponendum erit.

Tertius locus, qui huc referri potest, reperitur 2 *Petr.* III: 9: *Οὐ βραδύνει ὁ Κύριος τῆς ἐπαγγελίας, — μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι.* Me quidem judice, sensus est: *Est Dei voluntas, ut omnes perveniant ad τὴν μετάνοιαν, ne ullus pereat; qua in voluntate causa cernitur, cur adhuc moram faciat: non semper vero moram faciet, qui auctor* (Dominus) *promissi per excellentiam dicendus est.* [2])

---

[1]) Sic vertendo reddidi verbum παραγγέλλει, Lucae imprimis usitatissimum. Proprie est *denuntiare* et usurpatur de populo per publicum mandatum convocando. Cff. 1 *Sam.* X: 17; XV: 4; XXIII: 8. 1 *Reg.* XV: 22. Plerumque in Lexicis exponitur cum *praecipere*, tum *vetare*. Cff. Schleusner, Bretschneider et Schweighaeuser, *Lexicon Herodoteum*. Equidem scripserim: *graviter admonere, exhortari.*

[2]) Grotio calculum adjeci, qui Bezam secutus est, scribendo:

§ 2.

Sigillatim homines Judaei, Gentiles et passim Christiani.

Vidimus supra, generatim omnes homines ad τὸ μετανοεῖν in N. T. vocari: nunc videamus quinam ad illud *sigillatim* vocentur. Et primum quidem hîc in censum veniunt *homines Judaei*. Johannem *Baptistam* Judaeos ad

---

non tardat Dominus promissi. Conjecit tamen legendum esse in accus. τὰς ἐπαγγελίας; quod ab eo factum nollem. Plerique interpretes vocabula τῆς ἐπαγγελίας verbo βραδύνει subjungunt; sic olim jam *Vers. Syr.*, *Vulg. Lat.* Theophyl.; postea Calvinus, Lutherus, Interpr. vern. Palmius, Goeschenius et alii. Bengelius orationem particula ἵνεκα supplendam ait, quod hodie explosum est. Schleusner conjecturae Grotii adjecit hanc aliam, post vocabula τῆς ἐπαγγελίας omissum esse substantivum ἀναπλήρωσιν seu τελείωσιν, aut aliud simile; et Winerum etiam, l. l. pag. 226, haud alienum video ab illa interpretatione maxime vulgari, quamvis largiatur, conjungi posse genitivum cum subst. Κύριος. Sed interpretatio, a me proposita, plus uno argumento niti videtur. Nusquam, quantum novi, verbum βραδύνω post se habet genitivum. Cum accusat. legitur *Jes.* XLVI: 13. Vulgo tamen intransitivum est, uti *Gen.* XLIII: 10. *Deuter.* VII: 10. *Sir.* XXXII: 18. 1 *Tim.* III: 15; quibus ex Aquilae interpretatione addi potest *Ps.* CXXVI: 2. Usus igitur loquendi meam sententiam confirmat. Auctorem quoque, si genitivo usus esset ad significandum verbi βραδύνει objectum, scripturum fuisse puto: οὐ βραδύνει τῆς ἐπαγγελίας ὁ Κύριος. Unum est, quod mihi opponi possit, nempe, in codicibus bonis et fide dignis non legi articulum ὁ ante Κύριος. Sed, si quid video, ex oratione articulus expulsus est, quoniam in vs. prace. exstat tantum παρὰ Κυρίῳ. Et sic novum argumentum nobis praebetur cum vocabulis ὁ Κύριος conjungendi genitivum τῆς ἐπαγγελίας.

animi vitaeque mutationem exhortatum esse, docent *Matth.* III: 2. *Marc.* I: 4. Baptismus adeo, quem administrare solebat, quum candoris animi signum esset, *βάπτισμα μετανοίας* (*Luc.* III: 3. *Act.* XIII: 24), et ipse *βαπτίζειν εἰς μετάνοιαν* (*Matth.* III: 11) dicebatur. Quotquot Judaeorum ad eum accedebant, hunc ritum solemnem subeuntes, et vitiositatem pristinam fatebantur, et fructus animi emendati pollicebantur. Illud igitur *μετανοεῖν*, quod cordibus inculcabat alter ille Elia, unice spectabat hominum animum, et nihil aliud vatis Divini consilium ferebat, quam morum emendatione futuro Messiae viam munire; quod consilium assequi conabatur Judaeos valde depravatos ad pietatem et virtutem reducendo. Quot numero et quales fuerint, qui ad Johannem venirent, clare intelligitur ex iis, quae referuntur *Matth.* III: 5 sqq. Post Johannem, ipsum Jesum generatim quoque illud *μετανοεῖν* praescripsisse apparet ex *Matth.* IV: 17 et locis similibus. Praeterea increpat urbes Chorazim, Bethsaidam et Capernaum, quod animum mutare recusaverant, *Matth.* XI: 20 sqq. et parall. Porro populum Judaeum, seditiosum et tumultuosum, ut meliora sapiant, ne miserum in modum pereant, obtestatur *Luc.* XIII: 3. 5. Ubi denique discipulos emittit, illi dicuntur exiisse et Euangelium praedicasse, *ἵνα μετανοήσωσι*, *Marc.* VI: 12. Mittebantur autem ad Judaeos, ut perspicue docet *Matth.* X: 5, 6. Jam post Jesu in coelos abitum Apostolos magistri vestigiis institisse, ostendit Petri exemplum *Act.* II. 38; III: 19; V: 31. Huc quoque pertinet, quod scripsit Paulus ad *Rom.* II: 4. Ex universo enim disputationis argumento, aeque atque ex proxime antecedentibus, tam perspicue apparet Judaeos auctori in mente fuisse, ut omnes fere interpretes hodie hac de re inter se consentiant. Verborum *ὅτι τὸ χρηστὸν*

τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει sensus est: *Illud, quod in Deo est benignum, te, o Judaee! ita ducit, ut ad mentis mutationem pervenias.*

Praeter Judaeos *Gentes* quoque *exterae* ad τὸ μετανοεῖν vocatae sunt. Exempla jam praebuerunt loci supra allati: *Luc.* XXIV: 47. *Act.* XVII: 30. Porro comparandi sunt *Act.* XI: 18, [1]) XX: 21, ubi Paulus, conjungens vocabula Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι, altero *omnes gentes* denotat, *Judaeis exceptis. Graecos* autem nominatim memorat, utpote celebratissimos sibique maxime cognitos. Vide *Rom.* I: 16; II: 9, 10 etc.

Passim quoque in N. T. ad τὸ μετανοεῖν incitantur *homines Christiani* i. e. qui baptismi ritu professioni nominis Christi initiati sunt. Exemplo sit Simon *Magus*, *Act.* VIII, qui vs. 13 fidem Christo dedisse et baptismi ritum subiisse dicitur; mox tamen, vs. 22, eidem dixisse fertur Petrus: μετανόησον. [2]) Haud rari sunt in epistolis, ad homines jam Christianos missis, loci, in quibus de ejusmodi animi mo-

---

[1]) Si qui forte sunt, qui causam quaerant, cur hîc scriptum sit μετάνοιαν, non vero ἐπιστροφήν, adeant venerandum van der Willigen, l. l. p. 46, ibique videant, Lucam consulto scripsisse μετάνοιαν, ut indicaret Cornelium *sincero animo* Christum amplexum esse suique candoris documenta edidisse permulta vitam agendo Deo probatam; qua de causa putem quoque, auctorem superioribus adjecisse vocabula εἰς ζωήν. Notandum superest, conversionem ad Christum silentio hîc praetermissam esse, quippe ex omni Petri narratione auditoribus jam satis manifestam. Vocabulum autem μετάνοιαν hîc revera significare *mentis mutationem* ex usu particulae καί probari fortasse potest.

[2]) Illud μετανόησον sine dubio denotat mentis mutationem. Oratio, quae praegnans est, exponatur: *Mentem sic mutato, ut valedicas huic malitiae.* Non igitur est, quod verbo μετανοεῖν hoc in loco cum ven. van der Willigen, l. l. p. 46, limites ponamus.

rumque emendatione sermo sit. Quae scripsit Paulus 2 *Cor.* VII: 9, 10; XII: 21 absque omni dubio pertinent ad homines intra societatem Christianam viventes. Nec aliter res se habet in epistola ad *Hebr.* VI: 4—6, quo in loco proponitur difficultas meliora sapiendi, qua laborat omnis homo, qui, postquam semel Christum professus sit, denuo a Christo desciscat. [1]) In epistolis autem ad varios hominum Christianorum coetus, quas introitus *Apocal.* Johannis continet, frequens est ad *μετάνοιαν* adhortatio. Praescribitur *ἡ μετάνοια* coetui Ephesio, II: 5; Pergameno, ibidem vs. 16; Thyatirensi, ibidem vs. 22; et mulieri cuidam, Thyatiris habitanti, quae ficto nomine inducitur, scribitur: tempus datum esse, *ἵνα μετανοήσῃ*. Tum coetibus Sardinensi et Laodiceno idem mandatur, III: 2 sq. [2])

---

[1]) Infra hoc de loco difficiliori plura.

[2]) Restant in libro *Apoc.* duo loci: Cap. IX: 20, 21; XVI: 9, 11. Quinam vero homines hîc denotentur, quaestio est a judicio pendens, quod de totius libri argumento ferendum est. Qui auctorem civitatis Judaeorum interitum spectasse existimant, *Judaeos* hîc intelligere necesse est; qui vero vaticinationem editam esse putant de Roma, aut prostratam *idololatriam* depingi volunt, hoc ad *gentes* referre debent. At si quis Eichhornii sequi malit sententiam, usque ad Cap. XI victoriam proponi, quam causa Christiana de Judaismo reportaverit, inde vero victoriam, quam consecuta sit, debellata gentium superstitione, non aliter potest quam hunc utrumque locum ita distinguere, ut in priori *Judaei*, in posteriori *Gentes* notentur. Sed instituti mei non est in argumentum hujus libri inquirere, nec necesse videtur. Hi autem loci, cum, sine controversia, homines spectant variis vitiis contaminatos nos non morabuntur.

SECTIO III.

NECESSITAS *TOY METANOEIN* HOMINIBUS, SUPRA MEMORATIS, IMPOSITA.

Necesse erat et Judaeis et Gentibus exteris omnibus animi subire mutationem, quoniam a Deo tam remoti erant, ut Regni Divini participes fieri non possent, nisi ad meliora converterentur. Idem vero requirebatur ab istis hominibus Christianis, qui a Dei Christique legibus se averterant. Haec nunc uberius exponenda sunt.

Homines, qui in N. T. ad τὸ μετανοεῖν vocantur, uno nomine ἁμαρτωλῶν comprehenduntur, atque in eo, quod ἁμαρτωλοί erant, causa fuit, cur ad animi mutationem, ipsis apprime necessariam, impellerentur. Hujus generis fuisse omnes Judaeos omnesque Gentes, sine magno negotio demonstrabimus. Neque multum laboris exigitur, ubi quaestio movetur de conditione morali hominum Christianorum, quos ad τὴν μετάνοιαν vocatos legimus. Sic igitur progrediendum videtur, ut *primum* ostendam, peccatores vocatos esse ad τὸ μετανοεῖν; *tum* vero, omnes, qui vocarentur, revera peccatores fuisse; *tertio* denique, neminem eorum Christi communione frui potuisse, nisi peccato strenue se opponeret.

§ 1.

Peccatores vocantur ad τὸ μετανοεῖν.

Peccatores vocari ad τὸ μετανοεῖν nemo infitiabitur, qui meminerit Jesum dicere: *Οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλ' ἁμαρτωλούς*: *Matth.* IX: 13, *Marc.* II: 17 et

Luc. V: 32, ubi additur *εἰς μετάνοιαν* [1]). Simile fere effatum legitur in Parabola, quam scripto mandavit Lucas, XV: 4 sqq., quaeque exstat quoque apud *Matth.* XVIII: 11 sqq. Apud Lucam legimus vs 7: *Λέγω ὑμῖν, ὅτι οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι*, et vs. 10: *Οὕτω, λέγω ὑμῖν, χαρὰ γίνεται ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι.* His igitur in locis sermo est de homine *ἁμαρτωλῷ*, qui ad meliorem mentem redire tenetur. Quales autem sint, qui in N. T. *ἁμαρτωλοί* vocentur, operae pretium erit paucis exponere.

Ubivis *ἁμαρτωλοί* dicuntur homines peccati maculis non leviter affecti, sed ejus dominationi prorsus subjecti; homines, quos Jesus, *Joh.* VIII: 34, *δούλους τῆς ἁμαρτίας* appellavit. In hujus autem disputationis principio jam statim notandus est Schleusnerus, qui septem huic vocabulo notiones affinxit, quum ad unam commode referri possint omnes. Recte igitur Bretschneiderus, in voce, scripsit tantum: « adjective: *peccator, peccato contaminatus;* substantive: *peccator, homo peccatis contaminatus.* » Jesum in locis supra citatis homines induxisse, qui prae aliis peccarent, docet ibi oratio contexta. Alibi uno tenore cum publicanis, pessimo hominum genere, memorantur, *Matth.* IX: 10, 11 et parall. *Luc.* XV: 1; VII: 34 et parall.,

---

[1]) In editione recepta Euangel. *Matth.* et *Marci* verbis Jesu addita etiam leguntur vocabula *εἰς μετάνοιαν*, quae tueri conatus est Fritzschius. Sed Griesbachius, Lachmannus et Tischendorfius merito ea ex oratione expunxerunt, Cf. Wettius. Quid causae sit ea cur, hos in locos irrepserint, ostendit Griesbachius, *Comm. crit. in text. Graec. N. T. Part.* I. p. 96 sq. Vid. quoque Wetstenius in annotatione ad locum l. *Matth.* Ceterum disputare non opus est de usu verbi *καλεῖν* sine nomine. Cf. *Rom.* VIII: 30.

quo in loco Jesus τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν dicitur, tamquam homo φάγος καὶ οἰνοπότης. Inter se quoque permutantur τελωναί et ἁμαρτωλοί, *Luc.* VI: 32 sqq. coll. *Matth.* V: 46 sq. Nec mirum, quum pariter fere vitiositati fuerint obnoxii. Mulier, antea vitae dissolutae et libidinosae dedita, *Luc.* VII: 37, 39, ἁμαρτωλός appellatur. Jesus, *Luc.* XIII: 2, Galilaeos quosdam excusans, quod prae ceteris non fuerunt peccatores, utitur vocabulo ἁμαρτωλός. Publicanus in simili *Luc.* XVIII: 13, semet ipse ἁμαρτωλόν vocans, alius haberi non vult quam peccator eminentior; nec aliter in ore et sermone Pharisaeorum est, quum Jesum ἁμαρτωλόν dicunt *Joh.* IX. Sabbatum enim ex perversa eorum opinione violaverat, crimen judicio eorum nefandum. Usus igitur hujus vocabuli in Euangeliis sibi constans esse deprehenditur. Neque aliam cerni notionem in scriptis Apostolorum, locorum huc pertinentium lustratio docet luculenter. Incipio ab 1 *Tim.* I: 9. In serie improborum ibi reperiuntur etiam ἁμαρτωλοί et junguntur, ut ejusdem generis, cum τοῖς ἀσεβέσι, a quibus tamen ita distinguendi sunt, ut hoc vocabulo *impii*, illo *peccatores* significentur. [1]). Connectit Apostolus τοὺς

---

[1]) Operae pretium erit vocabulorum ἀνόμοις — βεβήλοις notionem constituere. Ἄνομοι sunt, qui legum Divinarum nullam curam habent, aut quoniam earum inscii sunt, ut *Act.* II: 23; 1 *Cor.* IX: 21, aut quoniam temere putant, se nulla lege divina ad officium adstringi. Cff. *Marc.* XV: 28. *Luc.* XXII: 37. 2 *Thess.* II: 8. Cum his copulantur ἀνυπότακτοι, i. e. homines, qui nullius imperio obtemperant. De humano imperio hoc vocabulum usurpatur *Tit.* I: 6, 10 et, ni fallor, hoc in loco. Ceterum praeter *Hebr.* II: 8 non legitur in N. T. Inter se differre utrumque illud vocabulum quisque videt. Nec aliter statuendum est de sqq. ἀσέβεσι καὶ ἁμαρτωλοῖς. Ἀσεβεῖς, nimirum, dicuntur, *qui Deum contemnunt*, e. c. *Rom.* IV: 5; 2 *Petr.* II: 5; III: 7. *Jud.* 4. ab

ἀσεβεῖς et ἁμαρτωλούς, ut supra τοὺς ἀνόμους et ἀνυποτάκτους, et infra ἀνοσίους et βεβήλους, propter affinitatem peccatorum, quae sibi ante oculos obversantur. Quaestio vero est, utrum singulare quid in mente habuerit, necne. Grotius ita per excellentiam scriptum putat de hominibus seditiosis. Potius censendum est, Apostolum genera praemisisse, iisque species subjecisse, plane ut Rom. I: 29. [1]). Sed satis gravia peccata ipsi in mente fuisse, docet oratio contexta. Similiter statuendum esse de vocabulo ἁμαρτωλός *Jac.* IV: 8, nemo jure negare poterit, qui animadverterit, *cum* ad effatum Jesaiae, vaticiniorum C. I: 16 reperiundum, quod Jacobo ante oculos obversatum fuisse manifestum est, *tum* ad universam Apostoli orationem inde ab initio hujus capitis, homines nequam et scelestos graviter reprehendentem. Accedo ad *Hebr.* VII: 26, ubi Christus dicitur κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν; quae verba non sumenda sunt, quasi auctor iis probare conetur Christi ἀναμαρτησίαν, sed

---

hominibus ἁμαρτωλοῖς perspicue distinguuntur 1 *Petr.* IV: 18 et praesertim *Jud.* 15; quamvis peccata, vocabulis illis indicata, tam affinia sunt, ut iidem *Rom.* V: 6 ἀσεβεῖς et vs. 8 ἁμαρτωλοί dicantur. Sic inter se differunt quoque ἀνόσιοι et βέβηλοι. Illi sunt, qui sacra neutiquam venerantur, 2 *Tim.* III: 2; hi, qui sacrilegi dedecora admittunt, *Hebr.* XII: 16. Quod recte observavit Bretschneiderus, *in voce* ἀσεβής, distingui illud posse ab altero ἁμαρτωλός, ut causam ab effectu, valet quoque, ni fallor, de ceteris. In eo, nempe, quod homines legum Divinarum curam habent nullam, causa est, cur nec imperio humano se subjiciant. Et qui sacra nulla venerantur, facile eo perveniunt, ut, sacra contemnentes, pejora perpetrent.

[1]) Quo in loco post vocabulum ἀδικίᾳ pro commate colon substituendum esse, retinendum autem vocabulum πορνείᾳ, expulso sequenti πονηρίᾳ, docuit Clar. van Hengel, in scholis.

sequentibus καὶ ὑψηλότερος κ. τ. λ. ita adjungenda, ut perspicuum fiat, auctoris mentem fuisse: Christus, in coelos evectus, remotus factus est a peccatoribus his in terris degentibus [1]).

Hucusque omnia erant plana. Quae in hac disputatione versantibus nobis supersunt, paulo sunt difficiliora. Et statim jam incidimus in locum arduum *Gal.* II: 15, 17. [2]). At recte jam observavit Borgerus [3]), Judaeos solitos fuisse Ethnicos ἁμαρτωλούς dicere; quod, variis testimoniis allatis, satis superque probavit Rückertus [4]), qui rem acu tetigisse videtur, dicens, Apostolum non ex suâ, sed ex Judaei gentes exteras contemnentis personâ loqui. Quod si probe tenemus, vs. 15 vocabulum ἁμαρτωλούς aliter sumi nequit, quam de homine peccatis prorsus immerso; necest, quod in eadem oratione, vs. 17, eidem vocabulo aliam notionem tribuamus. Imo particula καί postulat, ut eadem ratione qua supra interpretemur. Ait enim Paulus: Si *et* nos, *aeque ac* gentes exterae, peccatores deprehendi-

[1]) Cf. Ullmann, *Ueber die Sündlosigkeit Jesu* Ed. 4. pag. 37. — Accuratius hunc locum considerans, dubitare etiam incepi, an recte afferri possit ad probandam Christi ἀναμαρτησίαν, qualis his in terris eluxerit. Verba κεχωρισμένος κ. τ. λ. hac in causa nullius pretii esse, ex interpretatione proposita sua sponte intelligitur. Sed et praecedentia ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, nisi egregie fallor, Christum nobis non proponunt, qualis fuerit, dum in terris esset, sed qualis revera sit ad Patris dextram evectus. Omnis nimirum praecedentis orationis cardo versatur in describenda vi, quam in hominum salutem exercet Servatoris vita aeterna.

[2]) De universa hac pericope nuperrime egit Ven. J. H. Soli, in *Bijdragen tot bevordering van bijb. uitlegk. verzam. d.* v. Willes. Tom. II. p. 325 sqq.

[3]) *Spec. exhib. interpret. ep. P. ad Gal. a. h. l.*

[4]) *Commentar über den brief P. an die Gal.* Cf. etiam Wettius ad h. l.

mur. In censum porro veniunt quae leguntur *Rom.* III: 7. Paulum hîc crimen significare nefandum, apparet cum ex praecedentibus, in quibus hominem designat mendacem, tum ex omni ejus oratione. Vide vs. 3 et 5 et animadverte usum vocabulorum *ἀπιστία* et *ἀδικία*. Nec tamen est, quod merito quis objiciat, vocabulum *ἁμαρτωλός*, si tantum de homine peccatis prorsus obnoxio usurpatur, Paulo non convenire; hoc enim consilio ille prima persona usum esse, ut a tempore futuro ad praesens tempus reduceret lectores, iisque rem quasi sub oculos poneret. Hoc sibi vult: *si, ut exemplo utar.* Alius enim, quisquis sit, homo Judaeus aut Gentilis, sub ejus nomine non latet. Attamen, dicet quis, vs. 4, *omnes* homines mendaces appellaverat? Recte: nam instituebatur ibi comparatio hominum cum Deo, summe veraci; per se autem non sunt mendaces omnes; id saltem non urget Apostolus. Fidenter igitur hoc in loco teneatur vulgaris nominis *ἁμαρτωλός* notio. Nec discedatur ab ea cap. V: 19. Ex eo enim ipso, quod hîc legitur *οἱ πολλοί*, jam satis firmum argumentum peti potest, Paulum nomine *ἁμαρτολῶν* non universum genus humanum significasse. Cave etiam interpreteris: *multi*, scriptumque hoc putes pro *omnibus*. Vertendo enim reddendum est: *illi, qui multi sunt* i. e. *hominum multitudo:* omnes quidem, secundum vs. 12, *ἥμαρτον;* idcirco tamen non omnes *ἁμαρτωλοί* dici merentur. Praeter ea, quae leguntur *Jac.* V: 20, quo de loco animadvertisse sufficiat, verba *σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου* satis probare, vocabulum *ἁμαρτωλόν* scriptum esse de mancipio peccati; supersunt quae exstant 1 *Tim.* I: 15, quaeque primo adspectu, omne, quod de notione nominis *ἁμαρτωλός* disputavimus, evertere videntur. Inspiciamus vero orationem contextam. Vehementer dolet Paulus, ut 1 *Cor.* XV: 9, se aliquando acerrimum fuisse

adversarium Christi atque dignum se reddidisse nomine *ἁμαρτωλῶν πρώτου*, et sic gravissimi peccati conscientiâ factum est ut ipsius animus loqueretur. Apostoli mens haec est ad : «Christus Jesus *in mundum venit, ad homines gravissime peccantes a peccatis et interitu ita servandos, ut vitam unice veram eandemque aeternam adipiscantur: quibus hominibus peccatoribus me ipse, ut omnium primum, adnumerare non dubito, quippe qui antea fuerim βλάσφημος καὶ διώκτης καὶ ὑβριστής* » (Cf. vs. 13).

Generatim ergo homines, peccati dominationi prorsus subjecti, ad *τὸ μετανοεῖν* vocati sunt in locis, in quibus ad *τὸ μετανοεῖν* vocantur homines *ἁμαρτωλοί*. Quamquam pauci sunt illi loci, (vide supra disp. pag. 14 et sq.) haud pauci sunt, qui rem his vocabulis indicatam perspicue ob oculos ponunt. Huc enim pertinent omnes illi, in quibus exhortationi ad *τὴν μετάνοιαν* adjicitur formula *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν* vel simile quid. Cff. *Marc.* I: 4. *Luc.* III: 3; XXIV: 47. *Act.* II: 38; III: 19; V: 31; VIII: 22; et praesertim hîc in censum veniunt omnes, quorum oratio contexta luculenter docet, quaenam peccata cavere debeant illi, quibus praescribitur *ἡ μετάνοια*.

§ 2.

Omnes, qui in N. T. vocantur ad τὸ μετανοεῖν, peccatores fuerunt.

Ostendamus nunc, *omnes, qui in N. T. vocentur ad τὸ μετανοεῖν, revera peccatores fuisse.* Quod ut via et ratione fiat, effata consideremus, *primum*, *Judaeos* spectantia; *tum*, ad *gentes exteras* pertinentia; *denique*, quae ad *homines Christianos* referenda sunt.

Incipiamus ab *effatis Judaeos spectantibus*. Judaeorum

conditionem moralem, Jesu et Apostolorum aetate, tristissimam fuisse, facile nobis concedent omnes, qui cum libris historicis N. T. nonnihil familiaritatis contraxerint. Hanc autem morum corruptelam quominus exponamus, prohibemur limitibus huic disputationi constitutis, aliique otium nobis iam fecerunt hac de re disputandi. Sufficiet igitur accurate indicasse, quae de Judaeis, a Deo longe remotioribus, quam ipsi putarent, docent loci, in quibus excitantur, ut meliora sapiant animique emendati fructus edant. Omnium primum hîc in censum venire Johannis *Baptistae κήρυγμα εἰς μετάνοιαν*, nemo dubitabit. Illud autem legitur *Matth.* III: 1—12, et in locis similibus: *Marc.* I: 1—8, Luc. III: 1—18. Judaei omnis generis, loci et ordinis ad eum exibant; non tantum qui incolebant regiones Jordani vicinas [1]), ad cujus ripam degere solebat Johannes, sed etiam Hierosolymitani, ad fluvium proficiscebantur, et tot quidem numero, ut omnes Urbis cives eam reliquisse viderentur [2]). In his erant, praeter Pharisaeorum et Sadducaeorum doctores eorumque

[1]) Incolae significantur partim Judaeae, partim Samariae, Galilaeae, terrae Gaulonitis et Peraeae. Cf. Wettius.

[2]) Cf. *Matth.* III: 5, coll. *Marc.* I: 5, quo in loco legendum esse: *Καὶ οἱ Ἱεροσολυμῖται πάντες, καὶ ἐβαπτίζοντο* monuerunt Griesbachius, Lachmannus, Goeschenius, Tischendorfius aliique. Editio recepta habet: *Οἱ Ἱεροσολυμῖται· καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες*, quod defendit Fritzschius et in interpretatione retinuit Palmius. Utroque tamen bene ponderato, haud vereor, cum Wettio, calculum adjicere editoribus laudatis. Veterum testimonia pro editionis receptae correctione sunt gravia; nec longe quaerenda causa est, cur librarii vitiosum putaverint, quod suis in exemplis exstaret. Modum enim iis excedere videbatur narratio, omnes Hierosolymorum incolas urbe exiisse. Rursus vero summopere mirandi sunt homines, si pro *καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες* substituerint: *πάντες καὶ ἐβαπτίζοντο*. Fritzschius quidem

discipulos, *Matth.* l. l. vs. 7, publicani etiam et milites, *Luc.* l. l. vss. 12 et 14. Eo autem consilio ad JOHANNEM accedebant, ut baptismi ritum, quam administrabat, subirent; atqui non admittebantur, nisi qui se ad peccata confitenda paratos praestarent; unde jam satis apparet, omnibus animi emendationem necessariam fuisse. Quales fuerint illi homines, jam ex ipsa Euangelistarum narratione intelligi potest. Pharisaeos et Sadducaeos advenientes vates Divinus sic allocutus est: *Γεννήματα ἐχιδνῶν*, *Matth.* l. l. vs. 7; qua appellatione peccatores eminentiores indicari, docet oratio contexta locorum, qui eandem allocutionem exhibent. Cff. XII: 34 et XXIII: 33. Ne tamen quis putet, hîc ad Pharisaeos et Sadducaeos sermonem tantum fieri, consulat narrationem LUCAE, l. l. vs. 7, ubi JOHANNES populi multitudinem (*τοῖς ὄχλοις*) eodem modo allocutus est [1]). *Γεννήματα ἐχιδνῶν* hîc vocantur, quos sequens oratio Baptistae homines fuisse docet superbos, quod ab Abrahamo ortum ducerent, ideoque se Deo dilectos haberent, *Matth.* l. l. vs. 9; homines, quos maneret horribile Dei judicium, nisi ad frugem redirent, vs. 10, 12. Quid, quod vir sanctissimus necesse putavit, omnes, quotquot ad eum accedebant, excitare ad frugalitatem, *Luc.* l. l. vs. 11; publicanos vero etiam

---

contendit, adjectivum *πάντες*, ceteris postpositum, Emphasin facere. Sed nihil impedit, quominus haec Emphasis cum Hyperbole concurrat. Cf. WETTIUS. Deinde verba: *καὶ οἱ Ἱεροσολυμῖται πάντες* ita sumenda sunt, ut respondeant superioribus: *πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα*.

[1]) Non est, quod hîc repugnantia esse censeatur. Facile enim utraque narratio in concordiam redigetur, statuendo: JOHANNEM haec dixisse *omnibus*, exacerbatum Pharisaeorum Sadducaeorumque adspectu.

ad fidem, ne in posterum plura exigerent, quam sibi deberetur, vs. 13, et milites, vs. 14, ad justitiam, ne vi et armis pecuniam seu victum raperent, plus quam stipendia postulantes.

Ejusdem generis hominibus Jesus eandem animi mutationem proposuit *Matth.* IV: 17. *Marc.* I: 15; item nonnullarum urbium incolis, quibus exemplo esse dicuntur *Tyrus* et *Sidon*, quamquam ipsae vitiositati subjectae, quum animi vitaeque mutationis documenta edidissent, si virtutes (*δυνάμεις*) vidissent, quas Judaeis, Galilaeae incolis videre contingeret, *Matth.* XI: 20—24, coll. *Luc.* X: 13—15. Alibi (*Matth.* XII: 41 sqq. coll. *Luc.* XI: 32) laudantur Ninevitae, qui, audito Jonae nuntio, a pravitate se in melius converterant, vitiisque valedixerant, quorum mentio fit *Jon.* I: 2: III: 8 [1]). Sibi autem cavere debebant homines, tunc viventes, ne, in judicio Divino, a Ninevitis contumaciae accusarentur. Et quale erat illud hominum genus? Ipse Jesus eos vocat *γενεὰν πονηρὰν καὶ μοιχαλίδα* (vs. 39.). Sed actionem *τοῦ μετανοεῖν* Ille imponit universo populo, tumultuoso quippe et seditioso, *Luc.* XIII: 1 sqq. Sermo ibi est de Galilaeis, jussu Pilati, ad altare necatis. Rogat autem Jesus auditores, an putent, hanc calamitatem iis accidisse propterea, quod prae ceteris peccatores essent. Ipse quidem haud negat eos peccasse; negat tantum eos se

---

[1]) Verbis כי עלתה רעתם לפני: *Jon.* I: 2, coll. *Gen.* IV: 10. *Apoc.* XVIII: 5, imprimis vero *Gen.* XVIII: 20, ubi eadem similisve formula exstat, significari solet vitiorum multitudo et pondus. Verba autem: וישבו איש מדרכו הרעה ומן־החמס אשר בכפיהם, (*Jon.* III: 8) scelera indicant turpissima, cujusmodi sunt furta, latrocinia, caedes etc. Cff. *Jer.* XXV: 5; XXXII: 3, 7. *Jes.* LIX: 6. *Job* XVI: 17. *Ezech.* XXIII: 37.

majori poena dignos reddidisse ceteris Galilaeis ; et ubi ait : *Ἐὰν μὴ μετανοῆτε , πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε* , dehortatur Judaeos ab omni motu in Romanos rebelli, ne in poenam eandem similemve incidant. Jam vero vs. 4. Servator, memoratis octo vel decem hominibus , in quos turris , ad fontem Siloam , ceciderit , rogat : *An putatis , hos culpandos fuisse prae ceteris Hierosolymorum incolis ?* Tum ejusdem dicendi formulae usu , quae supra legitur, ante oculos quidem non habet certum aliquod facinus , sed generatim auditores avocat a vitiositate , qua sibi miserrimam contracturi sint perniciem. Pervenimus ad Parabolas *Luc.* XV reperiundas, et a Jesu propositas , ut semet ipse defenderet contra nonnullorum reprehensionem , quod frequens cum publicanis et peccatoribus commercium haberet. Hac data occasione , Servator homini peccanti animi emendatione opus esse ait , quippe a Deo plane alieno , et digno qui comparetur cum ove a grege et pastore aberrante , aut cum filio , qui , patre optimo deserto , procul ab eo , turpem sordidamque ducit vitam.

Jesum nunc excipiant Apostoli. Petrus , Act. II : 38 , Judaeis , qui Messiam repudiatum in crucem sustulerant (vs. 36) , et quos (vs. 40) admonet *σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης* , dicit : *Μετανοήσατε.* Similiter , III : 19 , postquam Judaeis atrocissimum exprobravit flagitium, salutis auctore repudiando et necando perpetratum , sic exhortari incipit : *Μετανοήσατε οὖν.* Et paulo post , V: 31 , coram Synedrio, Apostolus, haud veritus idem flagitium senatoribus objicere , reprehensioni suae subjungit admonitionem : *τοῦτον ὁ Θεὸς ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ὕψωσε τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ , δοῦναι* [1]) *μετάνοιαν τῷ Ἰσ-*

[1]) Verbum *δοῦναι* non ad Christum referri debet , sed ad Deum ,

ραὴλ, καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Quam exiguam vero vim in mentes eorum obcoecatas habuerit haec PETRI oratio, docent sequentia (vs. 33): διεπρίοντο καὶ ἐβουλεύοντο ἀνελεῖν αὐτούς, nec GAMALIELIS prudentia effecit, ut Apostolos antea mitterent quam eos flagellis caedi jussissent, vs. 40. Nihil magis igitur istis hominibus necessarium fuit quam τὸ μετανοεῖν. PAULUS quoque *Rom.* II: 4, ut supra jam vidimus, τὸ μετανοεῖν in Judaeis requirere monuit. Age vero, ex oratione contexta colligamus, cujusmodi homines illi fuerint. Nimirum Apostolus Gentium exterarum depravationem, inde a vs. 21 capitis I, descripserat, aliis vitiis post alia memoratis. Altero vero capite, ad Judaeos se convertit. Sensus eorum, quae scripsit vs. 1—4, huc redit: [1]) *Propterea, quod Deus Gentes illas exteras sibi tradidit, ut, vel apertis oculis, in omne scelus ruerent, excusabilis tu non es, o homo! quisquis es, qui, non ita traditus, bonum et malum dijudicas et malum bono praefers: quidquid in gentibus est, quod tu, o homo Judaee! tuo judicio subjicias, nihil in eo reperiri potest, cujus ipse tibi non contrahas culpam. Scimus autem, vos et ego, apud Deum non esse conniventiam, sed judicare Illum sine hominis discrimine. An vero tu, o Judaee! Gentes exteras, talia perpetrantes, tuo subjicis judicio, quoniam opinaris, illud Dei judicium non*

---

cujus commemoratio, τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, proxime praecedit, et in quem cadit, quod sequitur ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Hic igitur locus inter eos est, in quibus Deus auctor τῆς μετανοίας dicitur, uti *Act.* XI: 18. *Rom.* II: 4. 2 *Tim.* II: 25. 2 *Petr.* III: 9, qui omnes hanc providam Dei proponunt curam, ut ad animi vitaeque emendationem ducat.

[1]) Verbis fere usus sum Clar. VAN HENGEL, quem hunc locum interpretantem audivi.

ad te pertinere, quamquam eadem facias, sed te, quippe Abrahami nepotem, inde esse evasurum? An tanta tua est ignorantia, ut contemnas Divinae bonitatis, et clementiae, et tolerantiae opes, ignorans, illud, quod in Deo est benignum, te ita ducere, ut ad mentis emendationem pervenias? — Haec igitur esse videtur mens Apostoli. At simul jam evidens factum est, Judaeos, haud secus quam Gentes exteras, summae vitiositati deditos fuisse, eosque se aeque gravi poena Divina dignos fecisse; ita ut his, pariter atque illis, neccesaria esset exhortatio ad *τὴν μετάνοιαν.*

Si igitur Judaei aeque vitiosi habendi sunt ac Gentes, non est quod miremur, plus semel utrosque eadem in oratione comprehendi, ubi sermo sit de animo mutando vel jam mutato. Jesus *Luc.* XXIV : 47 discipulis annuntiare praecipit *τὴν μετάνοιαν* omnibus gentibus, nulla exceptа; sed ita, ut incipiatur ab Hierosolymis. Similiter Paulus tam Judaeos, quam Graecos obtestatur, ut diligenter incumbant in *τὴν εἰς τὸν Θεὸν μετάνοιαν*, quoniam utrique a vera Dei religione alieni erant. Cff. *Act.* XX : 21 et XXVI : 20. Neque ullus, in N. T. Judaeus excipitur. Quid, quod Johannes *Baptista*, jam antequam Christus in lucem hominum venerat, *βάπτισμα μετανοίας πάντι τῷ Ἰσραήλ* annuntiavit? Vide *Act.* XIII : 24. Jesus autem ejusque Apostoli nullos limites ponunt, ubi aequales vocant ad *τὸ μετανοεῖν*. Et vero verisimile est, *omnes* Judaeos tunc ita a Deo remotos fuisse, ut cunctos ad Deum redire oporteret; quod neutiquam fieri poterat, nisi mutatione subeunda. At vel sic tamen vereor, ne quis, cum Venerando van der Willigen, l. l. p. 59 sq. locos aliquot mihi objiciat, ad probandum, nonnullos saltem *δικαίους* excipiendos esse. In orationibus Jesu

Luc. V : 32 et XV : 7 vocabulum *δικαίους* explicari non posse : *qui justi sibi videntur*, *nec tamen sunt*, hodie inter omnes fere interpretes constat [1]). Quaestio igitur est, quamnam habeat notionem. Et temere quidem, si quid video, a notione vulgari hîc receditur. Homo enim *δίκαιος*, quum *ἁμαρτωλῷ* opponatur, alius esse nequit quam *probus*. Ergo altero in loco Jesu verborum sensus sit oportet : *non veni*, *ut vocarem homines probos*, *sed peccatores*, *ad animi mutationem*. Inprimis conferri meretur versus praecedens, ubi Ille hac imagine utitur, ex vita communi desumta : *non indigent homines sani medico*, *sed male se habentes*. Si enim hîc, ut nemo facile negaverit, *οἱ ὑγιαίνοντες* sunt, qui revera corporis integra valetudine gaudent, sequitur inde vocabulo *δικαίους* denotari *homines revera probos*. Nec tamen verba Jesu declarant, eum vixisse cum hominibus, qui nomen hoc illustre gerere mererentur. Totius enim orationis cardo in criminationis a Pharisaeis allatae refutatione versatur. Jam de eo accusatus, quod cum publicanis et peccatoribus consuetudinis familiaritatem habebat, eos sic refutat : Propterea ultro et libenter ad eos accedo, quod me auctore et monitore indigent. Probos vero non commemorat ad indicandos homines, qui se doctore et monitore facile carere possint ; sed hoc tantum consilio, ut antithesin afferat, qua Pharisaei acriter pungantur. Nec aliter res se habet in altero loco. Hîc identidem *δίκαιοι* sunt

---

[1]) Cf. Palmius ad *Matth.* l. l. et ad *Luc.* XV : 7 et J. Heringa, *Quaestiones de vitis Apostolorum et locis N. T. difficilioribus*, pag. 29, *Quaest.* VI. Ceterum Winerus, l. l. pag. 580, recte refutat sententiam eorum, qui hîc, et aliis in locis, vertendo reddunt : *non tam — quam.*

homines *vere probi;* atque illi *tales* [1]) esse dicuntur, *ut non indigeant animi mutatione* [2]). Nec tamen asseverat Jesus *esse* hujusmodi *δικαίους;* immo hoc tantum sumit, quo firmius auditoribus persuadeatur de pretio peccatoris emendationi statuendo. Imagine utitur, quae, si ultra tertium comparationis urgetur, ridicula et absurda sonat [3]), ut inter centum Jesu aequales unum fuisse improbum, nonaginta novem vere probos. Quid vero, si in N.T. inducuntur *δίκαιοι*, qui vere probi existimandi sunt, nempe: Zacharias et Elisabetha, *Luc.* I: 6, Josephus, *Matth.* I: 19, Simeon, *Luc.* II: 25, Josephus *Arimathaeus*, *Luc.* XXIII: 50? Audio; nec dissentio. Fuerunt illi sine dubio multis nominibus laudabiles; sed hoc non impedit, quominus propterea tantum *δίκαιοι* appellentur, quod legibus et praeceptis Mosaicis sedulo obtemperarunt et hanc pietatem conspicuam fecerunt, quae in ritibus sacris observandis cernitur. Hac vero pietate longe superiorem fuisse eam, cujus causa Judaei et Gentes ad Christi communionem vocarentur, nemo facile erit, qui negaverit. Aequales enim Jesu, priusquam eo pervenissent, magis minusve opinionibus serviebant praejudicatis, et terrestre Messiae regnum maxime spectantibus, quae ansam etiam praebebant superbiae, intolerantiae, ambitioni inani aliisque vitiis. Ab his, tamquam sordibus, ut purgarentur, necessaria iis erat *ἡ μετάνοια*,

---

[1]) De vi pronominis *ὅστις* cf. clar. van Hengel, *Comment. perp. in Epist.* Pauli *ad Phillipp.* pag. 7.

[2]) Cf. *Matth.* XVIII: 13. Quo in loco oratio Jesu hoc modo scripta exstat: *ἢ ἐπὶ τοῖς ἐννενηκονταεννέα, τοῖς μὴ πεπλανημένοις.* Cuivis autem in oculos incurrit, Matthaeum perseverasse in imagine, quam missam fecit Lucas, ut mentem Servatoris explicaret.

[3]) Cf. Ernesti, *Institutio interpretis N. T.* Ed. 4, p. 112.

quam, quod bene notandum est, cum familia sua subiisse etiam traditur Cornelius [1]), *Act.* XI: 18, quamquam X: 2 dicebatur *ἀνὴρ εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν.* [2])

Progrediamur ad *effata N. T. Gentes exteras spectantia.* Sed, locis, in quibus exstant, jam supra consideratis, otium nobis fecimus, hîc multum disputandi. In locorum illorum plerisque excitantur quidem homines ad *τὸ μετανοεῖν*, nec tamen causae *τῆς μετανοίας* memorantur [3]). *Act.* XVII: 30 generatim de Deo legimus *τανῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν.* Oratio tamen contexta docet, foedam superisitionem seu idololatriam inter ea esse, quibus Apostolus voluerit ut valedicereretur. Ne hoc quidem significatur *Act.* XI: 18, ubi Petrus ait: *καὶ τοῖς ἔθνεσιν ὁ Θεὸς τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν εἰς ζωήν.* Neque oratio Apostoli aliud quid exhibet, quod mutationem animi postulet; sed bene tamen notanda sunt vocabula *εἰς ζωήν*, verbo *ἔδωκεν* subjecta, quippe quae ostendunt *τὴν μετάνοιαν* ad *vitam vere ita dictam* requiri. Atque hoc unum jam sufficit, ad probandum, hanc animi mutationem gentibus exteris necessariam fuisse. Deinde vero, haec necessitas ex omnibus sequitur locis, in quibus Gentes ad *τὸ μετανοεῖν* excitantur, ut Christianam, i. e. novam vivendi rationem ineant. Accedit quod, si Judaei, secundum Jesu Apostolorumque doctrinam, salutem consequi non poterant, nisi mutarent animum, multo

---

1) Cornelium Proselytum fuisse *portae*, ut ajebant, non vero *justitiae*, cum plerisque verisimile puto.

2) Ipse Lucas verbis: *ποιῶν τε ἐλεημοσύνας πολλὰς τῷ λαῷ καὶ δεόμενος τοῦ Θεοῦ διαπαντός*, causam explicuit, cur Cornelius dici mereretur *ἀνὴρ εὐσεβής, κ. τ. λ.*

3) Cff. *Luc.* XXIV: 47. *Act.* XX: 21.

magis ab hac salute remoti manserunt gentes exterae, quarum in societate, historia testatur, vitia et flagitia turpissima regnasse [1]).

Uberiorem disputandi materiem praebent *effata*, *quae ad homines Christianos referenda sunt.* Jam statim appareret, τὸ μετανοεῖν in societate Christiana necessarium fuisse, ubi quis nomine Christiano indignum se praestaret. Hujus generis fuit Simon *Magus*, cujus mentio fit *Act.* VIII. Describitur ibi (vs. 9 sqq.) praestigiator superbus et versutus, cui omnes homines cujuscunque ordinis et loci superstitiose adhaeserunt. Hic ipse, postquam Philippus in Samariam advenit, Christo nomen dat et baptismo initiatur. Nec tamen sincera fide Christum amplectitur: mox enim a Petro et Johanne, pecunia iis oblata, emere cupit facultatem cum aliis Spiritus Sancti dona communicandi, sperans fore, ut multum lucri inde capiat. Hinc intelligimus, Simonem, quum ad Christum profitendum transgressus esset, ne quidem vitiis suis renuntiasse. Jure igitur meritoque Petrus eum ad animi mutationem vocavit, dicendo: *Μετανόησον οὖν ἀπὸ τῆς κακίας σου ταύτης.* Qualis autem ille fuerit, colligi etiam potest, tum ex iis, quae proxime sequuntur: *Δεήθητι τοῦ Θεοῦ, εἰ ἄρα* [2]) *ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου*, tum

---

[1]) Vid. *Rom.* I: 21 sqq. et cf. Tholückium, in *Denkwürdigkeiten aus der Gesch. des Christenthums* etc. *herausgeg.* von A. Neander. Fasc. I. pag. 97 sqq.

[2]) Quam grave Petrus habuerit flagitium a Simone commissum, apparet ex formula *εἰ ἄρα ἀφεθήσεται*, quae dubitantis est dicendi ratio. Legatur imprimis *Marci* XI: 13, *ἦλθεν εἰ ἄρα εὑρήσει* i. e. *ibat, si forte inveniret, quod ipsi tamen non verisimile videbatur.* Cf. Winerus, l. l. p. 347.

vero ex remotioribus: *Εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα.*

Alium nunc inspiciamus locum, 2 *Cor.* VII: 9, 10. [1]) Gaudium suum testatur Paulus, quod Corinthii ita se dolori dederunt, ut ad meliorem mentem redirent. Cujusmodi homines autem Apostolus significaverit, paulo enucleatius commonstrandum est. Versu igitur 8 fatetur, se Corinthios epistola praecedenti [2]) contristasse. Hanc igitur evolvamus epistolam, ut intelligamus, quibusnam maculis Corinthii eluendis dolorem illum ostenderint, quo ad *τὴν μετάνοιαν κατὰ Θεόν* i. e. *ad mentis mutationem secundum voluntatem Dei*, ducerentur. Et ecce! Cap. V et VI varia reperiuntur huc pertinentia. Cap. V enim Apostolus impudicitiam reprehendit summe nefandam, quae inter eos irrepserat et impune ferebatur, eosque exhortatur, ne, in posterum, ullum haberent commercium cum homine, qui sine pudore facinus committeret, quale ne inter Gentes quidem committeretur. Cap. VI objurgat lectores suos, quod lites et discordias, inter eos exortas, deferebant ad judicem, qui non erat homo Christianus (vs. 1—6). Sed illae jam ipsae lites et discordiae prorsus indignae erant hominibus, a Christo convocatis, ut caritatem fraternam erga se invicem explicarent (7—11). Tum in audaciam invehitur nonnullorum, qui licentiam cum meretricibus rem habendi sibi sumerent. Quid autem Corinthii? Monitis Apostoli obtemperaverant, cum

---

1) Cf. de hoc loco Borgerus, *Leerredenen*, *Fasc.* II. Ed. 5. pag. 72 sqq.

2) Verba *Ἐν τῇ ἐπιστολῇ* spectant sine dubio Epistolam priorem ad Corinthios, quae ad nostra tempora pervenit; quemadmodum iisdem 1 Cor. V: 9, Epistola spectatur, antea ab Apostolo scripta, nunc deperdita.

hominem illum incestum ex societate sua coercentes et expellentes, tum ipsi suam sentiendi et agendi rationem emendantes. Jam hoc utrumque Paulus lectoribus suis gratulatur, dolorem, qui eos pupugerat, dolorem fuisse declarans εἰς μετάνοιαν, seu ad animi mutationem, cujus necessitas in eo cernebatur, quod μετάνοια erat εἰς σωτηρίαν, atque ita vere salutaris. Aliter Apostolus c. XII alterius Ep. ad Cor. vs. 21 necessitatem τῆς μετανοίας exponit. Supererant nimirum inter Corinthios, quos frustra admonuerat, ut ad meliorem mentem redirent. Metuebat saltem Paulus, ne, si in urbem venisset, dolorem inferre multis cogeretur, qui missa nondum fecissent vitia, jam antea contracta. Nominatim hîc recenset: ἀκαθαρσίαν, πορνείαν et ἀσελγείαν, ut varia genera impudicitiae comprehendat [1]). Eadem vocabula, mutato tamen ordine, exstant *Gal.* V: 19 [2]). In Ep. ad *Eph.* IV: 19 legimus τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν τῆς ἀκαθαρσίας. In vitiorum serie (*Marc.* VII: 21 sq.), nonnullis interpositis, junguntur πορνείαι et ἀσέλγεια. Arcte vero *Col.* III: 5 copulantur πορνεία et ἀκαθαρσία. *Rom.* XIII: 13 denique homines Christiani monentur, ne se dedant κοίταις καὶ ἀσελγείαις. Quid haec vocabula significent et quomodo distinguenda sint, quaestio paulo difficilior est. Sed, ni fallor, ἀκαθαρσία ubique denotat: *impudicitiam qualemcumque, etiam quae fit contra naturam; πορνεία: omnem consuetudinem obscoenam mares inter et feminos* [3]); ἀσέλγεια *omnis generis lasciviam*

---

[1]) Versu autem praec. enumeraverat vitia, quae ex litibus et controversiis, inter eos agitatis, ortum duxerant.

[2]) Praecedit ibi in ed. rec. N. T. nomen μοιχεία, quod dubiae fidei et ex oratione expulsum est a Griesbachio.

[3]) Et hactenus recte Schleusnerus et Bretschneiderus scripse-

et petulantiam [1]). Quae cum ita sint, intelligimus, quanti ponderis et momenti ad vitam vere Christianam fuerit ἡ μετάνοια, quae Corinthios adigere deberet ad vitia turpissima fugienda [2]).

Progrediamur nunc ad ea, quae scripsit Paulus 2 Tim. II: 25, ubi ministrum Domini esse debere ait: ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους· μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας. Incipio a verbis μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς με-

---

runt in Lexicis, de *adulterio* usurpari hoc vocabulum. Πορνεία vero et μοιχεία in N. T. probe inter se distinguuntur, e. c. *Matth.* XV: 19. *Marc.* VII: 21; quae vocabula, quum saepius conjungantur, ansam dederunt librariis, ut adderent μοιχεία, *Gal.* V: 19. Ne quis mihi objiciat, quaeso, in oratione Jesu, *Matth.* V: 32, *adulterium* significari. Verba enim παρεκτὸς λόγου πορνείας vertendo reddi debent: *excepta causa scortationis.* Oratio contexta tantum indicat de *adulterio* hîc sermonem esse.

[1]) Quae de origine vocabuli ἀσέλγεια circumferuntur sententiae, valde inter se discrepantes, legi possunt apud Glassium, *Phil. Sacra* I p. 509.

[2]) Cff. Init. ad locos laudatos, inprimis Rückertus, ad Gal. V: 19. et Harlessus, *Commentar über den Brief Pauli an die Ephesier* ad c. IV: 19. De part ἐπί (2 Cor. XII: 21) Interpretes, etiam recentissimi, inter se discrepant. Meyerus eam remotiori πενθήσω adjunxit; Wettius, illum refutans, sententiam maxime vulgarem sequitur, quae vertendo reddi jubet *de* vel similiter. Winerus l. l. ed. 4ª p. 375 ait breviloquentiam hîc cerni, ita supplendam: *poenitentia impudicitiae agi et se emendare*, quod tamen delevit in ed. 5. Rückertus, provocans ad 1 Cor. I: 4. praepositionem habet causalem. Nec tamen est, quod miremur verbum μετανοεῖν post se habere praepositionem ἐπί. Ut desint exempla in N. T. plura ejusmodi exstant in scriptis Hellenistarum. Praeter *Joel* II: 13 et *Amos.* VII: 3: quae attulit Wettius, legantur *Sap. Sal.* XII: 19 et *Test. XII Patr.* l. l. p. 607. Latine autem explicandum videtur: *dum sint in impudicitia.*

τάνοιαν, ab omnibus, quos vidi Interpretibus, minus recte, ni fallor, expositis, quoniam ad veram orationis structuram non satis attenderunt animum. Grotius, provocans ad *Luc.* III: 15 et *Joh.* VII: 26, ea vertendo reddidit: *experiendo an Deus det illis poenitentiam.* Similiter fere Schleusnerus, (in voce μήποτε) et Palmius. Atque eodem quoque redeunt, quae ad h. l. monuerunt Matthiesius, *Erklärung der Pastoralbriefe*, et nuperrime Wettius. l. l. Tom. II. p. V, sermone sibi vernaculo, scribentes: *ob nicht vielleicht.* Nec acu rem tetigit Bretschneiderus, explicans: *es könnte, möchte vielleicht.* Omnes igitur hi et alii, quos, brevitatis causa, praetereo, verba μήποτε κ. τ. λ. sumunt, quasi Paulus iis indicare voluerit *optabilem effectum lenitatis, a doctore Christiano erga contradicentes praestandae.* Sed particula μήποτε ubique, quantum novi, notionem habet *negantem*; tum vero in locis, ubi, ne plus dicam, juncta est *Conjunctivo*, *desperantem* significat [1]). Vertendo enim reddenda est: *ne fortasse*, si Conjunctivus eam sequitur, ut in hoc et ple-

[1]) Ratio hîc habenda non est locorum, in quibus verbum in alio modo quam Conjunctivo particulam μήποτε sequitur. Cujus generis est Hebr. IX: 17, ubi Bretschneiderus (in Lex) et Winerus l. l. p. 571 Graeca ἐπεὶ μήποτε ἰσχύει interpretantur *quoniam* nunquam *valet.* Cf. etiam Wettius. Item *Joh.* VII: 26, ubi Judaei hanc movent quaestionem: *Μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Χριστός;* quae verba in sermonem Latinum ita converti nequeunt, ut plane respondeant Graecis. Proxime ad sensum eorum haec accedere videntur: *An fortasse non noverint revera proceres hunc esse Christum?* in sermone vernaculo sic explicanda: *Onze Oversten weten immers waarlijk wel niet, dat deze de Christus is?* Similiter *Luc.* III: 15, si pro Graecis μήποτε αὐτὸς εἴη ὁ Χριστός, Latine scribimus *an forte ipse non sit Christus?* in sermone vernaculo scri-

risque locis. Inprimis animadvertatur, hanc particulam non cum remotiori παιδεύοντα, sed cum proxime antecedente ἀντιδιατιθεμένους nectendam, et hunc orationi sensum tribuendum esse: *ne forte det sibi Deus*, etc. colo editionis receptae in comma mutato. Participium enim ἀντιδιατιθεμένους qui aliter sumunt, ejus vim, me quidem judice, non assequuntur. Nam si διατίθημι est: *dispono*, *ordino* [1]), sequitur ἀντιδιατίθημι significare *ex adverso dispono*, in forma media *ex adverso dispono me* i. e. *me oppono*. Apostolus imagine usus est a mililitibus petita, qui, ad hosti resistendum, agmen faciunt. Rem quod attinet, nec notavit homines *infideles*, qui dicuntur, ut putavit Heinrichsius [2]), provocans ad 1 *Tim.* V: 14, nec *contradicentes*, ut habet Palmius, nec vero *doctores falsos*, quod plerisque placet, etiam Matthiesio et Wettio. Proposuit sibi homines, qui, sive

---

bendum erit: *Die zal immers wel de Christus niet zijn?* Sed his quoque in locis particula μήποτε *negandi* significationem habet, quemadmodum etiam ubicunque juncta est cum *Infinitivo Futuri*, uti *Marc.* XIV: 2 *Hebr.* III: 12. Et in hoc utroque quidem loco interpretationi *ne fortasse* haud levius mihi datur praesidium, quam in iis, in quibus *Conjunctivus* legitur, uti *Matth.* XXV: 9. *Luc.* XIV: 8. — Ceteris praetermissis excito tantum eos, de quibus quis dubitare possit, fraude sibi facta a Schleusnero aliisque. Sed veram notionem particulae satis vindicatum iri puto sensus verborum breviter exponendo. Ergo *Matth.* XXV: 9 virgines dicentes inducit Jesus, *ne forte desit simul nobis et vobis* cf. Winerus l. l. p. 590, et Ipse, *Luc.* XIV: 8, admonet homines ad convivium secum vocatos: *nolito ita accumbere, ut primum locum occupes, ne forte quis te honoratior vocatus sit.*

[1]) Cf. Bretschneider, *in voce.*

[2]) *Nov. Test. Graec. perpetua ann. illustr. Ed.* Kopp. *vol. VII.*

verbis, sive factis se opponebant TIMOTHEO, ne, per doctrinam ejus, a Deo donarentur animi mutatione ad verum agnoscendum [1]). Quae sequuntur vs. 26 *καὶ ἀνανήψωσιν*, aeque ac praecedentia *δῷ αὐτοῖς*, pendent a verbis *ἀντιδιατιθεμένους μήποτε*. Sic vero molestiam creat formula *εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα*. Sed bene vidit GROTIUS ea voluntatem *Dei* spectari, quod, quum WETTIUS, pleorumque vestigia sequens, improbet, difficultatibus se implicat, unde se expedire non omnino possit. Pronomen enim *ἐκείνου*, si ad vocabulum *διαβόλου* refertur, confunditur cum praecedenti *αὐτοῦ*, a quo religiose distinguendum est [2]). Sed haec, nisi fallor, viro docto aliisque errandi fuit causa, quod cum BEZA et GROTIO formulam *εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα* subjungere nollent verbo *ἀνανήψωσι*. Hoc autem ubi fit, bonus inde et probandus oriri videtur sensus: *et (se opponentes, ne forte) ut ebrii, qui crapulam excutiunt, se recipiant e laqueo diaboli, ab eo capti, ad illius* (Dei) *voluntatem perficiendam*. Sermo igitur est de hominibus, qui ad mentis mutationem pervinire *nolunt*, plane fere, ut de natione Judaea, ex vaticinatione V. T. scriptum legitur *Matth.* XIII: 15 *Act.* XXVIII: 27; quibus in locis particula *μήποτε* etiam ita

---

[1]) Male agunt, qui verba *εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας* explicant: *ad agnoscendam doctrinam Christianam*. Nam, quamquam Apostolo, quum haec scriberet, doctrina illa ante oculos obversabatur, suis tamen verbis nihil aliud significavit, quam generatim *omne verum*, *quod agnoscendum esset*, sed ita, ut, Sacrorum Scriptorum more *verum* haberet, quod simul *bonum et sectandum* esset, cf. 2 Tim. III: 6, 7. Ceterum legantur, quae de vocabulo *ἐπίγνωσις* nuper disputavit VAN HENGEL in VAN WILLIS, *Bijdragen* Tom. II fasc. I pag. 133.

[2]) Cf. 1 *Joh.* III: 2, 3.

usurpata est, ut, quod eam sequitur, pendeat ab hominum pertinacia, quae ipsa pertinacia *τὴν μετάνοιαν* postulabat. Nimirum homines, verum, quale est, agnoscere recusantes, tam longe a pietate et virtute remoti erant, ut, tyrannidi diaboli prorsus subjecti, voluntatem divinam aspernarentur.

Hebr. VI: 1 legimus *μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων.* Inter ea, quae pertinent ad *τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον* recensetur quoque *θεμέλιον μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων.* Auctor lectores reprehenderat (Cf. V: 12 sq) quod, quum, ratione habita temporis spatii, quo instituti erant, jam ipsi doctores esse deberent, adhuc indigebant rudimentis. Nunc autem eos exhortatur, ut, missis factis his rudimentis, altiora petant. Apparet igitur ex hoc loco, *μετάνοιαν* ad initia institutionis Christianae pertinuisse. Et haec quidem appellatur *μετάνοια ἀπὸ νεκρῶν ἔργων.* Quaestio igitur est, qualia *ἔργα* hic indicentur. Ad quam responderi nequit, nisi usu ejusdem formulae in Libris N. T. comparando. Adjectivo *νεκρόν* figurate dicitur omne, quod prorsus vanum est et inane. Cff. *Jac.* II: 17, 20, 26. *Νεκρὰ ἔργα* generatim igitur sunt *opera quaevis, quae vana et inania* esse videntur. Sed integra formula non nisi in loco, in cujus interpretatione versamur, et cap. IX: 14 exstat. Operae pretium ergo est hunc locum inspicere. Ibi auctor sanguini Christi tribuit vim purgandi *τὴν συνείδησιν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων εἰς τὸ λατρεύειν τῷ Θεῷ ζῶντι.* Jam vehementur inter se disputant interpretes, quomodo hoc sumendem sit. Speciosam maxime causam agunt, qui formulam *νεκρὰ ἔργα* ita cum Bleekio et Wettio explicant, ut ad legis Mosaicae observationem referatur. Sed, re accuratius perpensa,

huic interpretationi tria obstare videntur. *Primum* cernitur in vi antitheseos, qua alteri lustrationi, vs. 13, altera, vs. 14, opponitur; *secundum* in copulatione vocabuli συνείδησιν cum verbis ἀπὸ νεκρῶν ἔργων; *tertium* in substratis εἰς τὸ λατρεύειν τῷ Θεῷ ζωντι, quae, utpote scripta Judaeo-Christianis, verum Deum profitentibus, fructus non ostendunt, ex purgatione ἀπὸ νεκρῶν ἔργων exspectandos, nisi explicentur: *ad Deum verum, mente pura et a vitiositatis imperio liberata, colendum.* Cf. *Phil.* III: 3. 2 *Tim.* I: 3. Nihil aliud restat, quam ut interpretemur *malefacta* vel *peccata detestanda*, quod probarunt etiam Abresch, *Paraph. et Annotation. in Ep. ad Hebr. Spec. tert.* pag. 356. et doct. van der Boon Mesch, *in spec. Herm. Inaug. in locum ad Hebr IX:* 14 pag. 9 sq. qui recte quoque monent, totam orationem contextam huic interpretationi favere. Revertimur ad *Hebr.* VI: 1. Ibi quoque omnis suadet oratio contexta, ut *malefacta* et *peccata* intelligamus; praesertim formula, quae legitur vs. 6, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν. Quam necessaria autem Judaeo-Christianis, ad quos haec epistola missa est, animi fuerit mutatio, luculenter inde jam apparet, quod μετάνοια appellatur ἀπὸ νεκρῶν ἔργων i. e. *a vitiis et peccatis.*

Supersunt aliquot Apocalypseos loci, supra, disp. pag. 13, memorati, quorum oratio contexta satis luculenter docet, homines Christianos, ibi ad τὸ μετανοεῖν vocatos, nisi jam prorsus virtutis tramitem deseruissent, in ea unice sectanda saltem fuisse tardiores. Auctor cap. II, 2, 3 laudabilia multa de Ephesiis habet praedicanda, reprehendit tamen eos, quod caritatis, quam olim egregie manifestare solebant, immemores facti sunt. Grotius *primam curam circa pauperes* significari ait, sed, orationis

contextae causa, sequendi videntur Züllıgus, [1]) aliique Interpretes, qui caritatem erga Christum intelligunt. Egregie Palmius: «quam ferventes, sancti et prorsus singulares esse soleant primi amores, omnibus notum est; sic quoque est, ratione habita caritatis erga Christum, quae est fervida, Christi studiosa, efficax praeclaris facinoribus, totumque animum implens. Haec autem caritas inter Ephesios languescebat, ex quo languore omnia metuenda erant.» *Itaque memor esto*, inquit Epistolae auctor, *unde excideris, ad meliorem mentem redi, et pristina fac opera.* Caritatis autem illius defectum non parvi ponderis habendum esse, docent minae, statim sequentes.

Ad Ecclesiam Pergamenam eadem mittitur exhortatio, similibus minis corroborata vs. 16. Nec tamen illud *μετανοεῖν* generatim praecipitur. Proxime antecedentia nempe (vss. 14 et 15) docent, quaenam fuerint fugienda. Ferebantur scilicet in hominum Christianorum societate nonnulli, qui Balaamo et Nicolaitis adhaerebant. Hi autem, quales fuerint, inter se disputant viri docti [2]); sed hoc satis.

---

[1]) *Die Offenbarung Johannis vollständig erklärt.*

[2]) Veteribus si fides habenda est, Nicolaus idem fuit, qui *Act.* VI: 5 memoratur, et sectae cujusdam auctor. Cff. Hase, *Kirchen-Geschichte* ed. 3. pag. 51. Winerus *Bibl. Realwörterbuch* ed. 2. in voce *Nikolaus.* Recentiori vero tempore Viri docti *sectam* Nicolaitarum inter commenta opinionum posuerunt, cf. Züllig l. l. Tuto statui posse videtur fuisse homines, qui ita religionis Christianae libertate abuterentur, ut e quibusdam Sacrarum Literarum effatis c. c. *Joh.* VI: 63, placitum elicerent turpissimum, non abhorrendum esse a consuetudine hominum, qui Gentium superstitionibus animo et vita addicti erant, et facile excusari posse veneres illicitas. Hujusmodi fuisse, qui h. l. Nicolaitarum nomine inducantur, oratio contexta egregie confirmat. Jam vero quaestio agitur, utrum, qui Bilcami sectatores

constat, eos fuisse homines, qui alios a pietate et virtute avertere studerent, quod etiam intelligitur ex comparatione 2 *Petr.* II: 15; *Jud.* 11. Quod in Ecclesia Pergamena reprehendendum erat, occurrebat quoque, quamvis alia forma, in Ecclesia, quae Thyatiris erat. Degebat ibi mulier, quae, vatem se simulans, lasciviae semina spargebat, docendo impudicitiam committere, et sine scrupulo edere, quae idolis oblata erant. Huic igitur mulieri mandatur τὸ μετανοεῖν, tum omnibus, quotquot, ei auscultantes, moechati erant et moechari pergebant. [1]) Postremum hîc in censum veniunt III: 3 et sq. In illo loco pars Sardinensium ad τὸ μετανοεῖν vocatur, quoniam mortui erant, quamquam fama dicebat eos vivere, vs. 1; in hoc autem Laodicenses, qui nec frigidi erant, nec calidi, sed tepidi, vs. 26. Cf. Palmius, qui, paucis verbis, horum hominum imaginem depinxit.

---

dicuntur, iidem fuerint ac Nicolaitae, nec ne. Ajunt plerique, nec dissentire ausim. Quid vero, si quis calculum adjiciendum putat Winero l. l. monenti: «Fieri potest, ut nomen Nicolaitarum »usu valuerit ad homines hujusmodi sententiarum ignominiae »nota insigniendos; nisi fortasse princeps eorum Nicolai nomen »gesserit, atque hoc ipsum Apocalypseos auctori occasionem de»derit Bileami significandi»? Unum tamen est, quod huic conjecturae fortasse opponi possit: in locis nimirum, quos supra ex Petri et Judae epistolis attuli, memorari etiam Bileamum, et ita quidem, ut ibi quoque cum eo comparentur homines avaritiae aliisque vitiis dediti. Si vero illis hominibus nihil commune fuit cum Nicolaitis, qui in Apoc. excitantur, nonne inde apparere potest, Bileamitas et Nicolaitas a se invicem diversos, sed hîc propter placitorum convenientiam conjunctos fuisse?

[1]) *Figurate* sumenda esse, quae hîc de muliere Jesabel dicuntur, cum Eichhornio, *Commentarius in Apoc. Joannis*, censet etiam Züllighus, l. l. coetum Judaeorum Thyatirensem intelligi jubens.

Rationem concludamus. Vidimus in N. T. non Judaeos tantum et Gentes exteras omnes ad τὸ μετανοεῖν vocari; sed Christianis quoque hominibus, quotquot a virtutis via deflexissent, impositum esse illud μετανοεῖν, quo peracto, sequeretur, eos vitam sordidam et flagitiosam missam facturos, virtutemque unice sectaturos.

§ 3.

Nemo hominum, supra memoratorum, Christi *communione frui potest, nisi qui peccato strenue se opponat.*

Neminem hominum, supra memoratorum, Christi *communione frui potuisse, nisi qui peccato strenue se opponeret,* statim jam probatur locis, in quibus Johannes (*Matth.* III: 2) et Jesus (*Matth.* IV: 17; *Marc.* I: 15) ita vocant ad τὸ μετανοεῖν, ut simul oculos auditorum convertant in Regnum Divinum, jamjam in terris condendum; quin etiam utrumque jungunt, ut ex hoc argumentum petant, quo magis auditores ad illud perducantur. Nec mirum. Regnum enim Divinum [1]) esse consociationem hominum mere *spiritualem*

---

[1]) Dicitur illud Regnum: ἡ βασίλεια τοῦ Θεοῦ, *Marc.* I: 4; τῶν οὐρανῶν *Matth.* III: 2; τοῦ Χριστοῦ, *Joh.* XVIII: 36; *Eph.* V: 5; aut tantum ἡ βασίλεια, *Matth.* IV: 12.; quae appellationes variae idem quidem Regnum spectant, sed hactenus tamen inter se differunt, ut quaevis earum singulare quid, ad illud Regnum pertinens, ante oculos ponat. Sic Regnum τοῦ Θεοῦ dicitur, quoniam a Deo ortum est, ad Deum ducit, cum Deo conjungit; τῶν οὐρανῶν, quoniam cives ad rerum coelestium studium impellit; τοῦ Χριστοῦ, quoniam Christum habet Conditorem et Regem; simpliciter autem appellatur ἡ βασίλεια, quoniam tale Regnum est, ut nullum aliud cum eo comparari possit. Cf. van Heemskerk l. l. p. 4. sqq.

et *moralem*, eo tendentem, ut animi vitaeque probitate vere beati reddantur, agnoscunt omnes, qui locos Literarum Sacrarum huc spectantes, absque praejudicata opinione, perlustrarunt. Conff. praeter alios locos *Rom.* XIV: 17; 1 *Cor.* IV: 20. [1]) Hujus igitur Regni civem esse posse neminem, nisi qui legi illi primariae, *μετανοεῖτε*, satisfaciat, et res ipsa loquitur, et multis Literarum Sacrarum locis confirmatur. Locos autem significo, in quibus *τὸ εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν* non conceditur, nisi illi, qui sit integer vitae scelerisque purus; et inde arcentur omnes, qui perseverant in iis, quae homini Christique adeo sectatori dedecori sunt. Cff. praecipue *Matth.* V: 3. 10. 20; VII: 21; XIX: 14. 23. 24; *Joh.* III: 3. 5; 1 *Cor* VI: 9. 10; *Gal.* V: 21; *Eph.* V: 5. Quisquis igitur ab animi vitaeque probitate, his in locis proposita, adhuc remotus est, subire debet *τὸ μετανοεῖν*, ne introitum in Regnum divinum sibi occludat. Nec tamen in illo *μετανοεῖν* acquiescat, oportet. Non est nisi studii sanctitatis initium, a quo omnis emendatio hominis incipiat necesse est. Quae cum ita sint, dubio caret, quin *τὴν μετάνοιαν* subire debuerint, quotquot ex Judaeorum Gentiumve exterarum societate ad veram Christi communionem pervenire cuperent. Nam nemo eorum, priusquam Christo nomen fidemque dederat, ita pietatis et virtutis studiosus fuit, nec esse potuit, ut, suo jure, Regni divini civibus adscriberetur; qua conditione haud secus obstrictos vidimus homines, ore quidem Christum profitentes, nec tamen flagitia sceleraque missa facientes.

---

[1]) Cff. Clar. N. C. Kist, *De Christelijke kerk op aarde.* ed. 2. pag. 18. van Heemskerk l. l. pag. 100 sqq.

SECTIO IV.

Vis salutaris *TOY METANOEIN.*

Miseri in N. T. declarantur omnes, qui, ad *τὸ μετανοεῖν* vocati, animum mutare recusant. Vide e. c. *Matth.* III: 10. sq. *Luc.* XIII: 3. 5; *Apoc.* II: 5. 16. 22. 23. Contra vero ibidem praedicatur saepe *vis salutaris*, quam habet *ἡ μετάνοια* in illos omnes, apud quos vera et sincera est. Hanc autem animi mutationem illis, qui extra communionem Christi viverent, tamquam viam fuisse eo transgrediendi, infra probare conabor, si de verbo *ἐπιστρέφειν* exposuero. Hîc sufficiet in memoriam revocare orationem epistolae ad *Hebr.* VI: 1, ubi *μετάνοια ἀπὸ νεκρῶν ἔργων* ceteris praeponitur doctrinae Christianae capitibus, ipsique adeo *πίστει ἐπὶ Θεόν*, quae ab eodem auctore, XI: 6, talis esse dicitur, ut sine ea nemo Deo placere possit. Nec morari opus est in explicanda vi salutari, quam habeat *ἡ μετάνοια* ad studium pietatis et virtutis animis inculcandum, quum nullam nobis cogitando fingere possimus *μετάνοιαν*, nisi fructus sanctitatis ferenten. Cff. *Matth.* III: 8; *Luc.* III: 8; *Act.* XXVI: 20. Sed qualem quantamque beatitatem illa afferat, paulo enucleatius ostendendum est. Ergo primum ducit ad *veniam peccatorum*, ut docent loci *Marc.* I: 4. *Luc.* III: 3. Exstant ibi verba *κηρύσσων βάπτισμα μετάνοιας* [1]) *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.*

---

[1]) *Βάπτισμα μετανοίας* non male accipitur pro *βάπτισμα εἰς μετάνοιαν*, sicut *ἀνάστασις ζωῆς* reapse non differt ab *ἀνάστασις εἰς ζωήν Joh.* V: 29. Cff. Wettius et Winerus l. l. p. 215. Verba autem, quae sequuntur, *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν* non pertinent ad unum illud *μετανοίας*, plane ut ea, *Act.* II: 38, non sunt referenda ad proxime antecedens *βαπτισθήτω*, sed ad utrum-

Ex his igitur locis intelligitur, peccatorum remissionem fructum fuisse ejusmodi sincerae animi mutationis, cujus signum esset baptismus, et quam comitaretur *τὸ ἐπιστρέφειν*, itidem, ut infra videbimus, cum actione *τοῦ πιστεύειν* arcte cohaerens. Eandem necessitudinem inter *τὸ μετανοεῖν* et *τὴν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν* in mente quoque fuisse ipsius Jesu, colligimus ex mandato, quod discipulis suis dedit, *Luc.* XXIV: 44 sqq. in quo etiam haec legimus: *καὶ κηρυχθῆναι — μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.* Quae arcta utriusque necessitudo causam quoque exhibet, cur Petrus, *Act.* V: 31, ea conjunxerit, de Deo dicens: *δοῦναι μετάνοιαν τῷ Ἰσραὴλ καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.* Absque animi autem emendatione nulla in N. T. spes veniae peccatorum facta est. Quare Petrus (*Act.* VIII: 22) Simoni praecepit: *μετανόησον;* tum addidit: *καὶ δεήθητι τοῦ Θεοῦ, εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι κ. τ. λ.* Ipsum igitur illud *μετανοεῖν* ita proponitur, ut omnium primum sit, quod ducat ad veniam peccatorum.[1]) Nec tantum *ἡ μετάνοια* ad veniam ducit peccatorum, sed hoc etiam efficit, ut homo arctissime cum Deo conjungatur. Perspicue hoc docetur *Act.* XX: 21, ubi legitur: *τὴν εἰς τὸν Θεὸν μετάνοιαν.* Peccando nempe a Dei communione remoti erant tam Judaei, quam Gentes exterae. Ad Eum si reverti cuperent, a peccatorum sordibus purgari iis necesse erat; missis vero peccatis, ecce, jam stabant in via, qua ad Deum reduces fieri possent. Denique per *μετάνοιαν* viam munitam videmus vitae vere beatae consequendae. Huc pertinent *Act.* XI: 18; 2 *Cor.* VII: 10. Illo enim in loco homines Christiani eximie laetati inducuntur, Deoque gratias

---

que *μετανοήσατε καὶ βαπτισθήτω*, et III: 19 verba *εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας* jungenda sunt cum utroque praecedente *μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε.*

[1]) Cf. Clar. van Oordt, *Waarheid in Liefde.* 1837. p. II. p. 262 sqq.

agentes, quod, pro sua benignitate, etiam gentibus animi mutationem dederat *εἰς ζωήν;* in hoc autem a Paulo scriptum legitur: *ἡ γὰρ κατὰ Θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον* [1]) *κατεργάζεται.* Nemo autem jure dubitare potest, quin particula *εἰς* his in locis *effectum* denotet, quem habeat *ἡ μετάνοια.* Rem quod attinet, vocabula *ζωή* et *σωτηρία,* quamquam diversae notionis, hîc non multum inter se differunt; nec a vero longe discessit Wettius, ubi *εἰς ζωήν* interpretatur: *εἰς σωτηρίαν.* Illud significat: *veram illam jucundissimamque vitam, finibus nullis circumscriptam, ideoque aeternam, quae vere vitalis dici meretur;* hoc proprie quidem denotat: *liberationem e conditione quavis calamitosa,* sed in N. T. scriptis sigillatim usurpatur *de omni beatitate, quae hominibus vere Christianis, secundum promissa Divina, contingit; de salute illa vera et perenni, quae debetur* Christo. [2]) — Atque sic evidenter elucet, vim *τοῦ μετανοεῖν* quam maxime salutarem esse.

---

[1]) Non inter se consentiunt Interpretes, utrum adjectivum *ἀμεταμέλητον* pertineat ad *μετάνοιαν,* an ad *σωτηρίαν.* Illud a plerisque sumitur, hoc paucioribus, etiam Wettio placet. Hi provocant ad ordinem verborum, illi ad Paronomasiam Paulo usitatam. Sed oratio contexta suadere videtur, ut adjectivum potius cum nomine remoto, quam cum proximo, jungamus. Quaestio enim non esse poterat, an beatitas, sed an animi mutatio poenitenda esset. Probabiliter hîc spectat Apostolus id, quod supra scripsit, *οὐ μεταμέλομαι, εἰ καὶ μετεμελόμην;* et huic interpretationi favet Rom. XI: 29. Verborum autem ordo talis non est, ut hanc structuram impediat. Dicere vult Paulus: *animi ad salutem mutationem, quae est ἀμεταμέλητος.*

[2]) Cf. van Hengel, *Comm. perp.* pag. 83.

CAPUT II.

De verbis *ΕΠΙΣΤΡΕΦΕΙΝ* et *ΕΠΙΣΤΡΟΦΗ*.

SECTIO I.

Notio verborum *ἘΠΙΣΤΡΕΦΕΙΝ* et *ΕΠΙΣΤΡΟΦΗ*.

Capite praecedenti disputavimus de verbis *μετανοεῖν* et *μετάνοια ;* sequitur nunc, ut verba *ἐπιστρέφειν* et *ἐπιστροφή* consideremus. Et primum quidem inquirendum est in *horum verborum notionem*.

Priusquam autem Nov. Test. inspiciamus, operae pretium erit animum attendere ad Vet. Tet. interpretationem Alexandrinam. Saepe ibi legitur verbum *ἐπιστρέφειν*, non tantum, ut etiam in scriptis N. T. *de motu hominis in alium locum se convertentis*, sed figurate etiam, ut in omni sermone vitae communis fieri solet, *de ejusdem transitu in alium*, *quam pristinum statum*. Respondet Hebreo שוב, uti *Deuter.* XXX : 2, 8, 10. 1 *Sam.* VII : 3. *Jes.* XIX : 22. *Jer.* IV : 1, *Ezech.* XIV : 6. *Hos.* III : 5 ; aut formae Niphal verbi נוע, 2 *Chron.* XXXIII : 19. His autem locis, vel obiter, inspectis, apparet, indicari *transitum* Israëlitarum *ab Idololatria ad veri Dei Sacra*. Verbo שוב eandem notionem tribuerunt Intt. Alex. scribendo *ἀναστρέφειν*, *Jer.* III : 7. Sed bene notandum est, verbum *ἐπιστρεφειν* etiam de *animi* vel *morum emendatione* usurpari *Jobi*

XXXVI : 10, ubi Symmachus tamen scripsit *μεταγοεῖν*. [1]) Praeter hunc unum vero locum nunquam, quantum novi, de animi vel morum emendatione usurpatur in V. T. Plena formula est *ἐπιστρέφειν ἐπὶ Κύριον τὸν Θεόν* vel *πρὸς Κύριον*. Cff. *Deuter.* XXX : 2. 8. 10; 1 *Sam.* VII : 3. Vulgo igitur, quod probe tenendum est, in Libris V. T. eo denotatur *transitus ab idololatria ad verum Deum colendum.* Verbum *ἐπιστρέφειν* ergo designat *externam*, quam vocant, etin oculos incurrentem, *mutationem* hominis, cujus causa cernitur in reditu ab aberratione facultatum intelligendi.

Et sic via nobis strata est Jesu et Apostolorum assequendi mentem, ubi verbo *ἐπιστρέφειν* usi sunt. Idem scilicet usus ejus est in Novo Test. atque in Veteri. Est ibi quoque *externus*, qui dicitur, *transitus;* sed hoc sibi proprium habens, ut sit transitus e societate Judaeorum vel Gentium exterarum ad Deum vere colendum et quidem per communionem Christi. Quod nunc probare aggredior.

Variis in locis legimus: *Ἐπιστρέφειν ἐπὶ* vel *πρὸς Θεόν* sive *τὸν Θεόν Luc.* I: 16; *Act.* XIV : 15; XV: 19; XXVI: 18. 20; 1 *Thess.* 1 : 9. In aliis quidem verbo *ἐπιστρέφειν* subjunguntur formulae *ἐπὶ τὸν Κυριον*, *πρὸς Κύριον*, *ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν.* [2]) Sed nullus dubito, quin in omnibus de conversione ad *Deum* sermo sit. *Act.* XI: 21 sic se habet: *Καὶ ἦν χεὶρ Κυρίου μετ' αὐτῶν*

---

[1]) Sic quoque verbum *ἀποστρέφειν* 1 *Sam.* XV : 11, 29. *Ezech.* III: 19.

[2]) Contendunt nonnulli, formulam, *ἐπιστρέφειν πρὸς Θεόν* pertinere ad *Gentes exteras*, alteram *ἐπιστρεφειν πρὸς Κύριον* (Christum) ad *Judaeos.* Sic praeter alios ven. v. d. Willigen l. l. pag. 47. Haec vero sententia stare non poterit, si probavero, omnibus in locis verbum *ἐπιστρέφειν* spectare conversionem hominum ad *Deum*, nusquam ad Christum.

πολύς τε ἀριθμὸς πιστεύσας ἐπέστρεψεν ἐπὶ τὸν Κύριον. Jam constat formulam ἦν χεὶρ Κυρίου μετ' αὐτῶν unice de Deo usurpatam legi. Cff. 1 *Chron.* IV: 10; *Luc.* I: 66; *Act.* IV: 28. 30. [1]) *Dei* igitur manus hîc intelligitur, unde sponte sequitur sequentia πιστεύσας ἐπέστρεψεν ἐπὶ τὸν Κύριον ad *Deum* referenda esse. Si quis forte ex inserto participio πιστεύσας [2]) contradicendi argumentum petat, interpretans *fide habita* Jesu Christo, inspiciat, quaeso, orationem contextam, quae, ni fallor, perspicue docebit, participio cogitando addendum esse αὐτοῖς εὐαγγελιζομένοις τὸν Κύριον Ἰησοῦν.

Sequitur 1 *Petr.* II: 25: ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενοι ἀλλ' ἐπεστράφητε νῦν ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν. Jam Bretschneiderus aliique Lexicographi, praeeuntibus Calvino et Grotio, *in voce* ἐπίσκοπος, Christum intelligi jubent. Largior Deum nusquam in N. T. titulo ποιμένος insigniri, Christus vero plus uno in loco.[3]) Nemo tamen negabit *Deum* aeque ac Christum ποιμένα dici posse. Quid quod Deus apud Hebraeos passim eadem imagine proponitur, uti *Ps.* XXIII: 1; XXVIII: 9; LXXX: 2; *Jes.* XL: 11? Et homines Christianos hanc imaginem ad Deum retulisse, apparet ex Ignatio ad *Rom.* C. IX, (apud Cotelerium T. II pag. 30): cujus verba sunt ἧτις, (sc. ἐκκλησία) ἀντὶ ἐμοῦ ποιμένι τῷ Θεῷ χρῆται. [4]) Similiter

[1]) Similis dicendi formula χεὶρ Κυρίου ἐπί τινα saepissime exstat in Vet. Test. Vide 1 *Reg.* XVIII: 46 et alios locos permultos. Item *Act.* XIII: 11, ubi itidem sine controversia *Deus* significatur.

[2]) Aoristus verbi πιστεύω hanc vim habet, ut significet *fidem pro tempore datam:* est, quod nos dicimus: *geloof geven.*

[3]) *Joh.* X: 11 *Hebr.* XIII: 20. 1 *Petr.* V: 4.

[4]) Interpolator scripsit: τῷ Κυρίῳ τῷ εἴποντι, ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν καλός, quem secutum esse video Thom. Smithium, qui, in ann. ad

Ignatius, ad *Magn.* III, Deum Episcopum appellavit scribendo: *τῷ πατρὶ I. X. τῶν πάντων ἐπισκόπῳ.* Atque ita Interp. Alex. *Job* XX: 29, ubi legimus: *καὶ κτῆμα ὑπαρχόντων αὐτῷ παρὰ τοῦ ἐπισκόπου.* In Novo autem Test. aeque minus Christus quam Deus hoc nomine denotatur. Ego vero non is sum, qui haec urgere vellem, nisi Petrus priorem orationis partem: *ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα*, deprompsisset ex *Jes.* LIII: 6, ubi Vates Divinus secundum Int. Alex. ait: *πάντες ὡς πρόβατα ἐπλανήθημεν*, atque sic populum Israëliticum facit, ut gregem a pastore, ita a Deo aberrantem. Hinc vero cogere mihi posse videor, Apostolum in posteriori quoque parte *Deum* memorasse, ad quem lectores sui, per fidem, Christo datam, nunc ita reversi essent, ut hunc pastorem et antistitem (vel episcopum) non amplius oris, sed cordis reverentia prosequerentur.

Excitavi quoque verba Pauli, 2 *Cor.* III: 16, *ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ* [1]) *πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα.* Jam

h. l. monet: « *ποιμένι τῷ Θεῷ* i. e. Christo, ut ex immediate seqq. clarissime liquet.» Sequentia autem sunt: *μόνος αὐτὴν* I. X. *ἐπισκοπήσει καὶ ἡ ὑμῶν ἀγάπη.* Non is sum, qui facile negem, Christum saepissime ab Ignatio *Θεόν* dici; causam tamen non video, qua hîc cogamur Christum intelligere. Equidem saltem ex proxime sequentibus argumentum petere non ausim, quo id defendam.

[1]) Non opus est, ut de subjecto verbi *ἐπιστρέψῃ* multis agamus. Quidquid enim ei addamus, sive cum Chrys. Theod. et aliis recentioribus, *ὁ Ἰσραήλ*, seu *ἡ καρδία αὐτῶν*, Bezam, Grotium, Bengelium, Meyerum, Wettium aliosque secuti, ad sensum non multum refert. Cf. Rückertus. Nec tamen dubito, quin vocabula *ἡ καρδία αὐτῶν* in mente Pauli fuerint. Longe nimirum praestat, haec vocabula ex vs. prace. cogitando supplere, quam ad remotiora confugere, quae vs. 13 leguntur. Rejiciendas esse conjecturas Calvini, nomen *Μῶσης* addendum esse, et Storrii qui pron. *τίς* scripsit, nemo facile negabit.

homines ab antiquo de interpretatione vocabuli *Κύριον* inter se non consensisse, apparet ex libris, in quibus pro eo legitur vel *Θεόν*, vel *Χριστόν*, quae mutationes ex interpretandi studio ortae sunt. Recentiori memoria, omnes, quos vidi Interpretes, Christum significari monuerunt. [1]) Praesto tamen sunt tria argumenta, quae omnino prohibent, quominus in vulgari hac sententia acquiescamus. *Primum* cernitur in formula *πνεῦμα Κυρίου*, vs. 17, quae exstat *Luc.* IV: 18; *Act.* V: 9; VIII: 39, ad Deum indicandum, sed nusquam de Christo usurpatur. Ubi enim sermo est de *Spiritu* Christi, reperitur *πνεῦμα Ἰησοῦ* vel *Χριστοῦ* vel *υἱοῦ τοῦ Θεοῦ*. Cff. *Rom.* VIII: 9; *Gal.* IV: 6; *Phil.* I: 19; 1 *Petr.* I: 11 et *Act.* XVI: 7, quo in loco cum Griesbachio et aliis orationi adjiciatur vocabulum *Ἰησοῦ*. Accedit, quod in Vet. Test. sexcenties legimus רוח יהוה vel רוח אלהים. Quum igitur, vs. 17, *πνεῦμα Κυρίου* nequaquam reddere possimus: *Spiritum* Jesu Christi; arcta necessitudo, quae inter hunc versum et 16 intercedit, verba *ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον* explicare vetat: *converterit ad* Jesum Christum. *Alterum* inde peto, quod Paulus de Judaeis ita disputat, ut imagines sumat ex rebus V. T. Mens igitur ejus tota erat his in rebus sibi repraesentandis, adeoque in crebra Israëlitarum exhortatione, ut ad *Deum* reverterentur. Nihil enim fere frequentius in libris Mosis et Vatum Divinorum, quam formula *ἐπιστρέφειν πρὸς Κύριον τὸν Θεόν*. Ergo vix aliter potuisse videtur, quam ut, scribens *ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον*, ante oculos haberet conversionem Israëlitarum ad *Deum*, fide in Christo ponenda. *Tertium* nobis praebent versus sequentes. Nisi omnia me fallunt, verba *τὴν δόξαν*

[1]) Cff. l. l. Rückertus, Meyerus, Wettius, Palmius.

Κυρίου κατοπτριζόμενοι sic explicanda sunt: *in* Jesu Christo, *tamquam in speculo, Dei gloriam adspicimus.* Cui interpretationi non tantum favent, quae statim sequuntur: *τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα*, sed ea etiam, quae leguntur infra IV: 4 et 6. Si igitur vocabula *δόξαν Κυρίου*, vs. 18, significant *gloriam Divinam*, aliter non potest, quin verba *ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον*, vs. 16, intelligenda sint: *converterit se ad Deum.* Quae, quum ita sint, probasse mihi videor, quae probare susceperam. Nunc autem videant alii, ingenio feliciores, quomodo universa Apostoli oratio interpretanda sit.

Superest *Act.* IX: 35, ubi de incolis Lyddae et Saronis leguntur haec verba: *οἵτινες ἐπέστρεψαν ἐπὶ τὸν Κύριον*, quae, disputari potest, utrum conversionem ad *Deum*, an ad Christum significent; sed quum ceteris in locis illam significationem, non hanc tenendam esse viderimus, nisi fallor, usus loquendi postulat, ut hîc etiam *Deum* indicari censeamus. Eodem modo ratio concludenda est quod attinet locos N. T. in quibus verbo *ἐπιστρέφειν* nullum nomen subjectum est, nempe *Jac.* V: 19, 20, de quo infra disputabimus; *Act.* III: 19, ubi verba vs. 20 *ἀποστείλῃ τὸν προκεχειρισμένον* (sic enim legendum est) *ὑμῖν Χριστὸν Ἰησοῦν* prorsus vetant, quominus praecedens *ἐπιστρέψατε* explicetur *convertite vos ad* Christum, sed *Deum* denotari apparet quoque ex subjectis *εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας; Matth.* XIII: 15. *Marc.* IV: 12. *Joh.* XII: 40. *Act.* XXVIII: 27, ubi inde, quod ipse dicit Deus: *καὶ ἰάσωμαι*, vel, ut Marcus verbum interpretatur, *καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα*, sequitur, conjunctum *ἐπιστρέψωσι* cogitando supplendum esse vocabulis *ad Deum.* Accedit *Act.* XV: 3, ubi Gentibus tribuitur *ἡ ἐπιστροφή*, quam conversionem fuisse ad *Deum*,

perspicue docent verba Jacobi, vs. 19, *Διὸ ἐγὼ κρίνω μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν.* Cf. Grotius. Ceterum nemo miretur, me hujus vocabuli mentionem nondum fecisse. Est enim *ἅπαξλεγόμενον* in N. T. neque ullam difficultatem paret [1]).

SECTIO II.

Homines ad *ΤΟ ΕΠΙΣΤΡΕΦΕΙΝ* vocati.

Quamquam, secundum Nov. Test. libros, *τὸ ἐπιστρέφειν* semper significat conversionem ad Deum, cave tamen putes, nullam Christi rationem hîc habendam esse. Sicut nimirum haec formula in Vet. Test. legitur de reditu Israëlitarum ad Deum vere colendum, sic in N. T. reditum spectat ad Deum, fide in Jesu Christo posita. Ergo ea usurpatur de transitu e societate Judaeorum Gentiumve exterarum ad Deum vere colendum, per communionem Christi. Jam loci, in quibus *τοῦ ἐπιστρέφειν* mentio fit, in tres classes commode dividuntur, quarum *prima* continet locos, in quibus *Judaei; altera*, in quibus *Gentes exterae; tertia*, in quibus promiscue *Judaei* et *Gentes exterae* ad *τὸ ἐπιστρέφειν* vocantur. Nusquam enim hominibus Christianis illud *ἐπιστρέφειν* impositum est.

---

[1]) Minus frequens hujus vocabuli usus quoque est in scriptis veterum. *Sir.* XVIII: 21, formula *δεῖξον ἐπιστροφήν* significat: *ostende conversionem tuam ad Deum.* Cf. Bretschneider, *Liber Jesu Siracidae Graece* ad h. l. Locis autem a Schleusnero in *Lex.* et *Thes.* allatis addantur Eurip. *Hel.* vs. 400. *Iph. Taur.* 619 ed. Boothii; Clem. *Rom.* ad *Cor.* I. aliique congesti a Stephano, in *Thesauro* ed. Hasii et Dindorfiorum ad h. v.

§ 1.

Judaei ad τὸ ἐπιστρέφειν vocantur.

Judaei in N. T. vocantur ad illud *ἐπιστρέφειν*. Quod si quis dicit, cum ven. VAN DER WILLIGEN, l. l. ad Judaeos non pertinuisse, quippe JESU aetate, nulla idololatriae macula affectos, nec a Deo alienos, quemadmodum Gentes exterae; bene animadvertat quaeso, eos, quoniam in rerum externarum splendore omnem spem collocarent, longe a Deo remotos fuisse, et, repudiato Messia, quem misisset Deus, ipsum Deum repudiasse. Cf. *Luc.* X: 16. Jam hos homines JESUS ad Deum reducere conabatur, et tum demum censebantur ad Deum reducti esse, si, fide CHRISTUM amplectentes, transiverant ad Ipsius communionem. Rem ita esse, probant loci, in quibus admonentur *Judaei* ad *τὸ ἐπιστρέφειν*. In praedictione natalitium JOHANNIS *Baptistae*, *Luc.* I: 16, leguntur haec: *καὶ πολλοὺς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπιστρέψει ἐπὶ Κύριον τὸν Θεὸν αὐτῶν*. Nimirum hujus viri munus foret ad instantem Messiae adventum aequalium suorum animos praeparare, vel, uti legimus vs. 17, *ἑτοιμάσαι Κυρίῳ λαὸν κατεσκευασμένον*. Judaei igitur jam hinc, ut bonorum Regni Messiae aliquando participes esse possent, ab eo ad *τὸ ἐπιστρέφειν* vocari debebant. Quod jam antea egerat JOHANNES, post CHRISTI in coelos abitum egerunt quoque Apostoli. PETRUS, *Act.* III: 19, Judaeos exhortatur: *Μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε;* quae verba, per particulam *οὖν* superioribus connexa, hunc sensum praebent: *Deus, quum nunc omnia perfecerit, quae Vates Divini cecinissent, Messiam ignominiose et crudeliter tractatum et cruci affixum iri, vos animum mutetis, et vos ad Deum convertatis oportet, fide in* CHRISTO *ponenda.* Tota PETRI oratio tendit ad persuadendum auditoribus, ut fiant

homines Christiani. Verbum ἐπιστρέφειν denotare non posse animi emendationem, intelligitur ex verbo antecedenti μετανοεῖν, quod hanc emendationem spectare supra vidimus. Omnis tautologia hinc arcetur, si illud ἐπιστρέψατε referamus ad fidem Christo habendam. Sensus loci igitur est: *Vitam sordidam emendate et revertimini ad Deum, nomine* Christo *dato.* Sequitur *Act.* IX: 35, quem locum supra jam attigimus. Hîc tamen monendum est, incolas Lyddae et Saronis, qui se ad Deum convertisse dicuntur, alios esse non potuisse, quam Judaeos, quoniam Petrus demum, patefactione singulari, Cap. X, eo adductus est, ut in Gentium exterarum consuetudinem veniret. Locum quod attinet 2 *Cor.* III: 16, si supra recte de eo disputavimus, sequitur, Paulum ibi quoque Judaeis religionem semet ad Deum convertendi imposuisse. Nam ἐπιστρέφειν, quod memorat, significare transitum ad Deum per communionem Christi oratio contexta docet. Tota enim in eo versatur, ut sibi invicem opponat πάλαιαν διαθήκην et καινήν. Παλαίας autem διαθήκης possessores erant Judaei, quamquam oculos opertos habebant velamine, quod impediebat, quominus in altiora intuerentur. *Velamen illud*, inquit Apostolus, *quamdiu Vetus Test. iis legitur, manet, nec removetur, quoniam in* Christo, i. e. *in communione* Christi, *aufertur. Quo tempore autem cor eorum se ita ad Deum converterit, ut* Christum *fide amplectantur, detegitur velamen.* Itaque patet fuisse *Judaeos*, quibus hîc imponeretur τὸ ἐπιστρέφειν. Atque plane idem quadrat in 1 *Petr.* II: 25, quod, ex communi fere virorum doctorum sententia, de hominibus Judaeo-Christianis scriptum est [1]).

---

[1]) Cff. Hug, *Einl. in das Neue Test.* ed. 3ae T. II pag. 539, et

§ 2.

Gentes exterae ad τὸ ἐπιστρέφειν vocantur.

Quemadmodum Judaei, sic etiam homines e *Gentibus exteris* ad *τὸ ἐπιστρέφειν* vocati sunt. Evolvamus locos huc pertinentes. Et primum quidem se offert *Act.* XI: 21, quem locum huc referens, Griesbachio, Lachmanno, Tischendorfio et aliis assentior pro *ᶜΕλληνιστάς*, vs. 20, substituendum esse *ᵈΕλληνας*, quod placuit jam Grotio, tum recentissimis interpretibus Wettio et Meyero.[1]) Libri, quorum testimonio vocabulum *ᵈΕλληνας* nititur, numero quidem pauciores sunt, sed satis magnae auctoritatis [2]).

---

multi alii, quos vide apud Crednerum, *Einl. in das N. Test.* pag. 637 sqq. qui ipse tamen calculum adjiciendum putat Bensoni et Michaëli monentibus, scriptam esse hanc epistolam ad homines Christianos, olim proselytos Judaeos. Nec est, quod cum Wettio, *Einl. in das N. T.* II. p. 315. ed. 4, ratione habita eorum, quae exstant: I: 14, 18, II: 9 sq. III: 6, IV: 3 Gentes exteras significari statuamus. Loci enim allati egregie ad Christianos e Judaeis ortos referri possunt.

[1]) Witsius, *Meletemata Leidensia*, p. 37 sq. anceps quidem haeret inter utrumque vocabulum *ᶜΕλληνιστάς* et *ᵈΕλληνας*, sed utrum utri praeferatur, orationem postulare ait, ut homines ex Gentibus exteris intelligantur. Heringa etiam, l. l. p. 51, legi jubet *ᵈΕλληνας*.

[2]) Nec omnino desunt causae, cur Librarii et Interpretes censendi sint scripsisse *ᶜΕλληνιστάς*. Meyerus, provocans ad Codicem 40, cujus scriba huic loco inseruit verba *καὶ συνεζήτουν*, quoniam IX: 29 legerat *ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς ᶜΕλληνιστάς*, Librarios putat illo loco abusos esse ad genuinum *ᵈΕλληνας* in *ᶜΕλληνιστάς* mutandum. Sed si hoc minus placet vitium scribendi explicari potest, aut ex scribendi compendio, aut, si mavis, inde, quod haec nomina sint *ὁμοιοτέλευτα*.

Neque alterum *Ἑλληνιστάς* stare potest. Nam Judaeis, vs. 19 memoratis, insunt Hellenistae. Palmius quidem orationem receptam tueri conatur, inde argumentum petens, quod *ἀνδρες Κύπριοι καὶ Κυρηναῖοι* non differunt ab iis, qui supra dicuntur *οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες*, et qui *Judaeis tantum* Euangelium annuntiarunt. Sed facile duo haec in concordiam redigi possunt; statuamus modo, vs. 19, *generatim* narrari, quod vs. 20 *exceptionem* subeat. Similiter *Act.* VIII: 4 *generatim* inducuntur *οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες*, quibus opponitur vs. 5 *Φίλιππος δέ*. Similiter *Luc.* XI: 14 legimus *ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι*, quibus, vs. 15, subjectum est *τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν κ. τ. λ.* Cff. etiam *Joh.* VII: 43, 44. XI: 36, 37. Quum igitur legendum sit: *Ἕλληνας*, sequitur versu seq. verbis *πολύς τε ἀριθμός* significari Graecos, seu homines e *Gentibus exteris*. Quod autem traditur hoc loco de Gentibus exteris exstat etiam, ut mittamus verba, *Act.* XV: 3, supra jam satis exposita, *Act.* XIV: 15. Paulus et Barnabas, Iconio relicto, Lystra petierunt. Miraculo ibi edito, incolae iis honorem Deorum tribuere volebant. Vehementer iis uterque resistebat; Paulus imprimis, orationem habens, cui insunt etiam verba: *εὐαγγελιζόμενοι ὑμᾶς ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα* (*ad Deum, qui vivens est*) seu, ut aliis placet *ἐπὶ Θεὸν ζῶντα* (*ad Deum viventem*). Manifestum est, hoc loco homines e Gentibus ad *τὸ ἐπιστρέφειν* vocari et quidem *ἀπὸ τῶν ματαίων*.[1]) Quaestio est, quid his vocabulis significetur. Wettius cogitando iis addi jubet: *θεῶν*,

---

[1]) Adjectivum *μάταιος* absque substantivo in N. T. non legitur. Exempla praebent ex Vet. Test. *Lev.* XVII: 7; 1 *Reg.* XVI: 2; *Jes.* II: 20; *Hos.* V: 11.

adjectivum *ματαίων* positum ajens in masculino genere. Neutrum praeferendum puto propter insertum pronomen *τούτων*, quo vulgo quid, tamquam digito, monstratur, ut *Joh.* II: 16 et alibi. Quid vero Apostolus hoc loco monstravit? An Deorum simulacra? Atqui non legimus, haec simulacra allata esse ad portas, (non *urbis*, sed) *aedium* fortasse, in quibus commorabantur Paulus et Barnabas. Quid igitur, nisi *ταύρους καὶ στέμματα*, quae *μάταια* vocat, per Metonymiam tamen significans sacra superstitiosa? Sensus orationis est: *ab inani hac superstitione vos convertatis ad Deum viventem* i. e. *verum*.[1])

Huc quoque pertinent, quae leguntur 1 *Tess.* I: 9: *καὶ πῶς ἐπεστρέψατε πρὸς τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων, δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ.* Homines alloquitur Paulus antea idololatriae addictos, et quamvis in coetu Christianorum Thessalonicensium, ut vulgo in coetibus extra Palaestinam, Judaei quoque erant, ut novimus ex *Act.* XVII: 4 [2]), Apostolum hîc non ad Judaeos verba fecisse, omni dubio caret. Supra hunc locum jam excitavimus ad demonstrandum, *τὸ ἐπιστρέφειν* esse *τὸ ἐπιστρέφειν πρὸς Θεόν*, quod totidem verbis ab Apostolo scriptum est; nunc evidenter ille nos docet, hoc ipsum *ἐπιστρέφειν* fuisse transitum ab idololatria ad veri

---

[1]) In Vet. Test. אל חי et אלהים חיים sunt nomina Jehovae, quibus distinguitur ab idolis. Cff. 1 *Sam.* XVII: 26, 36. 2 *Reg.* XIX: 4, 16. *Jer.* X: 10. Idem usus exstat in N. T. *Matth.* XVI: 16; 1 *Tim.* III: 15; IV: 10; VI: 17; *Hebr.* X: 31; XII: 22. Deus *vivens* diis opponitur falsis, omni vita carentibus, (cf. *Ps.* CXV: 4 sqq.) ad significandum *verum* illum *Deum.* Cf. Clar. Voorstius, *Ann. in loca sel. N. T.* p. 140 sqq.

[2]) Cff. van Heyst, *Diss. de Judaeo-Christ.* pag. 97 sqq. et Burgerhoudt, *Diss. de coetus Thess. ortu fatisque* pag. 34 sqq.

Dei sacra, et quidem accipienda religione Christiana, quae Thessalonicensibus proposita erat. Verbis *πρὸς τὸν Θεόν* adjecta: *δουλεύειν* [1]) *τῷ Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ* inserviunt ad auctoris mentem uberius explicandam.

§ 3.

Promiscue ad τὸ ἐπιστρέφειν vocantur Judaei et Gentes exterae.

Restat denique *tertia classis,* locos continens, in quibus *promiscue Judaei et Gentes exterae ad τὸ ἐπιστρέφειν vocantur.* Sunt duo, *Act.* XXVI: 18 et 20. In hac Pauli oratione, coram rege Agrippa habita legimus, vs. 18, *ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν τοῦ ἐπιστρέψαι* [2]) *ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεόν.* Quosnam Apostolus sibi voluerit, dicendo *αὐτῶν* jam indicat versus 17, ubi legimus *ἐξαιρούμενός σε ἐκ τοῦ λαοῦ καὶ τῶν ἐθνῶν, εἰς οὓς νῦν* [3]) *σε ἀποστέλλω.* Pronomen enim *οὓς* non solum ad proxime praecedens *ἐθνῶν,* sed etiam ad remotius *λαοῦ* referendum esse, sequitur tum ex eo, quod haec vocabula per particulam *καί* copulata sunt; tum ex vs. 20, de quo infra plura; tum denique ex iis, quae ad Ananiam dicens inducitur Jesus IX: 15: *Πορεύου, ὅτι σκεῦος ἐκλογῆς ἐστίν μοι οὗτος,*

---

[1]) Id est: *εἰς τὸ δουλεύειν.* Infinitivum saepe hoc modo praecedentibus subjici, docent Matthiae, *Griech. Gramm.* II. p. 1035. Winerus, *Gramm. des Neu. Test. Sprachidioms.* p. 374.

[2]) De genitivo *τοῦ ἐπιστρέψαι* vide Winerum l. l. pag. 376 sq. et Fritzschium, *Euang. Matth.; Excursus* II. p. 843.

[3]) Sequor editionem receptam. Sed fortasse cum Lachmanno, Tischendorfio aliisque pro *νῦν* legendum est *ἐγώ.*

τοῦ βαστάσαι τὸ ὄνομά μου ἐνώπιον ἐθνῶν, καὶ βασιλέων, υἱῶν τε Ἰσραήλ. Ergo Apostolus se missum declaravit ad Judaeos pariter atque Gentes. Sic etiam, vs. 20, ait se Damasci, Hierosolymis, et per universam regionem Judaeam, etiam inter Gentes exteras praecepisse τὸ μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεόν. Jam ex vs. 18 maxime apparet, τὸ ἐπιστρέφειν fuisse transitum in communionem Christi. Vocabula σκότος et φῶς saepissime sibi invicem opponuntur. Figurate, ut in omni sermone vitae communis fieri solet, σκότος denotat *quod falsum et malum*, φῶς *quod verum et bonum est*. Si autem nobiscum reputamus, falsa et mala praesertim regnasse inter Gentes superstitioni deditas, tum vero etiam inter Judaeos, qui unius quidem et veri Dei sacris gaudebant, sed mentem habebant a vera ejus religione alienam, non est quod miremur, Novi Test. Scriptores Judaeorum Gentiumque exterarum societates regnum nuncupasse tenebrarum, cujus princeps esset Satanas, ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου, ὁ κοσμοκράτωρ. Formulae igitur σκότος et ἐξουσία τοῦ Σατανᾶ, eodem fere redeunt et, velut in Parallelismo, altera alteram explicat, quandoquidem utraque societatem designat quamcunque, una Christiana excepta. Haec enim nomen lucis ferebat, quippe veri et boni possessione illustris Deumque Regem habens. Itaque Paulus nullum alium transitum indicavit, quam ex Judaeorum Gentiumve societate ad Deum vere colendum, per communionem Christi [1]).

[1]) Qui plura de horum vocabulorum interpretatione scire cupit, adeat, praeter Glassium, l. l. II. p. 1044 sqq. et praesertim pag. 1049, Harlessum, l. l. p. 98 sq. et 536 sq. Lücke, *Commentar über die Briefe des Ev. Joh.* p. 130 sqq. 163 sqq. Imprimis legatur 1 *Petr.* II: 9, quo ex loco perspicue intelligitur, metaphoram σκό-

§ 4.

Nusquam in N. T. homines Christiani ad τὸ ἐπιστρέφειν vocantur.

Venerandus VAN DER WILLIGEN l. l. pag. 48 haec monet: «*Τὸ ἐπιστρέφειν* fortasse potest ita considerari, secun»dum *Luc.* XXII: 32 et *Jac.* V: 19, 20, ut requiratur in »hujusmodi CHRISTI sectatoribus, qui culpam sibi contraxe»rint talium perversitatum, quibus censendi sint ex socie»tate Christiana penitus decidisse.» Sed, pace viri venerandi, dictum JESU ad PETRUM huc non pertinet. [1]) Sic se habet: *ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου;* [2]) de cujus loci interpretatione copiose disputandi putaveram otium mihi factum esse a Clar. VAN HENGEL, *Annotatio in loca nonnulla N. T.* pag. 25 sqq. Sed vir Clar. mihi scripsit: «quemadmodum varia, quae in hac Annota»tione proposui, mihi non amplius placent, sic dubito, an »*Luc.* XXII: 32 vim participii *ἐπιστρέψας* bene assecutus »sim. Tu igitur rem diligenter explorato.» Videre mihi tandem visus sum, minus probandam esse eam participii

---

τους et *φωτός* usurpatam esse de transitu in CHRISTI communionem.

[1]) Quae notavit vir doctus, etiamsi probanda esset ejus interpretatio, in eo jam peccant, quod PETRUM faciant *hominem Christianum.* Sed haud crediderim, aliquem hominem Christianum fuisse, priusquam societas Christiana (Act. II) condita esset.

[2]) TISCHENDORFIUS orationem sic constituit: *ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήρισον τοὺς ἀδελφούς σου.* Rectissime egit comma delendo, quod in ed. rec. separat *ἐπιστρέψας* a seq. *στήρισον* (*στήριξον*).

ἐπιστρέψας interpretationem, ut pro adverbio *rursus* sumatur. Inde tamen non sequitur stare posse sententiam plerorumque Interpretum, hoc participio significari *reditum* Petri *ad meliorem mentem et poenitentiam, quam post lapsum ostensurus esset.* [1]) Verbum ἐπιστρέφειν enim nusquam habet *poenitendi* potestatem: nam aut *proprie* semper denotat *hominem, in alium locum se convertentem*, aut *figurate*, ut supra vidimus, *mutationem, quam subit, qui in* Christi *communionem transgreditur.* Figurata autem notio hoc loco propterea ferri nequit, quod Petrus a fide, qua Christo adhaerebat, non adeo descivit, ut sectator Christi esse desineret; deinde verbum σινιάσαι non significat *excutere*, sed *concutere.* Cf. Clar. van Hengel l. l. Sed quamquam cadit interpretatio vulgaris, nihil est, quod nos perturbet, dummodo propriam verbi ἐπιστρέφειν retineamus notionem. Haec enim notio est, quae ipsis illis nitatur locis, quos Vir Cl. attulit l. l. pag. 29 sq. 1 *Reg.* XIX: 6, ubi legimus: καὶ ἀνέστη, καὶ ἔφαγε, καὶ ἔπιε, καὶ ἐπιστρέψας ἐκοιμήθη, cujus orationis sensus est: *et surrexit, et edit, et bibit, et convertens se*, (sc. ad locum unde surrexerat) *cubuit*; *Ps.* LXX (LXXI): 20: καὶ ἐπιστρέψας ἐζωοποίησάς με, *et te* (sc. ad me) *convertens, vitam mihi restituisti;* ibidem vs. 21: καὶ ἐπιστρέψας παρεκάλεσάς με, *et te* (sc. ad me) *convertens, me consolatus es;* LXXXIV

[1]) Sic quoque Wettius, qui, subdubitans tamen, provocat ad *Luc.* XVII: 4. At verbum ἐπιστρέφειν, hoc loco, propriam suam retinet notionem, quam etiam secuti sunt *Syrus*, *Vulgatus Lat.* Beza. Bretschneiderus, alii; et, si vocabula ἐπί σε vel πρός σε, vel εἰς σέ genuina habenda sunt, aliter sumi nequit. Jam vero, si quid valet testimonium optimorum codicum, veterum versionum et patrum auctoritate confirmatum, probabiliter a Luca profectum est πρός σε, quod recepit Lachmannus.

(LXXXV): 6: *ὁ Θεὸς, σὺ ἐπιστρέψας ζωώσεις ἡμᾶς: tu, o Deus, te convertens* (sc. ad nos) *nos servabis; Act.* XV: 36: *ἐπιστρέψαντες δὴ ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφούς. Nos autem convertentes* (sc. in omnes urbes, quas antea adivimus) *fratres visitemus.* Huic interpretationi pondus adjiciunt loci, ubi verbum finitum *ἐπιστρέφω* per particulam *καὶ* cum alio verbo finito conjungitur; sed quoniam sexcenti sunt, unum tantum describo ex *Test. XII Patr.* l. l. p. 667: *ἐπιστρέψετε καὶ ἐπιγνώσεσθε Κύριον τὸν Θεὸν ὑμῶν· καὶ ἐπιστρέψει ὑμᾶς εἰς τὴν γὴν ὑμῶν*, ubi, cum posterius *ἐπιστρέψει* aliter reddi nequeat quam: *convertet se*, prius *ἐπιστρέψετε* reddendum etiam est: *convertite vos*, sc. ad Deum. Eodem igitur modo interpretandum est *Luc.* XXII: 32. Ceterum, quod attinet sensum, non multum interest, utrum vocabulum *ἐπιστρέψας* sumatur adverbialiter, an participialiter. Sed hoc magis quam illud, si propria ejus vis retinetur, rem, ex more Orientalium, ante oculos ponit et ad vitam quasi depingit.

Majoris ponderis hîc esse videtur quod exstat *Jac.* V: 19, 20: *Ἀδελφοὶ, ἐάν τις ἐν ὑμῖν πλανηθῇ ἀπὸ τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπιστρέψῃ τις αὐτὸν, γινωσκέτω, ὅτι ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ, σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν.* Sed quicunque hunc locum obiter inspexerit, animadvertat necesse est, hîc longe aliam rem verbo *ἐπιστρέφειν* denotari, quam in locis, ubi vidimus Judaeos et Gentes vocari, ut ad Deum se convertant, per communionem Christi. Ibi enim conversio spectatur totius hominis, qui est *extra* Christi societatem, hîc talis ejus conversio *intra* societatem Christi [1]), ut palam et publice valedicat gravioribus peccatis.

[1]) Quemadmodum, scilicet, verba *τὶς ἐν ὑμῖν*, vs. 13, referenda

Quod de vocabulo ἀληθείας supra, pag. 36, monuimus, illud in Literis Sacris saepe *verum* significare, quod simul *bonum et honestum* sit, hîc etiam valet, ut intelligimus ex conclusione hujus sententiae σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. Hanc quoque interpretationem suadet, nisi fallor, oratio contexta inde a vs. 16, quae fecisse videtur, ut haec admonitio Jacobo in mentem veniret. Articulum τῆς nomini ἀληθείας praemisit, ut lectores sibi verum proponerent, quale in Christi communione sit. Imagine autem usus est ab eo petita, qui a recta via aberrat. Idcirco orationem persecutus est scribendo καὶ ἐπιστρέψῃ τις αὐτόν i. e. *et si converterit quis eum, ut redux sit in viam veri bonique.* His tum addit γινωσκέτω, ὅτι ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ, eadem in imagine perseverans, et dicere volens: *sciat, eum, qui reduxerit peccatorem ab errore in viam.* Jam ex hac interpretatione, quae imaginem observat et nullam verbis vim infert, facile intelligitur, verbum ἐπιστρέφειν hîc amplissimam habere notionem *faciendi, ut quis in viam revertatur:* unde sequitur, hunc locum dissimilem esse eorum, ubi ipsi homines vocantur, ut, spreta Judaeorum Gentiumve societate, ad Deum *se* convertant, communione Christi per fidem amplectenda.

---

sunt ad hominem, qui *intra* societatem Christi mala patitur, iisque, vs. 14, indicatur Christi *sectator* corpore infirmus; sic etiam, vs. 19, eadem dicendi formula usus est Jacobus, ad hominem designandum, qui, Christo nomine dato, in communione ejus sectatorum quidem est, sed in peccata graviora incidit; quapropter a vero aberrare videntur viri docti, qui Apostolum scribentem faciunt de homine, qui, postquam semel Christo nomen dederat, denuo ab eo descivit.

SECTIO III.

NECESSITUDO, QUAE INTER *TO ΕΠΙΣΤΡΕΦΕΙΝ* ET *TO ΜΕΤΑΝΟΕΙΝ* INTERCEDIT.

Constat igitur, ad *τὸ ἐπιστρέφειν* ubique in N. T. vocatos esse Judaeos et Gentes exteras, nusquam vero homines Christianos; quaestio nunc est *de necessitudine, quae inter τὸ ἐπιστρέφειν et τὸ μετανοεῖν intercedit.* His verbis actiones denotari longe a se invicem diversas, ex iis, quae adhuc monuimus, luculenter, ni fallor, apparet. Altero denotatur actio externa, quae dicitur, altero actio interna; altero mutatio opinionis perversae, altero mutatio animi, quam vitae mutatio sequitur; altero reditus ab errore intelligentiae, altero reditus a malitia voluntatis. Hoc verborum illorum discrimen nusquam clarius elucet, quam e locis, ubi concurrunt, *Act.* III: 19, XXVI: 20. Synonyma ea esse, ut multi ab antiquo perhibuerunt [1]), hodie nemo facile concedet. Et sane, comparatio primae utriusque verbi notionis jam ducit ad probandam distinctionem a nobis propositam. Tum, praeter *Act.* III: 19 et XXVI: 20, alii loci sunt, qui ea distingui jubeant. Quid clarius est, quam *Luc.* XVII: 4, ubi miserum in modum friget oratio, nisi altero, *ἐπιστρέψῃ*, significetur *reditus ad fratrem*, exortus *ex animi mutatione*, altero, *μετανοῶ*, enunciata? Ita etiam *Matth.* XIII. 15 sine dubio praecedentia: *μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι καὶ τῇ καρδίᾳ συνιῶσι*, respondent *τῷ μετανοεῖν*, a quo *τὸ ἐπιστρέφειν*, per proxime sequentia: *καὶ ἐπιστρέψωσι*, discernitur. Similiter *Marc.* IV: 12 *Joh.* XII: 40 *Act.* XXVIII: 27.

---

[1]) Recentiori etiam memoria ita judicavit TITTMANNUS, *De Synonymis* Tom. I. p. 177.

Huic argumentationi favet etiam quod legitur *Jer.* XVIII: 8: *Καὶ ἐπιστραφῇ τὸ ἔθνος ἐκεῖνο ἀπὸ πάντων τῶν κακῶν αὐτῶν, καὶ μετανοήσω περὶ τῶν κακῶν;* item *Joël.* II: 12—14, ubi interesse inter verba *εἰ ἐπιστρέψει καὶ μετανοήσει*, perspicue docent connexa: *Καὶ ἐπιστράφητε πρὸς Κύριον τὸν Θεὸν ὑμῶν, ὅτι ἐλεήμων καὶ οἰκτίρμων ἐστὶ, μακρόθυμος, καὶ πολυέλεος, καὶ μετανοῶν ἐπὶ ταῖς κακίαις.* Nec praetermittenda sunt, quae exstant in *Test. XII Patr.* l. l. p. 644: *Καὶ μετὰ ταῦτα μνησθήσεσθε Κυρίου, καὶ μετανοήσατε, καί ἐπιστρέψει ὑμᾶς.* Praesertim conferri meretur admonitio Clementis *Romani*, ad *Cor.* c. VII: *Ἀνέλθωμεν εἰς τὰς γενεὰς πάσας, καὶ καταμάθωμεν, ὅτι ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ μετανοίας τόπον ἔδωκεν ὁ Δεσπότης τοῖς βουλομένοις ἐπιστραφῆναι ἐπ' αὐτόν.* Duo igitur his verbis copulantur, quorum alterum *intra*, alterum *extra* mentem fieri debet.

In permultis versionibus antiquis et recentioribus ad diversam notionem bene attendisse auctores, in versione vero vernacula aliisque non item, ostendit venerandus van der Willigen l. l. pag. 42 sqq. Versio Syra utrumque probe distinxit; alterum, *μετανοεῖν*, vertendo reddens: ܬܘܒ vel ܐܬܬܘܒ, dum pro vocabulo *μετάνοια*, scriptum sit ܬܘܒܬܐ; alterum, *ἐπιστρέφειν*, ܦܢܐ, exceptis *Act.* XXVI: 18, 2 *Petr.* II: 21. *Jac.* V: 20, ubi legitur ܗܦܟ, *ἐπιστροφή* vero ܐܬܦܢܝܬܐ. Nusquam igitur Syrus utriusque notionem confudit. Interpretum autem negligentia, in his verbis bene distinguendis, hanc Theologis quoque fraudem fecit, ut res, iis denotatas, permutarent. Nec hodie omnes eas, prout oportet, distinguunt.

Sed quamquam nusquam permutantur, nec synonyma sunt verba *ἐπιστρέφειν* et *μετανοεῖν*, quaestio tamen est,

an necessitudo inter utrumque non intercedat in locis N. T. ubi concurrunt. Age, paulo penitius inspiciamus locos, supra excitatos, *Act.* III. 19 et XXVI: 20. Quisque videt, ibi verbo *ἐπιστρέφειν praepositum esse* verbum *μετανοεῖν*, quod fortuito non accidisse docent loci, in quibus aliae formulae verbi *ἐπιστρέφειν* veluti vice funguntur. Marcus igitur, I: 15, alteri Jesu exhortationi *μετανοεῖτε*, hanc alteram adjungit: *καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ*, cujus loci sensus esse videtur: *quum tempus instet constituendi Regni Divini, vos, si hujus Regni participes esse cupitis, animum mutate et hoc ostendite fide collocanda in Euangelio.* Hujus autem Euangelii caput primarium continebat adventum Conditoris et Principis illius Regni. Nil aliud igitur sibi volebat Jesus nisi: *animo mutato, per fidem accipite, quae vobis divinitus laeta de eo annuntiantur.* Jam inde sequitur, notionem formulae *πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ*, quo ad sensum, non longe differre a notione, quam supra verbo *ἐπιστρέφειν* vindicavi. Idem cernitur *Act.* XIX: 4. Postquam nempe Paulus mentionem injecit baptismi, a Johanne administrati, qui baptismus, per excellentiam, dici merebatur *βάπτισμα μετανοίας*; hujus ritus consilium in eo ponit, *ἵνα πιστεύσωσι εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτόν.* Apostoli mens haec est; Johannes, *aequalium suorum oculos in Eum convertens, qui vestigia ejus secuturus erat, eos exhortatus est ad animi emendationem et baptismum administravit iis, qui se ad illam promptos praestabant, id agens, ut praeparentur ad fidem in Messia, si in lucem hominum venisset, collocandam.* Hunc autem Messiam Jesum esse, Johannes minus enuntiavit quam significavit; quare Paulus verbis ejus adjecit: *τοῦτέστιν εἰς τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν*, vel fortasse tantum *εἰς τὸν Ἰησοῦν*, ut placet Tischendorfio

aliisque. Porro sunt conferenda, quae leguntur XX : 21 : *Διαμαρτυρόμενος Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι τὴν εἰς τὸν Θεὸν μετάνοιαν, καὶ πίστιν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν ;* nec praetermittenda, quae dixit Petrus, *Act.* II : 38 : *Μετανοήσατε καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Baptismus enim signum erat *τοῦ ἐπιστρέφειν.* Quatuor igitur his in locis formulas reperimus, verbo *ἐπιστρέφειν* respondentes, quod *Act.* III: 19 XXVI: 20 et alibi legitur: unde sequitur, me haud temere monuisse, Scriptores Sacros verbum *ἐπιστρέφειν consulto* subjecisse alteri *μετανοεῖν.* Jam vero, quid inde colligendum sit, in promptu est. Hac enim verborum dispositione perspicue indicarunt Scriptores Sacri, actionem *τοῦ μετανοεῖν* ducere ad actionem *τοῦ ἐπιστρέφειν*, sive, in homine, ex Judaeorum Gentiumve exterarum societate in societatem Christi transgressuro, animi emendationem requiri, ad hunc transgressum perficiendum. Quod non tantum verbis Sacrarum Literarum convenit, sed quod res ipsa etiam loquitur. Societas enim Christiana, his in terris condita, ad moralem tendit hominis perfectionem. Cuivis igitur, qui Christum palam profiteri cuperet, incipiendum esse ab animi emendatione, summo jure Christus ejusque Apostoli inculcare conabantur.

Nec tamen hîc subsistendum videtur. Arcta enim, quae inter *μετανοεῖν* et *ἐπιστρέφειν* intercedit necessitudo, in eo quoque posita est, ut nobis nullam *μετάνοιαν*, vere sic dictam, cogitando fingere possimus, quam *ἡ ἐπιστροφὴ* non sequatur. Jesus enim et Apostoli non subsistunt in exhortatione *μετανοήσατε*, sed uno tenore ei adjiciunt *καὶ ἐπιστρέψατε*, aut *καὶ πιστεύετε*, aut *βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν.* Censemus igitur, *τὸ μετανοεῖν*, ex eorum sententia, tamquam fontem fuisse *τοῦ ἐπιστρέφειν ;*

rursus vero sinceritatem *τοῦ μετανοεῖν* se patefecisse actione *τοῦ ἐπιστρέφειν*, et ea quidem, quae adspectabilis esset animi emendati documentis; quod confirmatur verbis Pauli, *Act.* XXVI: 20 *ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας* i. e. *opera edentes emendationi animi consentanea.* Arcte scilicet cohaerent verba *ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν* et sequentia *ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας.*

SECTIO IV.

actio *TOY ΠΙΣΤΕΥΕΙΝ* cum actione *TOY ΕΠΙΣΤΡΕΦΕΙΝ* conjuncta.

Sectione praecedenti monuimus, nonnullis in locis N. T. verbum *πιστεύειν* ita vice fungi verbi *ἐπιστρέφειν*, ut res, iis propositae, eodem fere redeant. Eo nunc redeundum est, ut ostendamus, *actionem τοῦ πιστεύειν*, ex mente Scriptorum Sacrorum, *cum actione τοῦ ἐπιστρέφειν conjunctam esse.* Facile utrumque permutatur, quoniam illud passim, aeque atque hoc, denotat transitum ad Christi communionem. Verbum autem *πιστεύειν* explicat id, quod actione *τοῦ ἐπιστρέφειν* continetur. Atque haec causa est, cur nunc alterutrum scriptum legatur, nunc utrumque, uti *Act.* XI: 21. Imprimis animum attendamus oportet ad locos, in quibus verbum *πιστεύειν* cum affinibus, verbi *ἐπιστρέφειν* vice fungens, verbo *μετανοεῖν* subjectum est. Huc pertinent *Marc.* I: 15, *Act.* XIX: 4, XX: 21, quos supra jam satis illustravimus. Porro adeundus est *Act.* XXVI: 18. Largior, verba ultima *πίστει τῇ εἰς ἐμέ* refe-

renda esse ad proxime praecedentia : *τοῦ λαβεῖν αὐτοὺς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις ;* at manifestum tamen est , duas hîc reperiri enuntiationes , quarum posterior ad priorem explicandam inserviat , ita tamen , ut utrique singulare quid insit. Altera (*τοῦ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς , καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεόν ,*) *ipsam* illam proponit *actionem* transeundi ad Deum , *quae fit per communionem* Christi ; altera (*τοῦ λαβεῖν αὐτοὺς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ κλῆρον ἐν ἡγιασμένοις πίστει τῇ εἰς ἐμέ ,*) hujus actionis *fructum* ostendit , et ita quidem , ut simul actionem illustret ; quae illustratio haec est , ut , quod superius *implicite* expressum est verbis *ἐπιστρέψαι εἰς φῶς* et *ἐπὶ τὸν Θεόν* , inferius *explicate* dicatur verbis *πίστει τῇ εἰς ἐμέ*. Hinc apparet , actionem *τοῦ πιστεύειν* cum actione *τοῦ ἐπιστρέφειν* arctissime cohaerere.

Nunc adeamus locos , quorum oratio contexta , quamvis nec substantivum *πίστις* , nec verbum *πιστεύειν* in iis reperitur , satis luculenter docet , sermonem esse de reditu ad Deum , *fide in* Christo *posita*. Vidimus supra , *Act.* III: 19 , conjungi *μετανοήσατε* et *ἐπιστρέψατε*. Jam quid sequitur ? Nihil quidem de fide , sed tantum *εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας*. Itaque promittitur venia peccatorum. Atqui Literae Sacrae hujus spem nullam faciunt , nisi posita fidei conditione. Ergo non aliter fieri potuit , quin Petrus , verbo *ἐπιστρέψατε* , *implicite* etiam ad fidem adhortaretur. Apostolo autem facilius erat *fidem* silentio praeterire , quoniam supra , vs. 16 , ejus mentionem jam fecerat , et eo quidem consilio , ut efficacitate fidei , exemplo comprobata , auditores suos impelleret ad Christum fide amplectendum. Sensus orationis huc redit : *animo sincero et pietatis virtutisque studioso , vos , per fidem ,*

Christo *habitam, accedite ad societatem sectatorum Ejus, ut accipiatis peccatorum veniam.* Ejusdem generis est quod legimus XV: 19. Loquitur ibi Jacobus de istiusmodi hominibus, qui, ex Gentibus, audito Euangelio, ad Deum se converterant. Collata vero Petri oratione praecedenti, vs. 7—11, luculenter patet, Jacobum formula τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν usum esse, ut eadem doceret, quae paulo ante docuisset Petrus. Hic autem, vs. 7 et 9, Gentium fidem laudaverat, et Spiritus Sancti dona, cum iis divinitus communicata, memoraverat; quapropter Jacobi verba hunc habent sensum: *qui divinitus hoc acceperint, ut, per fidem, in* Jesu *positam, se ad Eundem, quem nos colimus, Deum converterent, nulla molestia afficiendos judico.* Provoco etiam ad 1 *Thess.* I: 9. Ibi Paulus orationem persequitur virtutes lectorum suorum praedicantem. Libenter enim, Euangelio auscultantes, Christo nomen dederant. Atque hoc tantam vim in animos eorum habuerat, ut omnibus Christi sectatoribus, in Macedonia et Achaia, exemplo essent; et fides eorum hanc adeo celebritatem ubique nacta erat, ut Apostolus de ea facile silere posset, ipsique variarum regionum incolae eam extollerent. Itaque hîc scripsit: αὐτοὶ γὰρ περὶ ἡμῶν ἀπαγγέλλουσιν, ὁποίαν εἴσοδον ἔσχομεν (sic enim legendum est pro ἔχομεν, ut legitur in Ed. rec.) πρὸς ὑμᾶς, καὶ πῶς ἐπεστρέψατε πρὸς τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων. Fidei igitur rationem ab Apostolo habitam esse, cum scriberet ἐπεστρέψατε πρὸς τὸν Θεόν, ex praemissis perspicue intelligitur; nam, auribus Euangelio praebendis, i. e. Christo fide amplectendo, factum erat, ut avitae superstitioni valedicerent. Et sic quoque videmus, quomodo deinceps memorare potuerit Thessalonicensium spem, fore, ut

Dei filius sibi de coelis salutis auctor veniret. Hanc enim spem fides mirifice fovit.

Itaque, secundum Novi Test. libros, arctissima est necessitudo inter τὸ πιστεύειν et τὸ ἐπιστρέφειν. Si quis autem quaerit, cujus indolis sit fides, ibi proposita, breviter respondeo, eam, ex mente Jesu et Apostolorum, fuisse fidem, qua homines ex Judaeis et Gentibus, quidquid sibi divinitus annuntiabatur, toto animo acciperent, veramque et salutarem agendi et sentiendi normam haberent.

CAPUT III.

De vocibus formulisque utrique *ΤΩ ΜΕΤΑΝΟΕΙΝ* et *ΤΩ ΕΠΙΣΤΡΕΦΕΙΝ* affinibus.

Disputatione de verbis *ἐπιστρέφειν* et *ἐπιστροφή* nunc etiam peracta, superest, ut examinemus *alias voces aliasque formulas, utrique*, *τῷ μετανοεῖν* et *τῷ ἐπιστρέφειν affines*. Verba, quae hîc in censum veniunt, mere sunt figurata, et, ratione habita eorum, a quibus translata sunt, in tres classes commode dividuntur. *Prima* classis continet ea, quae ab hominum natalibus repetita sunt; *altera*, quidquid desumtum est de rerum novitate; *tertia* denique, verbum, quod formae mutationem proprie significat. Hae autem classes totidem sectiones huic Capiti constituent.

SECTIO I.

De vocibus et formulis, quae ab hominum natalibus repetitae sunt.

In Novi Test. scriptis passim deprehenduntur *voces et formulae ab hominum natalibus repetitae*, ad transgressionem ab alio statu in alium denotandam. Pertinent huc loci, in quibus legitur aut vocabulum *παλιγγενεσία*, aut formula *ἄνωθεν γεννηθῆναι*, aut verbum *ἀποκυεῖν*, aut

ἀναγεννᾶσθαι. Hos autem locos ita tractabimus, ut praemittamus eorum interpretationem, tum vero hac interpretatione utamur ad ea colligenda, quae huic instituto inserviunt.

§ 1.

Interpretatio locorum, in quibus vocabulum παλιγγενεσία, *aut formula* ἄνωθεν γεννηθῆναι, *aut verbum* ἀποκυεῖν, *aut* ἀναγεννᾶσθαι *legitur.*

Incipimus *ab interpretatione locorum, in quibus vocabulum* παλιγγενεσία, *aut formula* ἄνωθεν γεννηθῆναι, *aut verbum* ἀποκυεῖν, *aut* ἀναγεννᾶσθαι *legitur.* Haud diu nos morabitur exploratio notionis propriae vocabuli παλιγγενεσία et verbi ἀναγεννᾶσθαι, quippe quae ubique figurate usurpantur *de magna et insigni alicujus rei instauratione.* Sigillatim autem vocabulum παλιγγενεσία, quod proprie *iteratam generationem* denotat, usurpatur *de istiusmodi mutatione, qua tristia fata exipiunt laetiora*, v. c. de restitutione patriae in libertatem, de recuperata dignitate, quae temporum labe interiit, et sic porro [1]). Relatum quoque est ad reditum mortuorum in vitam, ut docet Grotius ad *Matth.* XIX: 28, exemplis e scriptis Josephi, Philonis et aliorum allatis, quibus addatur Eusebii *Hist. Eccl.* V: 1. ad finem. In N. T. bis legitur, *Matth.* XIX: 28, *Tit.* III: 5, in

[1]) Exemplis, quae praebent Lexicographi, addatur *Job* XIV: 14, ubi legimus: ὑπομενῶ ἕως πάλιν γένωμαι. et Clem. *Rom.* Ep. ad *Cor.* Cap. IX.

altero loco de mutatione Judaeis, temporibus Messianis, speranda, in altero de nova tamquam generatione hominis, ex Judaeorum Gentiumve exterarum societate ad Christum perducti. Haud longe hinc discedit formula ἄνωθεν γεννηθῆναι, quae exstat *Joh.* III : 3, ubi sermo est de quadam animi mutatione, cuivis subeunda, qui Regni Divini civibus adscribi cupiat. Hactenus igitur formula ἄνωθεν γεννηθῆναι cum vocabulo παλιγγενεσία convenit, ut adspectabilem faciant animi mutationem quamdam, aut etiamnum suscipiendam, aut jam susceptam. Hac ex parte tamen inter se differunt, quod huic notioni primariae, quam communem habent, secundariam addunt, pro potestate praepositioni aut adverbio tribuenda. Sic formula ἄνωθεν γεννηθῆναι simul fontem indicat, unde oritur generatio illa nova, dum vocabulo παλιγγενεσία iteratae cujusdam actionis notio adhaeret. Formulae ἄνωθεν γεννηθῆναι affine est verbum ἀναγεννᾶσθαι (1 *Petr.* I : 3, 23). Verbum denique ἀποκυεῖν proprie significat *partum edere*, hinc vero, in N. T. transfertur ad significandum : *producere*, *quemadmodum mulier*, *quae partum enititur.* Quod quum, *Jac.* I : 18, dicatur de Deo, fortasse quis hujus rei causam rogabit. Jam animadvertat dicendi rationem Hebraeis usitatam. In Vet. Test. Deus inducitur tamquam parens Gentis Israëlitarum, quatenus Ille hac singulari cura Abrahamum ejusque nepotes amplexus est, ut arctissimo necessitudinis vinculo cum iis, quemadmodum pater cum liberis, conjungeretur. In Novo autem Test. ille loquendi usus translatus est ad Christi sectatores, quos Deus ibi, tamquam pater, peperisse dicitur, ita ut filii Dei fierent.

His praemissis transeundum est ad interpretationem locorum, verba formulasque exhibentium, de quibus

generatim quaedam jam monuimus. Omnium primus se nobis offert locus difficillimus *Matth.* XIX : 28 ; nec tamen de interpretatione probabili desperandum videtur. Interpretum sententias recensere longum sit. Praecipuae sunt eorum, qui *τὴν παλιγγενεσίαν* referunt, vel ad reditum mortuorum in vitam et beatitatem coelestem, judicium postremum secuturam [1]; vel ad instaurationem generis humani, per praedicationem Christi ejusque Euangelii [2]; vel ad utrumque [3]. Sed nulla talis est, ut in ea acquiescere possim. Periculum igitur faciam in medium afferendi, quod minus difficultatibus laboret. Constat, orationem Jesu promissum continere, quo respondeat ad Petri quaestionem, versu praecedenti propositam; atque ita quidem respondet, ut primum nominentur homines, quibus datur promissum illud, tum vero indicetur tempus, quo eventum habiturum est, denique ejus argumentum proponatur. Spectat Jesus opiniones Judaeorum de Regno Messiano, suo tempore regnantes. Ait aliquando fore, ut sellam regiam occupet, et pollicetur discipulos imperii participes futuros esse. Fingit terram Judaeam in duodecim provincias divisam, quarum singulae praefectum sibi habeant unum discipulorum, in sella regia etiam sedentem et Regis auctoritate judicium ferentem. Imagine autem remota supersunt haec: *ego sum Messias, ex humili conditione, in qua nunc dego, erigendus insignique gloria afficiendus. Haec ubi evenerint, vos etiam, qui, mea causa, omnia missa feceritis, opibus et honoribus gavisuros polliceor.* Jam nunc discipuli intelligebant, quod

---

1) Theophylactus, Euthymius, Grotius, Bengelius, Palmius et verisimiliter Syrus scribens : ܒܥܠܡܐ ܚܕܬܐ

2) Calvinus, van der Willigen l. l. pag. 80 sq.

3) Wettius, aliique.

Magister volebat ut intelligerent, sibi aliquando haud defuturam esse mercedem, atque hoc sufficiebat ad quaestionem *τί ἄρα ἔσται ἡμῖν*. Verba autem *ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ* cum sequenti *καθίσεσθε* jungi jubet et versus sequens, et orationis argumentum. Cff. Grotius, Bengelius et Wettius. Est igitur quasi dicat Jesus: *in generatione illa nova, i. e. illo tempore, quo sellam suam gloriosam occupaverit filius hominis, vos sedebitis etc.* Jam nunc mens ejus minus difficilis est intellectu, teneamus modo, Jesum, ad discipulos verba facientem, in memoriam revocasse opinionem Judaeorum de Regno Messiano. Itaque verisimillimum est, etiam haec verba pertinere ad notionem hujus Regni vulgarem, quod valde confirmatur articulo *τῇ*, quo *παλιγγενεσία* illa ante oculos ponitur, quippe res omnibus nota. Jesus sibi, ni fallor, voluit: *in hac, quam vos exspectatis, generatione nova.* Magni autem ponderis est scire, qualem generationem novam Judaei exspectaverint. Nec frustra in illud inquiremus. Non tantum opinabantur, fore, ut Messias, Rex ille splendidissimus, eos liberaret ab imperio Romanorum atque in integrum restitueret Regnum vetus Davidis; non tantum Messiam sibi sperabant auctorem instaurationis, illustrationis et propagationis religionis Mosaicae; sed etiam putabant, Messiam mores depravatos emendaturum veniamque peccatorum allaturum, et tum demum Regnum conditurum esse, quo condito, et aetate aurea restituta, orbis terrarum ad meliorem statum perventurus esset [1]). Haec autem Judaei de tempore Regnoque Messiano sentiebant, partim quidem falsa, partim tamen vera; atque haec vera Jesus significavit, quum diceret *ἐν τῇ*

[1]) Cf. Wettius, *Biblische Dogmatik* §§. 201 et 206.

παλιγγενεσίᾳ. Et sane, conditio emendata, si comparatio inter eam et depravatam instituitur, *παλιγγενεσία* dici merebatur. Nunc autem totius loci sensum sic constituere possumus: *vos, qui me secuti estis, ubi conditum erit Regnum Messianum, ejusque cives ex depravato in meliorem statum reducti erunt, etiam vos, inquam* [1]), *mercedem accipietis omnium, quae, mea causa, tolerastis et perpetrastis.*

Alter locus, in quo legitur vocabulum *παλιγγενεσία*, reperitur *Tit.* III: 5, *ἔσωσεν ἡμᾶς* (scil. *ὁ Θεὸς*) *διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας*. Non est, quod a vulgari interpretatione, [2]) cum Töllnero aliisque, recedamus, qui, quum vocabulo *λουτροῦ* baptismum indicari negent, illud explicant *emendationem*, *figurate denotatam.* Provocant, e. c. ad 1 *Cor.* VI: 11. Paulum vero etiam hoc in loco, verbo *ἀπελούσασθε*, baptismi ritum spectasse, recte monent Grotius, Palmius, Rückertus et Wettius. Vocabulum *λουτρόν* sine dubio baptismum denotat. Huic autem subjectum est vocabulum *παλιγγενεσίας*, ut manifestum fiat, et quaenam baptismi indoles sit, et quo ille tendat. Quid autem Apostolus hujus vocabuli usu sibi voluerit, in promptu est. Loquitur enim de istiusmodi mutatione, qua peracta, novus plane evadit homo, nova prorsus cogitando, sentiendo, sectando, agendoque se commendans, qui, quum antea non nisi inter pravos et impios habitus sit, nunc justis et probis annumeratur. Paulo revera ejusmodi ho-

---

[1]) Pronomen *ὑμεῖς* Emphaseos causa repetitum est. Cf. Winerus l. l. pag. 693.

[2]) Huic vulgari vocabuli *λουτροῦ* interpretationi calculum suum adjecerunt Interpretes longe plurimi, Calvinus, Grotius, Bengelius, Heinrichsius, Palmius, Matthiesius, Wettius, Harlessus, ad *Eph.* V: 26, et van der Willigen l. l. p. 81.

minis instaurationem in mente fuisse, omnis ejus oratio docet. Quales autem homines, quos significat pronomine ἡμεῖς [1]), fuissent, antequam fide Christum amplecterentur, docuit vs. 3. Sed Deus, qua est benignitate et clementia, ab istorum vitiorum maculis eos liberaverat, cura sua provida ad Christum eos adducendo. Christum amplexi erant, et, baptismi ritu sacris ejus initiati, non amplius peccato serviebant. Quo ad intelligendi volendique facultates ita erant emendati, ut denuo veluti nati essent. His autem Apostolus, eodem tenore, addidit: καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, quae verba, aeque ac praecedens παλιγγενεσίας, a nomine λουτροῦ pendent [2]) et sine dubio statum hominis omne, quod bonum et honestum est, sectantis indicant. Ἀνακαίνωσις est renovatio, per quam quis in alium statum, prorsus novum, transfertur, quod confirmatur etiam adjectis πνεύματος ἁγίου, quo genitivo Spiritus Sanctus indicatur, utpote causa efficiens. Cff. Matthiesius et Wettius.

Sequitur nunc locus classicus *Joh.* III: 3, sqq. Sufficiet ex hoc colloquio Jesu cum Nicodemo [3]) breviter illustrare,

---

1) Pronomen ἡμεῖς quosnam homines indicet, intelligitur ex vs. 3, ubi Paulus scripsit: ἦμεν γάρ ποτε καὶ ἡμεῖς, *eramus enim aliquando etiam nos*, quorum verborum interpretatio pendet ab interpretatione pronominis αὐτοί, versu 1. Hoc enim pronomen, si spectat sectatores Christi Cretenses, versu 3 homines denotari necesse est ex Judaeorum societate ad Christum perductos. Si vero, quod multo magis probabile est, pronomen spectat Cretenses, nondum Christi sectatores factos, sequitur, Paulum, vs. 3, ante oculos habuisse sectatores Christi generatim sumtos.

2) Cum praepositione διά haec verba junxerunt Grotius, Palmius et alii.

3) Praeter ea, quae in commentariis ad Euangelium Johannis congesserunt viri docti, in hoc Jesu cum Nicodemo colloquio ope-

quae cum disputationis argumento arcte cohaerent. Imprimis illustranda est formula *ἄνωθεν γεννηθῆναι*, quae reperitur vss. 3 et 7. Assentior Interpretibus, qui adverbium *ἄνωθεν* vertendo reddunt *superne* atque explicant *coelitus*, *a Deo*, *divinitus*. Aliter quidem censent multi viri docti, formulam *ἄνωθεν γεννηθῆναι* eandem habentes ac verbum *ἀναγεννᾶσθαι*. [1]) Argumenta tamen, quibus hanc interpretationem tueri conantur, ejus ponderis non sunt, ut a vulgari adverbii notione discedere cogamur. Sunt potissimum duo. Ajunt nempe se non intelligere, quomodo Nicodemus ad verba Jesu respondere potuerit, ut respondit, nisi Graecum *ἄνωθεν* ei idem esset ac Latinum *rursus*. [2]) Sed ex eo, quod simpliciter rogabat: *πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι, γέρων ὤν*, apparet, Nicodemum Graeco illi *ἄνωθεν* notionem dedisse *coelitus*. Infantiam autem suam prodebat, verbum Jesu proprie sumendo. Probe quidem sciebat, illud *γεννηθῆναι*, si fieret, *a Deo* proficisci debere; at vel sic absurdam habebat sententiam, a Jesu propositam. Fortasse quis sic occurret, alteram rogationem Nicodemi hanc esse: *μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν καὶ γεννηθῆναι*. Sed temere agunt, qui in vocabulo *δεύτερον* praesidium quaerunt, ac si illud substitutum sit pro praecedente *ἄνωθεν*. Junctum enim

---

ram collocaverunt haud pauci Interpretes et Theologi, quos recenset Hase, *Leben* Jesu ed. 3 §. 54 nota m., quibus nuper accessit W. Jelgersma, *Diss. Theol. inaug. de* Jesu *cum* Nicodemo *colloquio*.

[1]) Sic Calvinus, Beza, Grotius, Palmius, Wettius, Borgerus, *De const. et aequab. J. C. indole etc.* p. 115 sqq. van der Willigen l. l. pag. 87 sqq.

[2]) Haud ignoro quidem, sermonem Jesu fuisse Aramaeum, sed sumere nunc licet, eum usum esse vocabulo, quod responderet Graeco *ἄνωθεν*.

non est cum *γεννηθῆναι*, sed cum *εἰσελθεῖν*. Causa autem est in promptu, cur Nicodemus conjunctim dixerit *δεύτερον εἰσελθεῖν*. Nam, quum dicto Jesu *ἐάν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν* sensum proprium subjiceret, non aliter fieri poterat, quin sibi reditum in sinum matris proponeret. Alterum, ad quod dissentientes provocant, cernitur in usu adverbii *ἄνωθεν*, *Gal.* IV: 9, ubi legimus: *νῦν δέ, γνόντες Θεὸν — πῶς ἐπιστρέφετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε.* Ibi hoc adverbium, quum praecedat *πάλιν*, nihil aliud quam *rursus* significare et redundare monent. [1]) Sed, ut hic Pleonasmus temere fingitur, ita falsam vocabulo *ἄνωθεν* tribuunt notionem, qui illud, aeque ac *πάλιν*, vertendo reddi jubent: *rursus*. Recte omnia procedunt, si modo interpretemur: *qui fieri potest, ut vos, qui nunc Dei cognitione imbuti estis, rursus revertamini ad elementa infirma et tenuia, ut iis rursus* (*πάλιν*) *servire cupiatis, et quidem initiis repetitis.* (*ἄνωθεν*). [2]) Ergo nulla causa est, quae impediat, quominus dictum Jesu interpretemur: *nisi qui nascatur de coelo.* Adverbium enim *ἄνωθεν* absque omni dubio hanc notionem habet *Joh.* III: 31: XIX: 11 et alibi in N. T. Similiter apud Clementem *Alexandrinum*, *Cohortat. ad Gentes*, ed. Oxon. 1715. p. 3: *Κατάγωμεν δὲ*

[1]) Borgerus ad h. l. Rückertus et haesitans quoque Wettius. Adverbia *πάλιν ἄνωθεν* conjunctim exstant: *Sap.* XIX: 6: *ὅλη γὰρ ἡ κτίσις ἐν ἰδίῳ γένει πάλιν ἄνωθεν διετυποῦτο;* nec tamen alterutrum redundat.

[2]) Sic Bretschneiderus in Lex. Winerus l. l. p. 685 et Usteri, *Commentar über den Brief* Pauli *an die Galater*, aliique. Vocabulum *ἄνωθεν* proprie significat *ab alto*; hinc vel *a coelo*, vel *ab initio*, ut *Luc.* I: 3; *Act.* XXVI: 5. Eandem igitur vim habet formula *πάλιν ἄνωθεν* ac *πάλιν ἀπ' ἀρχῆς*, quam Graeci, variis locis, usurparunt, ut docet Borgerus ad h. l.

ἄνωθεν ἐξ οὐρανῶν ἀληθειαν ; Chrysostomus, *Operum Tom.* III. p. 371, Edit. Montef., de commutatione Pauli Apostoli : *Οὐκ ἔστιν ἀνθρωπίνη τις, ἀλλ' ἄνωθεν καὶ ἐκ τῶν οὐρανῶν ἔλαβεν τὴν ἀρχήν.* — Formula *γεννηθῆναι ἄνωθεν* non differt a *γεννηθῆναι ἐκ τοῦ Θεοῦ*, dicendi formula Johanni usitatissima. Cff. I : 13, 1 *Joh.* II : 29, III : 9, IV : 7, V : 1, 4, 18. Qui loci omnes spectant animi mutationem, Deo auctore peractam. Quid autem Jesus in collocutione cum Nicodemo sibi vellet, ipse declaravit vs. 5, dicens *ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος.* Sed sensus etiam horum verborum explorandus est. Grotius aliique iis Hendiadyn inesse contendunt ; sed hodie constat, duo vocabula, per copulam *καὶ* conjuncta, Hendiadyn non admittere, nisi haec copula explicari possit *nempe* [1]). Mittimus sententias multo minus probabiles [2]). De eo inter se Interpretes recentiores fere omnes [3]) consentiunt, Jesum memorando *τὸ γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος* spectasse baptismum. Et recte. Hunc enim ritum vocabulo *ὕδωρ* passim denotari, varii Sacrarum Literarum loci probant. Cff. *Eph.* V : 26. *Hebr.* X : 22. 1 *Joh.* V : 6. — Formula *γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος*, quoad sensum, non multum differt a formula *λουτρὸν παλιγγενεσίας* (*Tit.* III : 5), pariter indicans illam mutationem, qua homo, maculis et sordibus animi vitaeque ante actae abstersis, denuo veluti nascitur, cujus regenerationis nota externa est baptismus. Sicut in loco ex Epistola ad Titum verbis *λουτροῦ παλιγγενεσίας* adduntur

1) Cf. Fritzschius, *Euangel. Matthaei* etc. Tom. I. Excursu IV. pag. 853.

2) Vide ejusmodi sententias apud Wettium ad h. l.

3) Excipiendus enim est Tholückius, *Commentar zu dem Euangelio Johannis.*

καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, sic hoc loco sequuntur καὶ πνεύματος. Mens Jesu autem intellectu paulo est difficilior. In auxilium voco, quae vs. sq. dixit: Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστιν, unde sequitur πνεῦμα esse id, quod σαρκί oppositum est. Quid autem est σάρξ? Cave illud confundas cum vocabulo σῶμα, a quo probe distinguendum est. Est nimirum σάρξ id, quod in homine, quippe naturae seu conditionis animalis, fragile est et debile; unde facile transfertur ad illas animi affectiones et cupiditates, quae ex hac debilitate oriuntur. Hoc sibi volens Jesus Nicodemum alloquitur verbis τὸ γεγεννημένον κ. τ. λ. Ergo πνεῦμα, τῇ σαρκί oppositum, dicitur de eo, quod in homine est Divinum, quo moralitatis capax redditur, et quod nunquam perit, quippe immortale. Jam, quemadmodum γεννηθῆναι ἐκ σαρκός est: *natum esse e carne, tamquam ex elemento debili, vitiorum omnium fonte*, sic γεννηθῆναι ἐκ πνεύματος est: *elemento illo Divino, unde oriuntur omnia, quae bona sunt et pulchra, ita imbutum esse, ut se homo pietatis et virtutis acerrimum praestet sectatorem.*

Pervenimus ad *Jac.* I: 18. Nexus hujus loci cum praecedentibus non difficilis est. Auctor supra monet: immerito contendunt nonnulli, Deum, ferendo, homines ad prava sollicitari, lapsus eorum auctorem esse. Ipse enim est sanctissimus, et quidquid ab eo descendat bonum est et praeclarum; nec benignitatis suae eum unquam poenitet. Jam inceptum Jacobus sic persequitur: *Βουληθεὶς, ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων.* Accuratius autem explorandum est, quid velit Jacobus. Nimirum h. l. auctor singulare proponit benignitatis Divinae documentum. Comparat Deum cum matre, quae partum enititur, dicere

volens: *Deum* Christi *sectatores tamquam produxisse*; cui effato sine dubio hoc etiam inest, illos divinitus a peccati imperio liberatos et pietatis studio impletos esse [1]). Hoc autem effecit Deus *βουληθείς*, i. e. a nemine, nullaque causa impulsus, sed quoniam sibi, pro sua benignitate, ita placebat [2]). Usus autem est *λόγῳ ἀληθείας*, qua formulâ Jacobus idem significasse censendus est ac Paulus, 2 *Cor.* VI: 7. *Eph.* I: 13. *Col.* I: 5, nempe *verbum*, cujus *argumentum est veritas* [3]); quod jure meritoque dicitur de omni verbo a Deo proficiscente, deque omni doctrina, ad religionem divinitus patefactam pertinente. Jacobus vero, ad homines Christianos scribens, illud verbum significavit, quod, a Deo profectum, tradebant Apostoli, cujusque caput ipse erat Christus. Consilium autem, quo eos hoc verbo veritatis pepererat Deus, addit scribendo: *Εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων*, quorum verborum sensum recte intelligere non possumus, nisi prius de notione vo-

---

[1]) Hactenus verbum *ἀποκυεῖν* convenit cum *ἀναγεννᾶσθαι* aut *ἄνωθεν γεννηθῆναι*. Cf. Kern, *Der Brief* Jacobi *untersucht und erklärt*.

[2]) Beneficium illud Divinum *Luc.* II: 14, *Phil.* II: 13 dicitur *εὐδοκία*; *Eph.* I: 5 *εὐδοκία τοῦ θελήματος*.

[3]) Rückertus, ad 2 *Cor.* VI: 7, *Euangelium* significari ait, quatenus est *λόγος*, qui, per excellentiam, *ἀληθείαν* continet. At si Apostolo eadem erant *λόγος ἀληθείας* atque *τὸ εὐαγγέλιον*, haec illis addendo in aliis locis laudatis, supervacaneum quid egisse videtur. *Λόγος ἀληθείας* generatim est *verbum, cujus argumentum est veritas;* et hactenus formula illa egregie convenit Euangelio. Cff. Wettius ad 2 *Cor.* VI: 7; Harlessus ad *Eph.* I: 13. — Missam facio interpretationem eorum, qui interpretantur *λόγος ἀληθής* aut *ἀλήθεια τοῦ λόγου*. Ejusmodi enim interpretandi ratio hodie explosa est.

cabuli ἀπαρχή constiterit. Haud pauci Interpretes contendunt, vocabulum ἀπαρχή figurate usurpari de eo, quod in suo genere est nobilissimum praestantissimumque, et hunc locum interpretantur: *ut simus nos praestantissimi nobilissimique inter creaturas, ratione praeditas;* quod improbandum est ubi hoc volunt, ipsum vocabulum ἀπαρχή hanc notionem habere. Ubivis enim in N. T. indicat *id, quod ordine primum est et cum primitiis frugum comparandum.* Haec notio praesertim appareret *Rom.* XVI: 5 et 1 *Cor.* XVI: 15, ubi verba ἀπαρχὴ τῆς Ἀσίας (sic enim cum Griesbachio, Lachmanno et Tischendorfio legendum est), et ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαίας nihil aliud significare possunt, quam *sectatores* Christi *in Asia et Achaïa ordine primi*[1]). Sic oratio Jacobi recte

---

[1]) Cf. Rückertus, ad utrumque locum. Operae pretium erit obiter perlustrare reliquos locos, in quibus vocabulum ἀπαρχή reperitur. *Rom.* XI: 16, ubi commode intelliguntur ii, qui ex multitudine Judaeorum *ordine primi*, per Christum, Deo consecrati erant, et ceteros hactenus praecedebant. Si quis vero, cum Grotio, Bengelio, Rückerto aliisque longe plurimis Interpretibus, Patriarchas intelligere malit, vel sic tamen iidem *ordine primi* designantur. Eadem notio tenenda est in loco difficiliori *Rom.* VIII: 23, ubi verba ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες significant: *sed et ipsi, qui dona Spiritus Divini habent ordine prima.* 1 *Cor.* XV: 20 Christus dicitur ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, i. e. *ordine primus eorum, qui placide obierunt;* vs. vero 23 legimus ἀπαρχὴ Χριστός i. e. *eorum, quos Deus in vitam reduxit, ordine primus est* Christus, *quem deinceps plures secuturi sunt. Apoc.* XIV: 4 verba ἀπαρχὴ τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἀρνίῳ nihil aliud significant, nisi *ordine primi Deo agnoque consecrati, quos in posterum etiam alii sequentur.* Restat 2 *Thess.* II: 13. Editio rec. ibi praebet εἵλετο (legendum autem est εἵλατο) ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν. Nec libri tamen spernendi habent ἀπαρχήν, quod probarunt Lachmannus et Tischendorfius. Utrum autem utri

se habet, si verba ejus interpretamur: *ut simus nos quasi primitiae* i. e. *ordine primi eorum, qui Deo consecrantur.* Nec tamen nego, hîc vocabulis ἀπαρχήν τινα significari *electos* vel *eximios.* Metonymia inde petita est, quod sub Vet. Test. eximia fuerunt dona, quae, primitiarum nomine, Deo offerrentur. Idcirco populus Israëliticus *Jer.* II: 3 appellatur: Ὁ ἅγιος Ἰσραὴλ τῷ Κυρίῳ, ἀρχὴ γεννημάτων αὐτοῦ, ubi verba ἀρχὴ γεννημάτων eodem redeunt ac ἀπαρχὴ γεννημάτων. Nemo autem facile infitiabitur, postrema τῶν αὐτοῦ κτισμάτων esse Dei, quae dicuntur, creaturas, ratione praeditas, non vero solos homines Christianos.

Supersunt nobis duo in prima Petri epistola loci: I: 3 et 23, quorum interpretatio paucis absolvi poterit. In illo Petrus Deo gratias agit, quod, pro multiplici sua misericordia, eos, per reditum Jesu Christi ex mortuis, ad hanc mutationem perduxerit (regeneraverit), ut vividam spem haberent; in hoc Petrus scripsit: (Impense vos invicem diligite), quippe qui nunc plane renovati (regenerati) estis, atque id quidem non ex sementi [1]), unde fructus oriuntur corruptelae obnoxii, sed ex sementi, fructus ferente corruptelae non obnoxios, id est, per verbum vivens Dei idemque permanens [2]).

---

praeferendum sit, dirimere non ausim, quamquam vocabulum ἀπαρχήν difficilius est quam receptum ἀπ' ἀρχῆς; sed si pro hoc substituimus illud, Apostoli mens est: *elegit vos Deus ordine primos*, vel *primitiarum instar ad salutem.*

[1]) Recte animadvertit Bengelius, substantivum σπορά non esse semen, sed *ipsam semendi actionem.*

[2]) Apparet, me Griesbachio, Lachmanno et Tischendorfio assentiri, verba εἰς τὸν αἰῶνα, quippe quae ex vs. 25 huc irrepserunt, ex oratione expungentibus.

§ 2.

Usus interpretationis superioris ad ea colligenda, quae huic instituto inserviunt.

In praecedentibus satis dixisse mihi videor, ad interpretandos Sacrarum Literarum locos, in quibus vocabulum *παλιγγενεσία*, vel formula *ἄνωθεν γεννηθῆναι*, vel verbum *ἀποκυεῖν*, vel *ἀναγεννᾶσθαι* legitur. Nunc commonstrare conabor *hujus usum ad colligenda ea, quae huic instituto inserviunt.* Duo hîc in censum veniunt. Probandum enim est, locos supra memoratos eodem spectare atque illos, in quibus sermo est de actione *τοῦ μετανοεῖν*, tum, illis quoque implicite inesse notionem, quam verbo *ἐπιστρέφειν* vindicavimus.

Erunt fortasse, quibus arrideat illud, quod Ven. VAN DER WILLIGEN, l. l. p. 81, scripsit de JESU effato *Matth.* XIX: 28: hujus loci interpretationem nimis esse incertam, quam ut tuto inde colligi possit, quid ibi Servator dicere voluerit. Si vero, quae supra de hoc loco commentatus sum, a vero haud omnino aliena sunt, nonnihil certe, ad rem, de qua hîc quaestio agitur, nobis bene proponendam, lucrabimur. Ostendisse enim mihi videor, ibi statum quendam, pristino longe praestantiorem, induci, quem Messias aliquando allaturus esset. Atque ita jam perspicue duo illa, quae supra indicavi, apparent. Nimirum status praedicitur praesenti longe optabilior, morum quoque spectans emendationem, qua illi simpliciores, puriores, Deoque acceptiores forent. Quod jam congruit cum opinionibus Judaeorum, qui regenerationem, cujus spem animo conceperant, simplicitatem et probitatem priscae aetatis inter homines reducturam pu-

tabant. Nonne igitur Jesus, ubi loquendi sequitur usum, popularibus suis tritum, censendus est hanc morum emendationem ante oculos habuisse? Hactenus ergo ἡ μετάνοια pertinet ad τὴν παλιγγενεσίαν, ab eo memoratam. Quum vero animi vitaeque emendatio produci non posset nisi per Messiam, quem vates antiqui cecinerant morum castigatorem fore, ἡ παλιγγενεσία spectat quoque τὸ ἐπιστρέφειν. Extra Regnum Messianum omnis verae emendationi via occlusa erat. Et hanc Jesu orationem apud Matthaeum talem esse, ut τὸ ἐπιστρέφειν cum τῇ παλιγγενεσίᾳ arcte cohaereat, docent circumjecta, imprimis vs. 29, ubi Servator memorat homines, qui suam ob causam domos, vel fratres, vel sorores, vel patrem, vel matrem, vel uxorem, vel liberos, vel agros relinquent. Quod includit etiam transgressum in Ejus communionem et professionem publicam, Eum Messiam esse. Ceterum animadvertendum est, Jesum de τῇ παλιγγενεσίᾳ locutum esse ad discipulos, homines Judaeos, qui a pueris de ea audivissent. Similiter Petrus, *Act.* III : 21, loquitur de temporibus ἀποκαταστάσεως πάντων, quae dicendi formula notionem mihi habere videtur, haud longe discedentem ab ea, quae τῇ παλιγγενεσίᾳ tribuenda est.

Ad alterum nunc revertamur locum, in quo exstat vocabulum παλιγγενεσία : *Tit.* III : 5, ubi vidimus Apostolum significasse animi vitaeque emendationem. Haec autem emendatio dici nequit, quam necessaria fuerit illius aetatis hominibus, quorum et animus a Deo alienus et vita commaculata vitiis fuerat. Tunc enim, qui nunc ad meliorem mentem reversi erant, fuerant (vs. 3) ἀνόητοι, *insipientes* i.e. *mente obcoecati* (Cff. *Act.* XXIV : 25, *Gal.* III : 1) ; ἀπειθεῖς, *obedire nolentes*, nempe magistrati-

bus, quod non expressum est, sed intelligitur [1]); *πλανώμενοι, errantes*, quod, utpote oppositum superiori *τῷ πειθαρχεῖν*, esse videtur huc et illuc vagantes, sine lege aut religione [2]); *δουλεύοντες ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις, servientes cupiditatibus et voluptatibus variis*, ideoque inepti ad *πᾶν ἔργον ἀγαθόν* [3]); *ἐν κακίᾳ καὶ φθόνῳ διάγοντες, in malitia et invidia vitam agentes*, neque igitur tales dici possent *μηδένα βλασφημεῖν* et *ἄμαχοι εἶναι; στυγητοί, detestatione digni*, atque ita longe remoti ab iis, quorum *ἐπιείκεια* praedicatur [4]); postremum *καὶ μισοῦντες ἀλλήλους, odio se invicem habentes*, quorum indoles valde differebat ab eorum indole, qui praestabant *πᾶσαν πραΰτητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους*. Patet ergo, homines, de quibus agit Apostolus, antequam ad Christi communionem accesserant, a pietate et virtute longe remotos fuisse, unde necessitas

---

1) Cff. Heydenreichius et Matthiesius. Wettius tamen vocabulum *ἀπειθεῖς* explicari jubet: *obedire nolentes Deo*, propter I: 16. Sed oratio illa remotior ab hoc loco est, quam ut causam praebere possit vocabulum sic definiendi. Satis perspicuum est, illud appositum esse verbis *ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι*, vs. 1, quemadmodum omnia, quae vs. 3 leguntur, iis opposita sunt, quae exstant vs. 1 et 2.

2) Idolorum cultum hîc potissimum significari, contendunt Grotius et Heinrichsius. Perperam puto: nam aegre tunc Paulus scribere poterat *ἡμεῖς*.

3) Vocabulum *κακία* vulgo quidem generale quid denotat omnem sc. nequitiam; h. l. tamen, et alibi passim e. c. *Eph.* IV: 31 (Cf. ibi Harlessus), speciem designat.

4) Adjectivum *στυγητός* est *ἅπαξ λεγόμενον*. Secundum normam verbalium in *τός* desinentium, passivam vim habet, respondens Latinorum adjectivis in *bilis* aut participiis in *tus*. Cf. Winerus, l.l. p. 107. Minus recte igitur Palmius scripsit: *odio pleni*.

τοῦ μετανοεῖν, qua illi adstringerentur, sponte sequitur. Hanc autem animi mutationem jam subierant. Deus enim eos ἔσωσεν, i. e., ut recte annotavit Palmius, *eripuit* eos e turpitudine pristina, et quidem ad Christi communionem eos adducendo, quod satis elucet ex eo, quod lavacrum regenerationis et Spiritus Sancti renovationem subierant. Nam ut omne, quod hoc in versu exstat, sic etiam quae his duobus vocabulis παλιγγενεσία et ἀνακαίνωσις denotantur, antea iis dicuntur contigisse, et eo quidem tempore, quo aliunde ad Christi societatem transgrederentur. Quae quum ita sint, utrumque τὸ μετανοεῖν et τὸ ἐπιστρέφειν hoc loco significatur.

Ex oratione Jesu *Joh.* III: 3 sqq. probatu haud difficile est, quod probandum nobis proposuimus. Eadem hîc revera indicatur actio, quae verbo μετανοεῖν praescribitur. Provocamus ad ea, quae supra disputavimus de formula γεννηθῆναι ἄνωθεν, eam non differre a formula γεννηθῆναι ἐκ τοῦ Θεοῦ, et verbis γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος ulterius explicari ostendentes. Jam in tota Jesu oratione animi necessitas docetur, quin etiam praecipuum colloquii, quod cum Nicodemo habuit, argumentum, in hac necessitate commonstranda potissimum versatur. Huic igitur Ejus consilio quam maxime accommodatum est grave illud initium: Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ κ. τ. λ., quo auditorem in mediam rem rapit. Auditor vero ille summi doctoris praeceptum haud intellexit, non quoniam verba, quibus hoc praeceptum enuntiabatur, minus perspicua ipsi fuerunt; probe enim scire poterat, Jesum de animi emendandi studio summopere necessario agere; non vero sentiebat se hac lege obstrictum esse, et nihil aliud ei restabat quam verbis alienum sensum tribuere. Ea igi-

tur proprie explicabat; sed nunc sibi videbantur continere quod absurdum erat. Nam ut Judaeus quivis, sic Nicodemus quoque degentibus quidem asseverare solebat, istis necessarium esse τὸ γεννηθῆναι ἄνωθεν; ejusmodi vero quid in Abrahami nepotes minime cadere jactabant. Hoc opinionum praejudicatarum vinculo imprimis tenebantur doctores sectae Pharisaeorum, qui hanc ob causam baptismum Johannis subire recusaverant, quod ille erat βάπτισμα εἰς μετάνοιαν; Jesus igitur Nicodemum reprehendit, quod credere nolebat, hanc animi emendationem Judaeis necessariam esse. Sed animum attendamus ad locos, in quibus Johannes formulam γεννηθῆναι ἐκ τοῦ Θεοῦ exhibet. Quid enim clarius est quam haec: Πᾶς ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην ἐξ αὐτοῦ γεγέννηται: 1 *Joh.* II: 29; Πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Θεοῦ ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ, — καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν, ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται: III: 9 et simile V: 18; Πᾶς ὁ ἀγαπῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται καὶ γινώσκει τὸν Θεόν: IV: 7? [1]) Ex his autem locis si recte cogimus τὸ γεννηθῆναι ἐκ τοῦ Θεοῦ indicare *divinitus ita affici, ut quis peccato moriatur et pietati ac virtuti vivat*, apparet, formulae γεννηθῆναι ἄνωθεν idem quoque inesse; unde sequitur, inter hanc formulam et τὸ μετανοεῖν arctam necessitudinem intercedere. Nec minus Jesu, quum dicebat ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, ante oculos obversatum est illud, quod τὸ ἐπιστρέφειν alibi continere vidimus. Hoc scilicet animadverti volumus, Jesum hoc in eodem

---

[1]) Huc referri quoque possunt loci formulam exhibentes: ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι: 1 *Joh.* III: 10. IV: 2. 4. 6. V: 20. Nec, quo ad sensum, differt τέκνα τοῦ Θεοῦ εἶναι: Ibidem II: 1. 2. 10. Cf. van der Willigen, l. l. p. 127 sqq.

sermone memorasse τὸ γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος, quod jam demonstravimus, indicare baptismi ritum atque ita notam τῆς ἐπιστροφῆς externam. Huc quoque pertinere verba Jesu ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ (vs. 3), facile mihi concedet, quicumque viris doctis calculum adjiciat, ubi hanc dicendi rationem interpretantur: *intueri in Regnum Dei, ab ipso* Jesu *conditum.* In hoc enim Regnum nemo intueri poterat, nisi praejudicatis opinionibus vacuus et fidem ponens in Ipso hujus Regni Conditore, divinitus misso et instructo. Quod si ita est, quanto magis illud εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [1]) (vs. 5) pertinet ad τὸ ἐπιστρέφειν, quippe quod ei tantum contingat, qui hanc cum Christo necessitudinem contraxerit, ut Regni Divini civibus adscriberetur. Et hîc rursus rationem τοῦ μετανοεῖν habendam esse, eo efficitur, quod illud μετανοεῖν est conditio, sine qua nemo hujus Regni particeps fieri possit. Elucet igitur, in hac Jesu cum Nicodemo collocutione, τὸ γεννηθῆναι ἄνωθεν, in quo totius orationis cardo vertitur, formulam esse summi ponderis; nec facile quis recusabit assentiri Wettio, monenti: regenerationem, a Johanne lectoribus suis traditam, esse doctrinam altius repetitam quam τὴν μετάνοιαν a Synopticis propositam. Ceterum, quamvis Jesus locutus tantum est ad Nicodemum et Judaeos praesertim ante oculos habuit, perhibere tamen non ausim, Eum, quum diceret ἐὰν μή τις, vs. 3 et 5, hinc exclusisse homines ex Gentibus ortos.

---

[1]) Formula εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ita differt a formula ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, ut haec significet mentis oculis in Regnum Dei intueri, illa vero hujus Regni civem fieri. Cff. Jelgersma, l. l. et van der Willigen, l. l. pag. 111.

Jacobum quoque, I: 18, eadem sibi voluisse, quae aliis in locis Sacrarum Literarum verbis *μετανοεῖν* et *ἐπιστρέφειν* denotantur, cuivis in oculos incurrat necesse est, qui animadverterit, eum consulto regenerationem, a Deo peractam, in medium attulisse, ut hinc argumentum peteret, quo ad vitam pietatis et virtutis lectores suos incitaret. Cff. inprimis vs. 21 et sq. Scripsit autem *λόγῳ ἀληθείας* ad significandum, regenerationem illam, qua lectores sui nunc gauderent, unice repetendam esse a cura illa provida, qua Deus, per Euangelii cognitionem, eos ad Christi communionem adduxisset. Quid aliud autem hoc est, quam eos, postquam *τῇ μετανοίᾳ* se dedissent, pervenisse quoque ad *τὴν ἐπιστροφήν*? — Sed Jacobus aoristi usu ad tempus praeteritum oculos lectorum, Christo jam addictorum, convertit, ut rei jam peractae eos commonefaceret.

Ejusdem temporis praeteriti memoriam renovavit Petrus 1 *Ep.* I: 3, 23, illic scribens *ἀναγεννήσας*, hîc *ἀναγεγεννημένοι*. Priori in loco egregie natura et indoles *τοῦ ἀναγεννᾶσθαι* se produnt iis, quae versum 3 sequuntur. Regeneratione divinitus peracta, spem vividam beatitatis promissae adepti erant, propositis sibi bonis, nec corruptelae, nec maculae obnoxiis, nec marcescentibus, quae, hereditatis instar, iis custodirentur in coelis. Haec tantum exspectare poterant homines, quos regeneraverat Deus, ut ipsius filii essent, nullo modo tales, qui *ἁμαρτωλοί* dici merebantur, quod probe noverant hujus epistolae lectores; et si fortasse iis intererant, quibus hac de re non omnino esset persuasum, ipse Petrus, superioribus continuo adjiciens *τοὺς ἐν δυνάμει Θεοῦ φρουρουμένους διὰ πίστεως*, meliora eos edocuit. Atque sic etiam egit in oratione sequenti, inprimis inde a vs. 13, ubi legitur comme-

moratio vitae, qua se antea contaminaverant, sordidissimae. Ita nempe se gesserant, ut nunc curare deberent, ne essent *συσχηματιζόμενοι ταῖς πρότερον ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ἐπιθυμίαις* (vs. 14) et ostendere, se liberatos esse *ἐκ τῆς ματαίας ἀναστροφῆς πατροπαραδότου* (vs. 18). Contra excitantur ad imitandam Dei sanctitatem (vss. 15—17) et animos ad sinceram caritatem mutuam consecrandos, ita ut semet invicem ex corde puro impense diligerent (vs. 22). Jam his monitis Apostolus, ad illud, quod vs. 3 dixerat, rediens, lectores suos appellat *ἀναγεγεννημένους*. Huic autem appellationi inesse declarationem, eos ad *τὴν μετάνοιαν*, iis necessariam, pervenisse, tota, quam perlustravimus, oratio docet. Nec minus Petrum, quum scriberet *ἀναγεννήσας* et *ἀναγεγεννημένοι*, rationem habuisse *τοῦ ἐπιστρέφειν*, intelligitur ex circumjectis. Jam vs. 1 homines, ad quos suam epistolam misit, vocat *electos*, quo titulo ubique in N. T. designantur illi, qui ad Christi communionem divinitus vocati et perducti sunt. Porro (vss. 5, 7, 9, 21) multus est in laudanda fide eorum, per quam acceperant et accepturi erant beneficia uberrime in eos redundantia, qui Christum amplecterentur. Denique, ubi monet Petrus: *ἀναγεγεννημένοι οὐκ ἐκ σπορᾶς φθαρτῆς, ἀλλὰ ἀφθάρτου διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ καὶ μένοντος*, luculenter ostendit, illam sibi ante oculos obversari regenerationem, ad quam transeuntes ad Christi communionem, per Euangelium, pervenerant.

SECTIO II.

De vocibus formulisque a rerum novitate desumtis.

Disputata de vocibus formulisque, ab hominum natalibus repetitis, excipiat nunc disputatio *de vocibus formulisque a rerum novitate desumtis*. Loci, hac sectione lustrandi, exhibent formulas *καινὴ κτίσις*; *καινὸς ἄνθρωπος*, *νέος ἄνθρωπος*; *καινότης ζωῆς*, *καινότης πνεύματος*; *ἀνακαινοῦσθαι*, *ἀνανεοῦσθαι*, *ἀνακαινίζειν* et *ἀνακαίνωσις*.

Omnium primum illustranda est formula *καινὴ κτίσις*; quod ut ex voto succedat, a vocabulo *κτίσις* ordiamur necesse est [1]). Etymologia in auxilium vocata, apparet, illud proprie significare *ipsam creandi actionem*, *creationem*. Negari tamen nequit, per Metonymiam, *ipsas* nonnunquam *res creatas*, *creaturas* intelligendas esse, e. c. *Rom.* I: 25, VIII: 19, 20, 21, 22, 39, et sigillatim quidem *creaturas ratione praeditas*, uti *Marc.* XVI: 15, *Col.* I: 23 [2]). Nec tamen ad Metonymiam confugiendum est,

---

[1]) De voce *κτίσις* equidem non multis hoc loco agam, quum copiose de ea disputaverit J. R. Wernink, *Comment. ad Rom.* VIII: 22. pagg. 6—40, inprimis pag. 25 sqq.

[2]) Rückertus ad 2 *Cor.* V: 17 scripsit: Est nova *creatura*; ad *Gal.* VI: 15 annotavit, vocabulum *κτίσις* tam *creationem* quam *creaturam* significare posse, provocans ad ea, quae ad *Rom.* VIII: 19 in medium attulerat. Ibi autem excitat *Rom.* VIII: 39, 2 *Cor.* V: 17, *Gal.* VI: 15, *Col.* I: 15; *Hebr.* IV: 3, *Apoc.* III: 14, et in his locis praesidium quaerit ad notionem *creaturae* defendendam. Nos etiam in sermone vitae communis, res creatas significantes, nonnunquam, per abusum tamen, de *creatione* loquimur. Circumjecta ubivis docent, quaenam notio orationi maxime conveniat. Nusquam vero perinde est, quomodo vocabulum

nisi adeo urgente oratione contexta, ut propria hujus vocabuli notio plane stare nequeat. Videamus igitur utrum utri, in locis, in quibus legitur formula *καινὴ κτίσις*, 2 *Cor.* V: 17, *Gal.* VI: 15, sit praeferendum. Incipio ab effato Pauli, *Gal.* VI: 15, quippe faciliori. Ait Rückertus, perinde esse, sive vocabulum *κτίσις* explicetur *creatio* seu *creatura*, nec certo illud definiri posse. Hoc vero illi praefert; quoniam, ut asseverat, in loco simili (2 *Cor.* V: 17) notio *creaturae* tantum valet. Vehementer tamen dubito, an vir doctus rem acu tetigerit. Paulus enim in protasi non personas sed res memorat; longe igitur praestat in apodosi rem intelligere, quam personam. Similiter *Gal.* V: 6 Apostolus vocabulo *πίστις*, quum illud opponeret vocabulis *περιτομή* et *ἀκροβυστία*, *ipsam* denotavit *fidem*, non *homines fidem habentes*. Accedit fortasse, quod, si hoc loco scribamus *creatura*, languescant, quae ex animo fervidiori profecta sunt. Notionem propriam idcirco retineo et formulam *καινὴ κτίσις* vertendo reddo: *nova creatio*, i. e. *rerum ordo plane novus, divinitus repetendus*. Cf. Palmius. Quae interpretatio si bene se habet, jam verisimillimum est, alterum locum, 2 *Cor.* V: 17, eandem hanc interpretationem postulare. Nec video quid obstet, quominus hîc etiam *creationis* notionem teneamus et orationem explicemus: *nova in eo cernitur creatio divinitus peracta*. Erunt fortasse, qui mihi objiciant, quum hîc praecedat pronomen *τίς*, Apostolo per-

---

κτίσις vertendo reddatur. Verte, quaeso, *Marc.* XVI: 15 *creationem* et absurdi quid tibi habebis; rursus autem *creaturam* X: 6; non intelligeris. Ceterum vocabulum *κτίσις* est vox notionis late patentis, cujus tamen limites in locis codicis N. T. nec nimis sunt proferendi, nec nimis anguste coarctandi. Cff. Wernink, l. l. p. 28 sq. Wettius ad *Rom.* VIII: 19.

sonam in mente fuisse, cui propria vocabuli κτίσις notio minus conveniat. Equidem vero urgere nolo, auctorem oratione figurata usum esse, in qua ejusmodi negligentia haud insueta est; sed respondeo, breviloquentiam hîc esse, sic explicandam: *si quis est in* Christi *communione, in eo est nova creatio.* Nunc autem exploremus, quaenam utroque in loco sit vis adjectivi καινή; quae tum demum sentietur, si perspiciamus orationem contextam. Incipio hîc etiam ab iis, quae scripsit Paulus ad Galatas. Particula ἀλλά indicio nobis est, in praecedentibus jam memorari, quod novae illi creationi oppositum est, nempe illud: οὔτε περιτομή τι ἔστιν [1]), οὔτε ἀκροβυστία. Vocabula περιτομή et ἀκροβυστία indicant homines Judaeos et Gentes exteras, eaque metonymia usus est Apostolus, quoniam circumcisio et praeputium signa erant externa, quibus illi a se invicem distinguebantur. Cff. *Gal.* II: 7, 8. *Eph.* II: 11 [2]). Circumcisioni et praeputio adumbrata erat imago veteris conditionis, quam nova creatio exceperat. Pristina illa habebat permulta, quae in reprehensionem incurrerent, etiam καύχησιν illam ἐν σαρκί, seu gloriationem in carne (vss. 12 et 13.), quae Judaeis tamquam fons erat superbiae, intolerantiae etc. Novam autem illam conditionem quum communio Christi Jesu attulerat, vetera, quae antea in deliciis fuerant, adeo in vituperationem vertebantur, ut quisque Christi sectator, abjectis iis, nova quoque sectaretur, [3]) atque hac ex par-

---

[1]) In Ed. rec. legitur ἰσχύει, quod e capite V: 6 huc irrepsit, at recte a Griesbachio, Lachmanno, Tischendorfio aliisque editoribus in ἔστιν commutatum est.

[2]) Vide etiam Glassium, l. l. pag. 888, ubi agit de metonymia signi pro signato.

[3]) Cf. *Phil.* III: 3 sqq.

te nova illa conditio *nova creatio* dici merebatur, conspicua virtutibus variis, ex animo, Dei et Christi studioso, profectis [1]). Jam satis igitur apparet, formulam *καινὴ κτίσις* comprehendere etiam *τὸ μετανοεῖν*, quatenus nempe in ea creatione est *animi ad vitam sanctiorem emendati* significatio. Cf. Borgerus. Quod egregie insuper confirmatur iis, quae Paulus, versu antecedenti, scripserat: *ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ* [2]) *ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ (τῷ) κόσμῳ.* Sed haud secus formulae illi inest *τὸ ἐπιστρέφειν*, quatenus nova haec creatio nemini, nisi in Christi communione, contingit. In simili oratione (V: 6) ipse Apostolus hanc suam mentem explicavit, scribendo: *ἀλλὰ πίστις δι' ἀγαπῆς ἐνεργουμένη.* Arctam enim necessitudinem, quae, secundum doctrinam N. T., inter *τὴν πίστιν* et *τὴν ἐπιστροφήν* intercedit, supra jam ostendimus.

Difficilior est quaestio, quid 2 *Cor.* V: 17 sit *καινὴ κτίσις.* Sequitur quidem *τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ, γέγονε καινὰ (τὰ πάντα);* sed hoc tale est, ut haud multum lucis afferat. Ergo oculos convertere debemus ad superiora, et quidem ad ea, quae leguntur vss. 15 et 16. Versu 15 monet de Christo Apostolus: *Ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν*, i. e. *in omnium commodum mortuus est* (Christus), *ut, qui vivunt, non amplius sibi vivant*, i. e. *sibi vivere desinant.* Priusquam igitur ad Christi communionem adducti erant,

---

[1]) Cff. Borgerus, Palmius, Rückertus, Wettius et alii.

[2]) Quaestio est, utrum pronomen *οὗ* referendum sit ad proxime praecedens *Χριστοῦ*, cum Grotio, Palmio, Wettio, an vero, cum Theodoreto, Calvino, Bengelio, Ustero, Rückerto, ad remotius *σταυρῷ*. Huic illud praeferendum videtur.

sibi vixerant, i. e., non, ut Grotio placuit, *ex suo arbitratu*, sed, ut recte vidit Rückertus, *in sua commoda, sui unice amantes*. Carpit igitur Apostolus pravam illam *φιλαυτίαν*, quae Corinthiis hanc fraudem fecerat, ut totos se cupiditatibus rerum externarum dederent. Sic autem pergit, vs. 16: *Ὥστε ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα*. Dubio caret, quin Apostolus, haec scribens, spectaverit aliquid reprehendendum, quod antea exstaret. Pronomen *ἡμεῖς* alii aliter exponunt; sed sequendi videntur Interpretes, qui significari putant: *vos et ego, qui* Christo *addicti sumus*. Cf. Wettius. Formula *ἀπὸ τοῦ νῦν* dicere vult: *ab eo tempore, quo incepimus non amplius nobis vivere*. Paulus nempe, nondum immemor verborum *μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν*, tempus praeteritum hîc praesens fecit. Cf. Rückertus. Vocabula *κατὰ σάρκα* arcte cum verbo *οἴδαμεν* (et sic infra cum verbo *ἐγνώκαμεν*) jungenda esse, opportune monent Interpretes [1]). Notionem vocabuli σάρξ jam vidimus hanc esse, ut sit illud, quod in homine fragile est et debile, et hinc transferatur ad animi affectiones et cupiditates ex vi sensuum externorum ortas. Ergo, agere aliquid *κατὰ σάρκα* est: hoc ita agere, ut in hominem dominentur affectiones et cupiditates illae, quibus tandem ad prava quaevis impellatur. Jam verbum *οἴδαμεν* non tantum significat *cognoscere*, sed etiam *agnoscere*, *aestimare* [2]). Paulus igitur scribendo: *Οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα* hoc sibi voluit: *neminem aestimamus propter commoda*

---

[1]) In his Bengelius, Rückertus, Wettius et van der Willigen, l. l. p. 137.

[2]) Cff. c. c. *Matth.* VII: 23, *Joh.* XVII: 3, 1 *Cor.* VIII: 3, 2 *Tim.* II: 19, *Hebr.* XIII: 23.

ejus externa ; originis , nobilitatis , opulentiae , elegantiae sermonis nullam rationem habemus ; nunc vero pactionem fecimus , non amplius nobis vivendi, sed vitam consecrandi Christo , *qui pro nobis mortuus et in vitam revocatus est.* Quid vero significant ea , quae auctor cum his connexuit, scribens : *Εἰ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστὸν , ἀλλὰ νῦν οὐκέτι γινώσκομεν* ? Wettius , varias virorum doctorum sententias recensendo , otium mihi fecit , multa de his verbis disputandi. Quae supra de notione verbi *οἴδαμεν* monuimus , hîc etiam in censum veniunt, ad vim verborum *ἐγνώκαμεν*, *γινώσκομεν* definiendam. Alterum , in perfecto positum , significat *aestimationem temporis praeteriti* , alterum *aestimationem praesentem.* Priori , in editione recepta , praepositae sunt particulae *εἰ δὲ καὶ* ; sed media *δὲ* , cum Lachmanno , Tischendorfio , Meyero , Rückerto et Wettio, delenda esse videtur ; posteriorem *καὶ* copulandam esse puto cum nomine *Χριστός* , quod Paulus , nisi fallor , opposuit superiori *οὐδένα*, efficacitatis causa alterum verbo et connexis praemittens , alterum subjiciens. Itaque sensus orationis verisimiliter est : Si in aestimando etiam Christo rationem habuimus rerum externarum , hoc antea factum ; sed nunc non amplius ita aestimamus. Atque ita , illustratis iis , quae , versibus 15 et 16 , praecedunt , ab omni parte patebit , quid *novae creationis* appellatio contineat. Ducit nempe ea ad duo tempora comparanda : olim sibi tantum vixerant , qui , accepto Euangelio , pactionem fecerunt vivendi Christo ; antea quemvis aestimaverant propter externum ejus splendorem , nunc eodem loco et numero habebant, quotquot in communione Christi erant ; antea Christum spreverant , obcoecati rerum fluxarum et caducarum amore , nunc nihil ejus generis eos

impediebat, quominus veram Christi majestatem agnoscerent. Hinc sponte sua intelligitur, Paulum actionem et τοῦ μετανοεῖν et τοῦ ἐπιστρέφειν spectasse. Utrumque enim orationi ejus inest: *et* animi vitaeque mutationem peractam *et* veram Dei religionem acceptam esse, fide in Christo ponenda.

Cum formula καινὴ κτίσις convenit formula καινὸς ἄνθρωπος, quae exstat *Eph.* II: 15, IV: 24, cui, *Col.* III: 10, respondet alia, νεὸς ἄνθρωπος. Paucis de his locis disputari instituti ratio jubet.

Paulus, Christi sectatoribus revocatâ conditionis pristinae suae, abjectae et miserae memoriâ (*Eph.* II: 11, 12) huic praesentem opponit, honestam et laetam (13), ad quam adducti erant per communionem Christi, qui statutorum legis Mosaicae auctoritatem sustulerat, ut Judaeos et Gentes inter se conciliaret (14, 15). Postremum illud continetur verbis: ᶜ*Ινα τοὺς δύο κτίσῃ ἐν ἑαυτῷ εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον. Quaestio esse non potest, quosnam significaverit Apostolus scribendo τοὺς δύο. Iidem enim ei ante oculos obversabantur, quos supra, vs. 14, indicaverat vocabulis τὰ ἀμφότερα [1]), et, vs. 11, verbis ὑμεῖς ποτὲ τὰ ἔθνη ἐν σαρκὶ, οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς. Hinc autem facile intelligitur, Apostolum Judaeos et Gentes memorasse. Sic etiam, vs 14, pronomine ἡμεῖς dixit: *nos Judaei et Gentes*; itidem vs. 16 scribens τοὺς ἀμφοτέρους. Paulo difficilior est quaestio, quid sibi velint sequentia: κτίσῃ

[1]) Adjectivo ἀμφότερα nonnulli veteres addi jubent nomen ἔθνη; Grotius γένη. Minus recte. Neutrum enim de Judaeis usurpari solet. Paulus sibi proposuit aedificium bipartitum, cujus muro destructo, conveniunt, qui hanc illamque partem adhuc incoluerant. Utramque significavit vocabulis τὰ ἀμφότερα.

ἐν ἑαυτῷ. Similis dicendi ratio reperitur versu 10: Αὐτοῦ (Dei) γάρ ἐσμεν ποίημα, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Conferri etiam merentur loci, in quibus memoratur καινὴ κτίσις: nam quamquam verbum κτίζειν notionem tantum habet *creandi*, e circumjectis tamen luculenter appareret, NOVAM *creationem*, i. e. *renovationem moralem*, PAULO fuisse in mente [1]). Quod si ita est, verba ἵνα κτίσῃ in Latinum sermonem convertenda quidem sunt: *ut creet* vel *condat*, sed explicanda: *eo consilio* (*statutorum legis Mosaicae auctoritatem sustulit*), *ut* (*Judaeos et Gentes*) *nova creatione prorsus renovet*. Quid autem est illud ἐν ἑαυτῷ? Jam veteres [2]) a vero aberrarunt, hoc explicantes δι' ἑαυτοῦ; sed etiam GROTIUS, scribens *per doctrinam suam*. Nuper HARLESSUS in orationem plus quam ei inest importavit, verba ἐν ἑαυτῷ sic definiens: *in sua persona*, *ut reconciliator in cruce mortuus*. Haec enim aliter sumi nequeunt, quam superiora ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, vs. 10, ubi *communio* CHRISTI denotatur. Cf. VAN DER WILLIGEN, l. l. Ergo sibi vult Apostolus: *Gentes et Judaeos in suam communionem adducendo*. Cf. imprimis *Gal.* III: 28. — In hac autem communione CHRISTI utrisque, Judaeis et Gentibus, principium erat novae vitae. Illi nempe, antea a se invicem longe remoti, in unum hominem coaluerunt. RÜCKERTUS PAULUM scripsisse ait εἰς ἕνα ἄνθρωπον, ad indicandam unitatem illam eximiam, qua conjuncti Judaei et Gentes tales esse desierint. Sed imaginem, qua PAULUS utitur, missam facere non opus est. Haec enim scribens, Apostolus ante oculos habebat Judaeos et Gentes, quorum alteri ab alteris adeo alieni erant, ut se invicem odio et

---

[1]) Cff. VAN DER WILLIGEN, l. l. p. 140 et WETTIUS.

[2]) E. c. CHRYSOSTOMUS.

inimicitia prosequerentur, sed qui ab eo tempore, quo Christo nomen dederant, unius hominis imaginem referebant. Jam sicut in uno eodemque homine omnia mutuo conspirant, sic Judaeos et Gentes sibi proponebat, per communionem Christi eo perductos, ut unum quasi hominem facerent, eadem plane cogitantes, sectantes, agentes. Cur vero auctor interjecit *καινόν*? Rückertum, qui eum *καινὸν ἄνθρωπον τῷ παλαιῷ*, quem in mente haberet, opposuisse negaverat, recte reprehendit Harlessus, qui formula *καινὸν ἄνθρωπον* significari monet hominem, a pravitate, cui antea deditus esset, ad novam vitam conversum[1]). Nam in omni hac oratione Antithesis est inter vivendi rationem, quam antea secuti erant, eamque, quam nunc sequebantur. Formulae *καινὸς ἄνθρωπος* inesse, quod cum notione, verbo *μετανοεῖν* vindicata, concurrat, commonstratione haud indiget. Quid enim clarius quam hoc est, *animi mutationem* tamquam fontem fuisse illius emendationis vitae, qua homines, antea inimici, inter se conciliati essent. In hac autem ipsa inimicitia causa quoque fuit, cur haec animi mutatio, vitae emendatae documentis probata, adeo necessaria esset et Judaeis et Gentibus. Sed ratio etiam hîc habenda est *τοῦ ἐπιστρέφειν*. Eorum enim reconciliatio nitebatur communione Christi, ad quam, per fidem in Eo positam, pervenerant. Imprimis autem Gentium exterarum *conversionem* Apostolo ante oculos fuisse, intelligitur ex iis, quae scripsit de conditione eorum pristina. Nimirum non tantum fuerant *χωρὶς Χριστοῦ*, sed etiam *ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ*, vs. 12; *νυνὶ δὲ*, inquit Paulus, vs. 13, *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὑμεῖς οἱ ποτὲ*

[1]) Cf. etiam Bähr, *Commentar über den Brief* Pauli *an die Kolosser*, ad *Col.* III: 9.

ὄντες μακρὰν, ἐγγὺς ἐγενήθητε. Judaei autem et Gentes, numero sectatorum Christi adscripti, amicitia et mutua caritate juncti, Deum vere colere inceperant, quem antea aut non coluerant, aut absque animi sinceritate.

Pervenimus ad ea, quae leguntur *Eph.* IV : 24 : Καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον ; quae verba, quamquam ipsa intellectu facilia, propter circumjecta tamen aliquamdiu nos morabuntur. Si enim probe scire volumus, qualem hominem Apostolus sibi proposuerit, quum scriberet τὸν καινὸν ἄνθρωπον, animum attendamus oportet cum ad praecedentia, tum ad sequentia. Postquam igitur Gentium exterarum conditionem tristissimam adumbravit (vss. 17—19), ad lectores suos sic se convertit : Vos autem, qui ex Gentium societate ad Christi communionem perducti estis, non ita Christum didicistis [1]), ut vitam turpem et sordidam amplius agere possitis. Tunc, per ironiam, nisi fallor, orationem suam sic persequitur, ut sumat, eos aliena institutione usos esse, qua non verus, sed falsus Christus iis proponeretur. Hinc pendet Infinitivus ἀποθέσθαι, quo incepit Paulus in memoriam revocare, quae inter doctrinae Christianae capita erant. Omnium primum edocti erant ἀποθέσθαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον [2]), quae verba ab ipso Apostolo satis illustrata sunt, cum interpositis verbis : κατὰ τὴν πρότεραν ἀναστροφήν, tum subjectis : τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης. Illis cavere conatus est, ne proprie acciperentur figurate dicta ; haec inserviunt ad explicandam imaginem τοῦ παλαιοῦ ἀνθρώπου, quippe qui in

[1]) Cff. quae de formula μανθάνειν τὸν Χριστόν disputaverunt Harlessus et Wettius.

[2]) Paulum imaginem hîc sumsisse a vestimento, quod, ubi tritum et obsoletum est, cum alio commutatur, vix est ut moneam.

perniciem ruit, a cupiditatibus suis deceptus. Sensus horum verborum est : *edocti estis deponere, quod attinet ad pristinam vivendi rationem, veterem hominem, qui magis magisque corrumpitur, obtemperando cupiditatibus, quae eum decipiunt.*

Jam huic sententiae opposita sunt, quae versu 23 et 24 leguntur ; ita tamen, ut postremum scripta : *τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης* primum antithesi argumentum praebeant. Verbo *ἀνανεοῦσθαι*, i. e. *renovari*, dicitur, quod participio *φθειρόμενον* propemodum e regione obstat. Hoc quum spectet hominem, qui magis magisque corrumpitur, illud pertinet ad hominem, qui quotidie renovatur. Sequentia autem *τῷ πνεύματι* [1]) et *τοῦ νοὸς ὑμῶν* itidem obstant praecedentibus *κατὰ τὰς ἐπιθυμίας* et *τῆς ἀπάτης*. Nimirum formula *κατὰ τὰς ἐπιθυμίας*, pro qua substitui potest *κατὰ τὴν σαρκά*, significat pravas affectiones et cupiditates, rerum externarum vi animo injectas. Quod his opponitur, *τὸ πνεῦμα*, non denotat spiritum Dei, sed hominis, ut luculenter apparet ex subjectis *τοῦ νοὸς ὑμῶν*. Sed quaestio est, quomodo utrumque nomen, *πνεῦμα* et *νοῦς* distinguendum sit. Interpretum sententias recensere non licet, per hujus instituti brevitatem. Vocabulum *νοῦς* sigillatim hanc animi significat facultatem, quam *intelligentiam* vel *intellectum* dicere solemus, et commode vertendo reddetur *mens*, uti *Rom.* VII : 23, 25, *Phil.* IV : 7 et alibi. Differt a nomine *πνεῦμα*, ut id, quod finibus suis circumscriptum est, ab eo, quod latius patet. Nihil luculentius est quam Pauli oratio 1 *Cor.* XIV: 14, 15 : *Ἐὰν προσεύ-*

[1]) De Dativo (*τῷ πνεύματι*) conff. quae scripsit Winerus, l. l. p. 244.

χωμαι γλώσσῃ, τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται, ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστιν. Τί οὖν ἐστι; Προσεύξομαι τῷ πνεύματι, προσεύξομαι δὲ καὶ τῷ νοΐ· ψαλῶ τῷ πνεύματι, ψαλῶ δὲ καὶ τῷ νοΐ; ubi duo negotia inter se distinguuntur: orandi et cantandi mente sedata (*τῷ νοΐ*), cujus dicta intelliguntur, et orandi et cantandi animo elato (*τῷ πνεύματι*), cujus effata non intelliguntur. Sed aliter se discrimen horum vocabulorum habere debet ubi copulantur. Difficultas optime tolleretur, comparandis locis, in quibus *τῷ πνεύματι* itidem genitivus subjectus est, qui ab eo pendet, uti 1 *Cor.* IV: 21, *Gal.* VI: 6, si Articulus ibi utrumque nomen praecederet. Nunc nihil aliud superest, quam hanc in medium afferre conjecturam: Paulum Genitivum *τοῦ νοός* adjecisse superioribus *τῷ πνεύματι*, ut illo, quod finibus suis circumscriptum est, definiret id, quod latius patet. Ergo sententia Apostoli haec esse videtur: *lectores suos edoctos esse renovationem animi, quae intellectui vel menti divinitus illustratae debetur.* Hanc interpretationem commendant praecedentia: *κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης*, ubi *ἡ ἀπάτη* talis esse dicitur, ut *τῶν ἐπιθυμιῶν* tamquam dux sit. Jam vero vis Antitheseos postulat, ut similiter *ὁ νοῦς* tamquam dux habeatur *τοῦ πνεύματος;* quae conclusio corroboratur eo, quod vocabulorum *ἀπάτη* et *νοῦς* notiones ipsae sunt oppositae: altera enim spectat *falsum, quod obscurat;* altera *verum, quod illustrat.* Apostolus postquam renovationem memoravit, quatenus spectat hominem intelligentem, vs 24 progreditur in exponenda renovationis parte morali. Quae ibi leguntur, opposita sunt iis, quae reperiuntur vs. 22 ab initio. Nimirum verbum *ἐνδύσασθαι* opponitur verbo *ἀποθέσθαι*, formula *τὸν καινὸν ἄνθρωπον* formulae *τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον*, dum verba *τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα ἐν δι-*

καιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας contrarium exhibent praecedentium *κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφήν*, quae, qualis fuerit, apparet ex vs 17 et sqq., ubi Paulus lectoribus memoriam conditionis revocat, in qua antea ipsi versabantur. Verba *καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον* satis explicantur iis, quae sequuntur. Novum enim hominem appellat *τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα;* sed ne quis opinaretur, hoc proprie sumendum esse, addit ei: *ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι*, i. e. *in probitate et sanctitate*, qualibuscunque quidem, sed tamen *τῆς ἀληθείας*, i. e. *ut ad normam veri, recti et honesti compositae sint*, quemadmodum *ἀλήθεια* est *ἐν τῷ Ἰησοῦ*. Cf. vs. 21.

Minoris difficultatis est locus similis *Col.* III: 10, ubi *ὁ νεὸς* (sc. *ἄνθρωπος*) opponitur *τῷ παλαιῷ ἀνθρώπῳ*, vs. 9; item participium *ἐνδυσάμενοι* praecedenti *ἀπεκδυσάμενοι*. Si quis autem rogat, qualia facinora intelligenda sint, ubi Apostolus *τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον* inducit *σὺν ταῖς πράξεσιν αὐτοῦ* [1]), inspiciat ea, quae proxime praecedunt: *Νυνὶ δὲ ἀποθέσθε καὶ ὑμεῖς τὰ πάντα, ὀργήν, θυμὸν, κακίαν, βλασφημίαν, αἰσχρολογίαν, ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν, μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους* [2]). Homines igi-

---

[1]) Ita distinguendum est inter *παλαιὸν ἄνθρωπον* et sequens *πράξεις αὐτοῦ*, ut illud *intimum hominem* denotet, hoc, *quod ex intimo illo homine proficiscitur.*

[2]) Hic, ut in loco simili, duo genera peccatorum occurrunt. Quae *Col.* III: 5 memorantur, ac respondent iis, quae tanguntur *Eph.* IV: 19, sunt graviora, quae antea, in Gentium societate versantes, impune perpetraverant, nunc vero, in Christi communionem transgressi, si vel non prorsus, magnam tamen partem missa fecerant. Alterum genus (*Col.* III: 8, 9, *Eph.* IV: 25 sqq.) leviora superioribus complectitur, quibus tamen quum nondum valedixissent, opportune Apostolus lectores suos exhortatur, ut iis quam primum valedicerent.

tur, qui irae, excandescentiae, malitiae, maledicentiae, obscoenitati verborum, mendacio indulgebant, exhortatur ad haec amovenda et novam vitam ineundam. Hanc vitam proponere incipit vs. 10, verbis: *Ἐνδυσάμενοι τὸν νεὸν* (sc. *ἄνθρωπον*), *τὸν ἀνακαινούμενον εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν.* Quem in Epistola ad Ephesios vocaverat *τὸν καινὸν ἄνθρωπον*, hîc vocavit *τὸν νεόν.* Formulae *νεὸς* (*ἄνθρωπος*) et *καινὸς ἄνθρωπος* inter se quidem differunt, ut Latinorum *recens homo* et *novus homo*; similiter verba *ἀνανεοῦσθαι* et *ἀνακαινοῦσθαι* ut *repuerascere* et *renovare*; secundum Apostolum vero eodem redeunt, quamquam illis eadem fere imago inest, ac vocabulo *παλιγγενεσία* et affinibus, qua imagine haec carent[1]). Paulus novi hominis indolem aliter quidem, quam supra, *Eph.* IV: 24, descripsit, nec tamen aliud quid vult. Ait nempe *τὸν ἀνακαινούμενον* (qui magis magisque renovatur) *εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν.* Praepositio *εἰς* inservit ad consilium, quo renovatio tendere debeat, indicandum. Cff. Beza, Bähr, Wettius. Nomen *ἐπίγνωσις* absolute positum significat *virtutem agnoscendi*, *adeoque perspiciendi*, *quod in* Christi *communione* verum *est*, et quidem, nisi fallor, *probe et sancte hac in communione vivendum esse*; quod Paulus hîc multo facilius, quam in loco simili, silentio praetermittere poterat, quoniam adscripturus erat *κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν.* Alibi autem expressit, quod hîc intelligendum est, uti 1 *Tim.* II: 4, 25, III: 7, *Tit.* I: 1, *Hebr.* X: 26[2]). Commentum Storrii, nomen *εἰκόνα*

[1]) Argutius disputare videtur Bähr, quum contendat, *τὸ ἀνανεοῦσθαι*, in hominis mutatione, praecedere debere *τῷ ἀνακαινοῦσθαι.* Cf. Wettius.

[2]) Vulgo ajunt, vocabulo *ἐπίγνωσιν* addendum esse *Θεοῦ*, atque

per Pleonasmum redundare, satis refutavit Bähr, qui luculenter etiam monstravit, verba κατ' εἰκόνα non jungenda esse cum εἰς ἐπίγνωσιν, sed cum remotiori ἀνακαινούμενον. Wettius autem ostendit, postremum illud αὐτόν non pertinere ad formulam νεόν ἄνθρωπον, sed ad ἄνθρωπον tantum. Totius loci sensus igitur est: *Amovete pravitatem, ex vita pristina translatam, vobisque insitam, una cum facinoribus ejus, et rursus meliorem indolem induite, quae magis magisque ad imaginem Ejus, qui hominem creavit, renovetur, ad perspiciendum, quod in communione* Christi *verum est: probe et sancte vivendum esse.*

His autem locis, pro virili meo, illustratis, restat, ut inde colligamus, quae ad disputationis argumentum pertineant. Formula igitur καινὸς ἄνθρωπος vel νεὸς ἄνθρωπος, quum spectet animi mutationem, qua homo, qui eam subierit, novus dici mereatur, res ipsa loquitur, actionem τοῦ μετανοεῖν ei inesse. Quum vero haec mutatio, ut ex utroque loco evidenter apparet, peracta sit eo tempore, quo e societate Gentium exterarum in Christi communionem transiretur, patet, etiam rationem τοῦ ἐπιστρέφειν habendam esse. Ceterum animadvertendum est, homines, qui jam τὴν μετάνοιαν et τὴν ἐπιστροφήν subiissent, non ita a vitiis destitisse, ut iis non amplius opus esset animi morumque emendatione. Ad hanc igitur mutationem Apostolus lectores suos advocat, quamquam societatem Christianam jam ingressos, et hactenus loci proxime praecedentes pertinent quoque ad τὴν ἁγιοσύνην.

---

hoc repetendum esse ex proxime sequentibus τοῦ κτίσαντος. Sic quoque Wettius. Sed uti oratio εἰς ἐπίγνωσιν Θεοῦ, κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν minus bene procedit, ita circumjecta aliud intelligi jubent, nempe: *quomodo communio* Christi *postulet, ut vita instituatur.*

Ab eadem novitatis imagine ac formula *καινὸς* aut *νεὸς ἄνθρωπος* desumtum est vocabulum *καινότης*, quod bis in Novo Test. legitur: *Rom.* VI: 4, VII: 6. In priori loco Apostolus, metuens ne forte nonnulli verbis ipsius (V: 20, 21) abutantur ad nequitiam, hunc abusum avertere conatur. Tum rogat lectores (vs. 3): An tam hebetes estis, ut nesciatis, nos, quotquot baptismi ritum subierimus, ut ad Christi communionem perveniremus, hunc ritum subiisse, ut ipsi moreremur, sicut ille mortuus est? Tum orationem sic persequitur: *Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον, ἵνα ὥσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν*, i. e. *sepulti igitur una cum* Christo *sumus per baptismi ritum, quem subivimus, ut ad mortem* [1]) *perveniremus* (i. e. *peccato moreremur*), *eo quidem consilio, ut, sicut* Christus *in vitam revocatus est e mortuis per gloriam patris* [2]), *sic et nos in novitate vitae viveremus.* Apostolus scripsit *ἐν καινότητι ζωῆς* [3]), quoniam lectores ejus antea, quum nondum ad

---

1) Rückertus vocabulis *εἰς τὸν θάνατον* intelligi ait mortem Christi. At si hoc sibi voluisset auctor, vocabulo *θάνατον* addidisset, ni fallor, Pronomen *αὐτοῦ*, ut in versu praecedenti.

2) Vocabula *διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός* sic explicanda sunt: *per virtutes illas divinas, in quibus Dei gloria cernitur.* Cff. Fritzschius, Rückertus, Wettius.

3) Formula *καινότης ζωῆς* non eodem redit ac *καινὴ ζωή*. Nimirum ita inter se differunt, ut illa vitae in communione Christi agendae *novitatem* faciat eminentem, haec non item. Paulo aliter Fritzschius, monens: «hanc ille loquendi modus ratio»nem habet, ut, rei praedicatum maxime spectandum esse indi»caturus, de rei praedicato (h. l. de *novitate* vitae) potius quam de »re, cui aliquod praedicatum competat, (h. l. de nova *vita*) »loquaris.»

Christi communionem transgressi erant, in peccatis vixerant. Indoles autem ejus, qui hujus vitae ignominiosae particeps fuit, a Paulo, vs. 6, dicitur *παλαιὸς ἄνθρωπος*. Omnem vero orationem ejus esse Symbolicam et hominibus, ad Christi communionem vocatis, sancte vivendi officium imponere, facile intelligitur. Atque ita jam manifestum est, etiam hunc locum *τὸ μετανοεῖν* et *τὸ ἐπιστρέφειν* spectare. In eo enim proponitur animi emendatio, per Christi efficienda communionem, cujus signum, nempe baptismus, plus semel in oratione contexta memoratur.

Neque aliter res se habet in altero loco, quem memoravi, VII: 6. Legimus ibi: *Ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος*. Praecedit oratio satis difficilis, sed de ea nunc disputare nihil attinet. Quae hîc in censum veniunt molestiam non crearent, si constaret modo de notione vocabuli *πνεύματος*, quod si quis explicare velit Spiritum Sanctum, animadvertat quaeso, illud nude et sine articulo scriptum et vocabulo *γράμματος* oppositum esse. Cff. *Rom.* II: 29, 2 *Cor.* III: 6. Omnibus bene consideratis, rem acu tetigisse videntur Wettius, Baumgarten Crusius [1]) aliique, quibus auctoribus *πνεῦμα* esse puto *spiritum sublimiorem, a Spiritu Sancto profectum, qui in societate Christiana regnabat.* Jam *γράμμα* est *scriptum, quod legem Mosaicam continet* [2]). Verbum *δουλεύειν* sumendum esse ac si scriptum sit *δουλεύειν τῷ Θεῷ* satis certum est. Nec dubitari facile potest, quin vocabulis *καινότητι* et *παλαιότητι* conditio nova et vetus denotetur. Haec autem quum

[1]) *Commentar über den Brief* Pauli *an die Römer, herausgegeben von* E. J. Kimmel.

[2]) De vocabulis *πνεῦμα* et *γράμμα* legantur, quae scripsit Clar. van Hengel, *Annotatio in loca nonnulla Nov. Test.* pag. 228 sqq.

conditio hominum depravata fuisset, res ipsa loquitur, illam conspicuam fuisse pietate et virtute, quae originem duxissent ex animi mutatione, unde *τὸ ἐπιστρέφειν πρὸς τὸν Θεόν* sequeretur.

Nunc explicanda essent verba *ἀνακαινοῦσθαι* et *ἀνανεοῦσθαι*, *Eph.* IV: 23, *Col.* III: 10; sed supra, pag. 104 et 106, otium mihi feci his de locis disputandi. Superest, ut attingam 2 *Cor.* IV: 16, ubi legimus: *Ἀλλ' εἰ καὶ ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος διαφθείρεται, ἀλλ' ὁ ἔσωθεν ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ.* Sed ne hic quidem locus nos morabitur. Quum enim Apostolus hîc proponat effectus, quos habent labores, Christi causa suscepti, in continuam mentis humanae perfectionem, pertinet ille ad sanctificationis, quae dicitur, doctrinam. Ergo transeo ad *Hebr.* VI: 6, ubi legitur verbum *ἀνακαινίζειν*. Sed ut illud bene intelligamus, oratio contexta, inde a vs. 4, illustranda est. Auctor institutum ibi sic persequitur: *Ἀδύνατον γάρ*. Particula *γάρ* ostendit, auctorem nunc id agere, ut confirmet ratiocinationem superiorem; utrum ea, quae vs. 1 leguntur, *ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα*, an vero proxime praecedentia, sub judice lis est. De vocabulo *ἀδύνατον* quamquam viri docti acriter etiam disputant, reapse, ni fallor, minus inter se dissentiunt, quam dissentire videntur. Qui aliter illud sumere jubent, quam *fieri non potest*, a loquendi usu aberrant. Nusquam enim ei, aut alibi, aut in Novo Test., alia notio tribuenda est; quare Wettius et Bleekius recte reprehendunt Interpretes, qui notionem ejus ita emolliunt, ut hujus Epistolae auctorem dicentem faciant: *aegre ac difficulter fieri potest.* Sed bene animadvertendum est, hunc auctorem sermone non philosopho usum esse, sed populari, nec dicere voluisse, argumenta philosopha aut mathematica rei, quam memorat, obstare, sed quae quo-

tidianae debeantur experientiae; unde sequitur, viros doctos oratione ejus abuti, qui eam ita transferant in dogmaticam, ac si ad philosophorum vel mathematicorum diligentiam excutienda sit.

Ab Adjectivo illo *ἀδύνατον* pendet verbum *ἀνακαινίζειν*, vs. 6, quod, objectis suis postpositum, infra explicabitur. Primum in censum veniunt verba *τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας*. Adverbio *ἅπαξ* hîc, uti IX: 26, 27, 28, X: 2 et alibi, hanc inesse potestatem, ut eo indicetur *altera vice non opus esse*, recte monuerunt Bretschneiderus, in Lex., Bleekius et Wettius ad h. l. Cum eo connectitur participium *φωτισθέντας*, quod jam ab antiquo fuit crux Interpretum [1]). Comparatis vero quae leguntur infra, Cap. X: 32, *Joh.* I: 9, 2 *Cor.* IV: 4, 6, *Eph.* I: 18, III: 9, fere non dubito, quin designentur homines, *qui luce Divina*, *a* Christo *allata*, *et per Euangelium ubique sparsa*, *ad veri cognitionem perducti sunt*. Auctor in ejusmodi hominum imagine adumbranda sic progreditur: *Γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου*. Verbum *γεύεσθαι* hîc et infra significare *experiendo cognoscere*, recte jam vidit Grotius. Cf. trita formula *γεύεσθαι θανάτου*, quae legitur *Matth.* XVI: 28, *Luc.* IX: 27, *Joh.* VIII: 52, *Hebr.* II: 9, et exempla, e scriptis Graecorum Hellenistarumque a Bleekio allata. Sed intellectu paulo difficilius est, quid auctor sibi voluerit vocabulis *τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου* [2]). Brevitatis causa simpliciter dicam, quid sentiam. Collatis igitur locis, in quibus *donatio Divina* memoratur, praesertim *Act.* XI:

---

[1]) Antiquos, quos recentiori tempore etiam secuti sunt Michaëlis et Ernestius, *Baptismum* intellexisse, exemplis probavit Bleekius, l. l. III. p. 173 sqq.

[2]) Varias interpretum sententias, quas recensere longum sit, vide apud Bleekium et Wettium.

17 et *Rom.* V: 15, 16, item *Joh.* III: 16 et similibus, nomine δωρεᾶς indicari mihi videtur *ipse* Christus, quippe hominibus datus ad salutem iis afferendam. Haec autem donatio, quum eximio Dei favori debetur, summo jure ἐπουράνιος appellatur, quod eodem fere redire puto atque appellationem τοῦ Θεοῦ, quae legitur plerisque in locis, in quibus exstat nomen δωρεά [1]). Itaque auctor hoc loco proponit *homines, qui ad* Christi, *beneficio Divino iis dati, communionem jam pervenerant.* Faciliora sunt, quae sequuntur: καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, i. e. *et qui Spiritus Sancti participes facti sunt.* Nec molestiam creare possunt, quae his adduntur καὶ καλὸν γευσαμένους Θεοῦ ῥῆμα, si modo constat de interpretatione vocabulorum Θεοῦ ῥῆμα [2]). Auctor, nisi fallor, illud Verbum denotavit, quod Jesus his in terris locutus erat, quodque postea a legatis ejus inter homines annuntiabatur, ut eorum fides vel excitaretur, vel confirmaretur. Cff. *Joh.* III: 34, VIII: 47; *Rom.* X: 17; *Eph.* VI: 17; 1 *Petr.* I: 25. Grotius, quem Wettius aliique sequuntur, καλὸν ῥῆμα hic dici monet de *promissis Divinis;* sed hactenus ei tantum, propter sequentia δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος, assentiendum videtur, ut auctorem imprimis *promissa Divina* ante oculos habuisse putemus; ut ejus mens haec sit: *qui experiendo cognoverunt verbum Dei, imprimis vero illud, quod spectat* δυνάμεις κ. τ. λ. Quid autem significat vocabulum δυνάμεις? Illud aliam notionem non habet, quam supra,

---

[1]) Vocabulo δωρεά additur nempe τοῦ Θεοῦ *Joh.* IV: 10. *Act.* VIII: 20. 2 *Cor.* IX: 15. *Eph.* III: 7.

[2]) Verbum illud Dei καλόν dicitur, quemadmodum in Vet. Test. verba Dei plus semel καλά nuncupantur. Cff. *Jos.* XXI: 45, XXIII: 15, *Zach.* I: 13. Eminentiae causa adjectivum nomini praemittitur.

II : 4, ubi legitur post σημεῖα et τέρατα, atque ita denotat illas virtutes Divinae potestatis, quas, dum in terris vivebat, ipse Jesus manifestavit, et, post abitum ejus in coelos, ostenderunt quoque discipuli ejus. Sunt igitur etiam hoc loco *virtutes potestatis Divinae* [1]). Hae autem conspicuae factae sunt in novo rerum ordine per Christum adducto. Novus ille rerum ordo hîc dicitur μέλλων αἰών; non hac de causa, quod, quo tempore haec scribebantur, aetas illa nondum advenerat, sed ex usu loquendi Veteris Testamenti. Cf. *Jes.* IX : 6 [2]). Sensus igitur est: *et virtutes potestatis Divinae, quae cernuntur in hoc nostro aevo, de quo cecinerunt Vates antiqui.* His denique auctor addit: καὶ παραπεσόντας, i. e. *qui*, postquam haec omnia experti sunt, *nihilominus desciverint*, nempe a Christo. Verbum παραπίπτειν, quamvis est ἅπαξ λεγόμενον in N. T. difficultate tamen non laborat. Proprie significat *delabi*, et dicitur de homine, *qui juxta viam cadit;* inde facile transfertur ad hominem, *qui se a via in devia seduci patitur.* Hoc sensu passim reperitur in V. T. interpretatione Alexandrina. Cff. exempla apud Schleusnerum in Lex. et Bleekium ad h. l.

Nunc demum auctor orationi adjicit verbum ἀναkαινίζειν, ad quod omnia praecedentia referenda sunt. Adverbium praecedens πάλιν, quod nec cum participio παραπεσόντας jungendum est, nec redundat, inservit ad corroborandam vim, quae verbo illi inest. Huic autem nonnulli

---

[1]) Vocabulum δυνάμεις eodem modo alibi interpretandum est. Cff. e. c. *Matth.* VII : 22. XIII : 58. *Luc.* XIX : 37. *Act.* IX : 11; item *Act.* II : 22, VIII : 13, 2 *Cor.* XII : 12, ubi δυνάμεις cum σημείοις et τέρασι connectuntur.

[2]) Comparanda quoque est formula ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα, II : 5, quae itidem ex eodem usu loquendi illustrari debet.

Interpretes temere passivam potestatem obtruserunt, quum active sumendum sit et in sermonem Latinum convertendum: *renovare*. Sensus igitur est: *experientia docet, fieri non posse, ut quis homines, qui semel* etc. *rursus renovet, quo perveniant ad animi mutationem*. Quae his adduntur: ἀναστανροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας sic explicanda sunt, ut causam exhibeant praecedentium: ἀδύνατος ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν. Participia enim ἀναστανροῦντας et παραδειγματίζοντας significant: *quippe qui tales sunt, ut iterum crucifigant et ignominiae tradant*. Illud vero ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν quum cernatur etiam in Christo fide amplectendo, res ipsa loquitur, hîc haud secus τοῦ ἐπιστρέφειν, quam τοῦ μετανοεῖν rationem haberi.

In hac sectione superesset, ut consideraremus vocabulum ἀνακαίνωσις. Sed de eo jam disputavi supra, pag. 77 sq. 87 sqq., quum *Tit.* III: 5 illustrare conarer. Quod dicendum restat, afferam nunc, in disputatione de verbo μεταμορφοῦσθαι.

SECTIO III.

De verbo, quod formae mutationem proprie significat.

Postremum pauca nobis monenda restant *de verbo, quod proprie formae mutationem significat*. Verbum dico μεταμορφοῦσθαι, cujus notio propria mutationem spectat, quam quis, quoad formam, subit. Hoc propria sua notione [1])

[1]) Apud Symmachum legitur etiam *Ps.* XXXIII (XXXIV) 1: ὁτέ

legitur *Matth.* XVII : 2 et in loco simili *Marc.* X : 2 : *Καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν.* Jesu enim facies splendore eximio fulgebat ; nec facies tantum, sed etiam vestimentum. Lucas (IX : 29) scripsit : *Καὶ ἐγένετο τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον καὶ ὁ ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς ἐξαστράπτων.* Commemorant igitur Euangelistae mutationem mere externam. Notio translata alibi exstat, atque ita *Rom.* XII : 2, 2 *Cor.* III: 18, quorum locorum brevis interpretatio requiritur. Paulus in hac epistolae parte paraenetica ad Romanos scripsit : *Καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε* [1]) *τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός* [2]). Verba *συσχηματίζεσθε* et *μεταμορφοῦσθε* [3]) notionem passivam habere nequeunt, quoniam respondent superioribus : *παρακαλῶ ὑμᾶς παραστῆσαι.* Verbo *συσχηματίζεσθε* subjunguntur vocabula *τῷ αἰῶνι τούτῳ*, i. e. quoad sensum : *hominibus hujus aevi ; qui unice delectantur rebus hujus mundi.* Cff. 2 *Cor.* IV : 4, *Gal.* I : 4 et Wettius ad *Rom.* XII : 2. Prior hujus orationis pars hunc habet sensum : *ne imitamini vos homines hujus mundi, ad eorum exemplum vos ita conformantes, ut eadem*

μετεμόρφωσε τὸν τρόπον αὐτόν. In Codice Hebraeo autem exstant בשנותו את־טעמו.

1) Utrum lectio recepta retinenda, an Infinitivus *συσχηματίζεσθαι* et *μεταμορφοῦσθαι*, cum Lachmanno et Tischendorfio, pro Imperativo substituendus sit, derimere non ausim.

2) Pronomen *ὑμῶν*, cum Lachmanno et Tischendorfio, ex oratione expellendum puto.

3) Verba *συσχηματίζεσθαι* et *μεταμορφοῦσθαι* omnino inter se differunt. Substantiva enim *σχῆμα* et *μορφή*, a quibus verba illa derivantur, a se distinguenda sunt, ut Latinorum *habitus* a *forma*. Cf. Clar. van Hengel, l. l. pag. 142 et 151. Nec male annotavit Bengelius: *μορφή*, *forma*, penitius et perfectius quiddam quam *σχῆμα*, *habitus*.

plane sectemini. In altera parte, priori opposita, satis apparet, verbum *μεταμορφοῦσθε* significare *reformationem, homini subeundam*. Vocabulis *τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός* ratio hujus reformationis designatur. De nomine *ἀνακαίνωσις* supra, pag. 78, jam diximus. Additum ei h. l. est *τοῦ νοός*, unde manifestum fit, renovationem spectari *internam*, i.e. totius mentis, ad novam cogitandi, judicandi, sentiendi et volendi rationem. Haec quum scripta sint ad homines Christianos, Paulus iis officiorum summam proposuit, quam infra enucleatius explicabit. Omnia illa referri debent ad hominum Christianorum *ἁγιασμόν*. Eatenus vero praeceptum *μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός* convenit cum actione *τοῦ μετανοεῖν*, quatenus animi et vitae mutationem indicat. Animae enim et vitae mutatio omnino pertinet ad mentis reformationem. Neque hinc alienum esse *τὸ ἐπιστρέφειν*, docet, nisi fallor, particula *οὖν* (vs. 1). Haec enim sequentia ita superioribus annectit, ut sensus sit: quum tot tantaque beneficia in vos contulerit Deus, vos, prae aliis, vocando et adducendo ad Christi communionem, vos adhortor, fratres! ut vitam degatis, homine Christiano dignam.

Alter locus, in quo legitur verbum *μεταμορφοῦσθαι* (2 *Cor.* III: 18) sic se habet: *Τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν*. Sensus nescio an hic sit: *ad eandem* (*quam in* Christo *videmus*, *Dei*) *imaginem*, *in majorem deinceps et majorem gloriam transformamur*. De accusativo *τὴν αὐτὴν εἰκόνα* non inter se consentiunt Interpretes. Antiqui sibi hîc reperire videbantur Ellipsin particulae *κατά*; sed eos satis refutarunt Fritzschius et Rückertus, qui orationem quodammodo praegnantem esse ait, sic explicandam: *μεταμορφούμεθα τὴν αὐτὴν μορφήν, ὥστε γένεσθαι ἡμᾶς εἰκόνα τοῦ Χριστοῦ*. Sed ora-

tio praegnans inde exsistit, quod verbo subjicitur praepositio minus ei conveniens. Cff. exempla apud WINERUM, l. l. pag. 677 sq. WETTIUS vero, comparatis formulis τοῦτον τὸν τρόπον et ταὐτὸ τοῦτο, verba reddenda censet: *ad eandem imaginem*, ita ut id, quod adspicitur, exemplo sit. Quidquid hujus rei est, locus intelligi nequit, nisi verba sic vel similiter sumantur. Imaginem hîc propositam esse CHRISTI, omnes, quos vidi, Interpretes putant. In usu loquendi PAULI proprio nihil est, quod hanc interpretationem omnino postulet. Vocabulum enim εἰκών nunc usurpavit de imagine Dei, 1 *Cor.* XI: 7, *Col.* III: 10, (quibus in locis sermo est de homine, ad Dei imaginem creato,) 2 *Cor.* IV: 4, *Col.* I: 15 (ubi CHRISTUS Dei imago dicitur); nunc de imagine CHRISTI, ad quam homines conformari oportet, *Rom.* VIII, 29, 1 *Cor.* XV: 49. Ex iis vero, quae supra, pag. 49 sqq, disputavimus, apparet, me eorum vestigiis, qui CHRISTI *imaginem* interpretantur, insistere non posse. Si enim verum est, quod probare conatus sum, versibus 16 et 17, nomine *Κυρίου* Deum significari, verba hujus versus δόξαν *Κυρίου* explicanda sunt: *gloriam Dei*. Hinc autem sequitur, substrata: τὴν αὐτὴν εἰκόνα ita sumenda esse, ut *Dei* imaginem proponant. De verbis ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν consulantur Interpretes, RÜCKERTUS, WETTIUS, PALMIUS aliique. De hoc loco difficiliori me satis dixisse puto. Ceterum, etiamsi ἡ μεταμόρφωσις, ab Apostolo proposita, externam hominis mutationem spectet, nemo tamen negabit, principium ejus quaerendum esse in sanctitatis studio, quod sequitur ex τοῦ μετανοεῖν et τοῦ ἐπιστρέφειν, vs. 16 expresse memorati.

APPENDIX.

Argumento disputationis pro viribus meis elaborato, superest, ut breviter indicem, quonam loco et numero utrumque illud τὸ μετανοεῖν et τὸ ἐπιστρέφειν etiamnum haberi debeat.

Iis, qui in hunc usque diem Judaeorum, Muhammedanorum, Gentiumve aliarum erroribus et superstitionibus serviant, necessarium esse idem illud ἐπιστρέφειν, quod in Novo Test. Judaeis Gentibusque exteris impositum est, nemo facile negabit, qui secum reputet, ejusmodi homines hodie eadem in conditione versari, in qua versati sint Jesu Apostolorumque aequales, ad quos perveniret monitum illud ἐπιστρέψατε. Atque ita iis necessarium quoque est τὸ μετανοεῖν, quo tamquam ex fonte illud ἐπιστρέφειν exoriri debet. Haec enim est arcta, quae inter utrumque intercedit necessitudo, ut actio τοῦ μετανοεῖν praecedat actionem τοῦ ἐπιστρέφειν, cujus sinceritas rursus cognoscitur ex animi emendati documentis. Cf. Cap. II. Sect. III.

Hinc autem sequitur, iisdem hominibus subeundum quoque esse, quod vocibus formulisque Cap. III expositis denotetur. Aliter tamen res se habet, quod attinet homines jam Christianos. Quum enim, ut vidimus, nusquam in Novi Test. Libris homo, qui nomen fidemque Christo dederit, vocatus sit ad τὴν ἐπιστροφήν, cave id fortuito omissum esse putes. Nimirum τὸ ἐπιστρέφειν, ad quod vocabantur Judaei Gentesque exterae, plane alienum est ab homine intra societatem Christianam vivente. In eum

scilicet non cadit *transitus*, aut *externa*, quae dicitur, *mutatio*, *per communionem* Christi perficienda. Quisquis enim est, hac Christi communione jam frui censetur, quippe Sacris ejus, baptismi ritu, plerumque initiatus. Neque in homines Christianos, generatim sumtos, quadrat idem illud μετανοεῖν, quod Jesum Apostolosque aequalibus suis praecepisse legimus. Quotquot vero eorum Christum ore tantum profitentur, hactenus subire debent τὸ μετανοεῖν, ut participes fiant τῆς πίστεως vere ita dictae. Tum omnibus, qui in Christi Societate vitia et flagitia patrare haud erubescunt, quibus se a Servatore Sanctissimo omnino remotos ostendant, ἡ μετάνοια praescribitur, ut, meliori mente induti, his vitiis et flagitiis valedicant. Jure enim optimo hîc provocatur ad ejusmodi Literarum Sacrarum locos, in quibus Apostoli homines, Christi nomine dictos, ad animi vitaeque emendationem exhortantur. Conferantur disputata pag. 30 et sqq. Atque hac ex parte in iis requiritur etiam, quod vocibus et formulis verbi μετανοεῖν affinibus Novi Testamenti libri proponunt.

Quemvis autem hominem Christianum, quamdiu his in terris degat, animi vitaeque sanctitatem sectare oportet. Quod ut sibi ex voto succedat, omnes vires, Divinitus sibi datas, intendere debet ad fidem, in Christo positam, continuo augendam et perficiendam.

THESES.

I.

Ad *sensum* primitus quidem pertinet *religio;* sed eodem in sensu residet etiam *peccatum*.

II.

1 *Sam.* VI: 18, pro ועד אבל הגדולה, legendum videtur ועד אבן הגדולה i. e. *et documentum est lapis, et quidem magnus ille.*

III.

Michae V: 1, expulso לחם, orationem sic constituendam esse puto: ואתה בית־אפרתה.

IV.

Verbis בצלמנו כדמותנו, *Gen.* I: 26, significari τὸ λογικόν et τὸ αὐτεξούσιον bene jam viderunt nonnulli inter Patres Ecclesiasticos.

V.

Homines, qui in N. T. κλητοί et ἐκλεκτοί dicuntur, non tantum *vocati* et *electi* sunt, sed etiam *adducti*, nempe ad Christi communionem. Haec enim adjectiva, substantive posita, probe distinguenda sunt a participiis κεκλημένοι et ἐκλελεγμένοι.

VI.

Frustra in scriptis N. T. praesidium sibi quaerunt, qui contendunt, Filium Dei, quum hunc in mundum veniret, thronum Regnumque suum gloriosum reliquisse. Literae enim Sacrae perspicue docent, Eum Regni Divini Principem factum esse, postquam, his in terris, summa obedientiae erga Deum Patrem documenta edidisset.

VII.

Consilium Dei, quum Jesum morti traderet, non fuit, ut se cum hominibus, sed ut homines secum et inter se mutuo conciliaret.

VIII.

Quum experientia multarum aetatum doceat, lites, de religionis Christianae argumento agitatas, plerumque Christi causae profuisse, spes oritur, aliquando fore, ut ei etiam prosint lites, quae hodie agitantur.

IX.

Erasmo locus inter Reformatores Ecclesiae negandus non est.

X.

Non est prudentis Theologi in publica Catecheseos Palatinae tractatione de rebus subtilioribus in utramque partem disputare, sed hanc Catechesin normam habebit, qua utatur, ut homines, sine tali disputatione, ad Literarum Sacrarum doctrinam accipiendam et sequendam instituat.

XI.

Praestat omnino ita pro concione dicere, ut, quae antea sedulo meditata sunt, ex tempore dicantur. Quum vero paucissimi tantum sunt, quibus contingat hac via et ratione bene dicere, suadendum est totam orationem, scripto mandatam, memoriter habere. Orationem legi, quamvis nonnunquam excusandum, nunquam probandum est. Sed, neglecta praeparatione, expromere, quidquid in mentem venit, oratore sacro prorsus indignum est.

XII.

Ad pueros erudiendos Sacrorum antistiti valde commendandum videtur, ut cum iis Literarum Sacrarum capita selecta legat eaque interpretetur. Praesertim autem iis enarretur historia ipsius Jesu, missis factis, quae ad Theologiae dogmaticae subtilitatem pertinent.

CORRIGENDA.

Pag.	15	lin. 28	sit ea cur,	*l.*	sit, cur ea
—	16	— ult.	ab	*l.*	Ab
—	19	— 9	usum esse	*l.*	usus est,
—	20	— 4	est ad: «Christus	*l.*	est: «Christus
—	32	— 19	*πορνείαι*	*l.*	*πορνεῖαι*
—	37	— 29	sumendem	*l.*	sumendum
—	43	— 19	ferenten	*l.*	ferentem
—	46	— 16	Hebreo	*l.*	Hebraeo
—	75	— 30	ܚܕ ܠܐ	*l.*	ܚܕ ܠܐ
—	77	— 14	*figurute*	*l.*	*figurate*
—	88	— 6	*ἀγαθόν* 3)	*l.*	*ἀγαθόν*
—	88	— 7	*malitia*	*l.*	*malitia* 3)
—	89	— 20	animi	*l.*	animi emendandi
—	96	— 17	circumcitioni	*l.*	circumcisione
—	107	— 27	1 *Tim.* II: 4, 25.	*l.*	1 *Tim.* II: 4, 2 *Tim.* II: 25.
—	113	— 4	debetur	*l.*	debeatur
—	114	— 2	IX	*l.*	XIX
—	115	— 8	*ἀδύνατος*	*l.*	*ἀδύνατον*
—	116	— 1	X	*l.*	IX
—	116	— 25	derimere	*l.*	dirimere
—	117	— 14	Animae	*l.*	Animi

PAULI CONVERSIO,

PRAECIPUUS THEOLOGIAE PAULINAE FONS.

PAULI CONVERSIO,

PRAECIPUUS THEOLOGIAE PAULINAE FONS.

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII STAR NUMAN,

Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Juris Utr. Doct. in Facult. Jur. Prof. Ord.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO OMNIUM EXAMINI OFFERT

CORNELIUS PHILIPPUS HOFSTEDE DE GROOT,

Groninganus.

A. D. XXII M. JUNII A. MDCCCLV, Horâ XII.

GRONINGAE,

Apud heredes C. M. VAN BOLHUIS HOITSEMA.

Εὐδόκησεν ὁ Θεὸς ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί.

Ὁ Θεὸς ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι, ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Χριστοῦ.

PAULUS.

PAPAE

OPTIMO CARISSIMO.

Dissertationem, qua summos in Theologia petam honores, edens diffiteri nolo, me oblitum praecepti „diu versare quid humeri valeant, quid ferre recusent," citius quam par esset aggressum esse summi Apostoli theologiam, quam exponere non est juvenis, omni experientia destituti, sed viri tantum, diu et in religione et in theologia versati. Nihilominus argumentum, quod mihi praebuit Pater amantissimus statim arripui, sperans fore ut si minus docendi, discendi certe opportunitatem praeberet. Et haec me una, per omne quod ad hanc dissertationem incubui tempus, ne ab opere incepto deflecterem retinuit persuasio, me si non lectoribus, mihimet tamen ipsum prodesse posse, quippe aliquid saltem utilitatis ex studio Paulinorum scriptorum percepturum.

Ne quis vero ad hanc dissertationem legendam accedens ibi inveniat alia, alia desideret, quam quae jure suo exspectare posse videtur, duo monenda habeo. Prius, me prorsus praeteriisse et ne verbulo quidem memorasse quaestiones hodierno tempore imprimis agitatas, de epistolarum Paulinarum authentia aut de Actorum Apostolorum ἀξιοπιστίᾳ. Utriusque enim partis hac de re sententia satis est cognita, exposita, refutata, defensa; omnibus armis telisque usi sunt utrimque viri docti, nec vel doctissima eademque humanissima litis expositio ad sententiarum discrimen tollendum aliquid videtur attulisse. Hac de re autem scribere quum mihi propositum non

esset, cui bono fuisset citare aut etiam exponere et refutare adeo singulorum sententias diu jam notas, expositas, refutatas? — Pariter neque versatus sum in critico-philosopha locorum, quibus exhibetur Pauli conversio, expositione, aliis relinquens disputationem, utrum fulmen coeleste humano eoque Hebraico sermone loqui possit nec ne. Simpliciter sumsi et Pauli quae feruntur epistolas esse germanas, et conversionis historiam, qualem ab ipso Paulo accepit, Lucam retulisse; ex hac, cum iis quae de semet ipse in epistolis suis profitetur Paulus comparata, efficere studui quaenam fuerit Pauli conversio, i. e. quae cogitata sensaque Jesu apparatione et conversione sua insequenti in ipso sint excitata. Cum his composui Pauli cogitandi rationem, ex omnibus ejus epistolis, praesertim autem ex iis, quas ad Romanos et Ephesios dedit, haustam, hoc consilio, ut quaenam e conversione in ipsius theologiam fluxerint cognoscerem. Qua in re tractanda eo magis quaestionibus quibusvis criticis supersedendum putavi, quo certior mihi esset firmiorque semper fieret persuasio, psychologicam hanc ineundam esse viam, ut lis etiam de epistolarum Paulinarum authentia deque Lucae in Jesu apparitione narranda fide dirimatur. Quod si enim Paulus homo, a Luca depictus, et Paulus theologus, qualem ex epistolis cognoscimus, est idem, ut utrumque aut fictum aut verum statuamus, necesse est.

Alterum quod monendum habeo, hoc est: non equidem ita disquisitionem institui, ut a Pauli theologia initium petens, hac jam exposita, quaererem quaenam placita majoris minorisve ponderis ex ejus conversione repeti quaeant; imo a conversione contemplanda exorsus, quid ex hac discere potuerit et revera didicerit Apostolus ex ejus scriptis eruere conatus sum. Itaque inveni principia gravissima tria, e quibus tota Pauli theologia est orta: primum mentis, Jesu vitam novam semper cogitantis, alterum animi, Gratiam Divinam constanter experti et sentientis, tertium vitae Christi Ecclesiam perpetuo spectantis. Haec vero tria paulo uberius delineanda censui duplici consilio, ut et melius cognosceretur quomodo Pauli theologia cum ejus conversione cohaereat, et quantum lucis haec conversio ad theologiam Paulinam recte intelligendam afferat clarius perspiceretur. Etenim theologia et philosophia quamvis, nisi ipsius auctoris vita et experientia consulatur, plene intelligi nequit.

De via autem, qua propositum meum assequi studui, in Introitu uberius

dicitur. Doctiores videant qua ratione progressus sim; ubi me videbunt labentem aut a tramite recto omnino aberrantem, juvenem erigant melioremque veritatis quaerendae ostendant viam.

Hoc autem ab aliis petens non possum non tuam, Pater dilectissime! memorare institutionem, qua inde a prima pueritia ad hunc usque diem frui mihi licuit. Uti multa Dei sunt in me collata beneficia, ita perpetuo hoc gratissimo recordor animo, summo omnium rerum sortisque meae Moderatori sic placuisse, ut Te uterer Patre. Nec Deo tantum, sed Tibi quoque reddo gratias; quas, etsi palam multis verbis proferendae non sunt, hîc tamen prorsus reticere nequeo. Quanta enim cura puerum educasti, juvenemque artibus disciplinisque et religionis principiis imbuisti, quanta liberalitate vitae quoque gaudia ei carpenda dedisti, quanta patientia filium deflectentem ad Te ad Deumque studuisti reducere, verbo, quanto me complexus es amore, quo majorem ne cogitare quidem possum! Imprimis autem Tibi hoc debeo, quod nunc jam sperare mihi liceat, fore, ut summo illo aliquando fungar Evangelii Ministerio, quod Tibi ipsi quoque omni honore aut munere est majus; hoc enim Te suasore vitae elegi officium, ad hoc Te duce et adjutore me praeparavi. Accipe jam, Pater optime, hanc dissertationem, Tibi dicatam, non vero tam studiorum meorum quam tuae institutionis fructum. Accipe et grati animi testificationem, quam ut non verbis tantum sed factis aliquando vitaque omni Tibi exhibeam, Deus me juvet! Idem autem Deus in nostrûm, in Patriae, in Ecclesiae emolumentum, diutissime Te servet incolumem!

Laeta mihi quoque est opportunitas haec, ut Vobis, Viri Clarissimi Pareau et Muurling! gratias agam. Vestra enim eximia institutione non publica tantum sed privata etiam uti mihi contigit. Nunquam negligam aut obliviscar praecepta vestra et monita, quibus regiam mihi viam in disciplinis ingrediendam perfectumque pastoris exemplum sequendum proposuistis. Tibi autem imprimis gratias debeo, Clarissime Pareau! quem et per totum vitae Academicae stadium et novissimo etiam hoc tempore egregium expertus sum magistrum benevolumque adjutorem. Persuasum Tibi sit me beneficiorum tuorum semper fore

memorem; quae ne apud indignum prorsus collocasse unquam videare, quam maxime me probaturum spero.

Nec Te silentio praeterire volo, Doctissime plurimumque Ve[illegible] van Herwerden, Avuncule dilectissime! Tu antea mihi religionis fuisti dux; praeceptis deinde variis ad munus futurum me informare studuisti; maxima continuo me benevolentia et amore es prosecutus. Pro his singulis publice Tibi gratias referens, simul rogo ut eundem, quem hucusque, in posterum quoque erga me serves animum.

Vobis omnibus, Viri dilectissimi! ut Deus O. M. longam servet vitam, in Academiae Ecclesiaeque commodum ex animo pre[illegible]

Denique Academiam jam relicturus, Vos omnes, quibus hucusque vitae sociis usus sum, ut valeatis, opto. Conjunctos nos tenuit Amicitia in maxima studiorum cum similitudine tum etiam diversitate. Haec ne vitae conditione immutata aut immutanda dissolvatur, sed ut firmior et perfectior fiat, mihi quam maxime in votis est.

CONSPECTUS.

Pag.

INTROITUS. . . . 1—23.

Discrimen quod Pauli inter ac reliquorum Apostolorum theologiam intercedit non repetendum ex patefactione, qua ipsam hanc coelitus accepit. Quod, ne statuamus, dissuadent, ...

Pauli *historia*, ... 1—3.

ipsius *effata*, ... 4, 5.

ejus *agendi docendi*que ratio. (Exemplum petitur ex ep. ad Rom.). . . . . 6—18.

Pauli *vita* est consulenda, ... 19.

in hac autem ante omnia ejus *conversio* spectanda. . 20—23.

DE THEOLOGIAE PAULINAE PRINCIPIIS.

PRAEMONENDA,

DE THEOLOGIAE PAULINAE FORMA . . 24—30.

Paulus dialecticus; Jesu neque exemplum sequitur neque verba refert; nulla quippe Jesu institutione usus. . 24—26.

Paulus plena loquitur persuasione; causa est et Jesu apparitio et sua ipsius experientia . . . . . 26—28.

Forma antithetica observanda in Paulo; haec ex ejus experientia derivanda. . . . . 28—30.

CAPUT I.

Pag.

JESU VITA NOVA. . . . 31—62.

Paulus in via Damascena vidit Jesum esse vivum . . 31.
Quid Paulo sit Jesu *ἀνάστασις* . . . . . 32, 33.
Ubique et semper ad Jesum vivum provocat . . . 33, 34.
Multifarium ejus hac in re est consilium et modus . . 34—54.
1. *a.* Ex hac constat, Jesum esse Dei Filium, . 34—36.
b. in coelis vivum, ... 36.
c. agere vitam sempiternam, divinam, efficacem, 37.
d. omnium esse Dominum, ... 38.
e. Ecclesiae suae caput . . . . . 38—40.
2. Ad hanc provocat Paulus, ut Dei potentiam in luce ponat et ut fidem in Deum excitet . . . 41—43.
3. Ex Jesu vita vita Christianorum pendet. Quid Paulo sit vita . . . . . 43, 44.
a. Jesu in vitam reditus vitae Christianorum causa et origo, ... 45—47.
b. ejusdem explicatio et perfectio, . . . 47, 48.
c. ita ut sit vita eorum tota Jesu vivo consecrata . . . . . 48, 49.
d. vita haec est sempiterna, ... 49—51.
e. nec morte finitur . . . . . 51—53.
Interdum omnem fere rei Christianae praestantiam ex Jesu vita nova repetit Paulus . . . . . 53.
Quid lucis singula haec, ex Jesu vita a Paulo repetita, universae ejus theologiae affundant . . . . 54.
Paulus cum reliquis Apostolis comparatur; hi omnes et *aliter*, et *varius*, et *alio consilio* Jesu *ἀνάστασιν* laudant . . . . . 55—59.
Causa est in Jesu vivi apparitione; hac et Pauli vita est immutata, ... 59—61.
et vitam coelestem adspexit Paulus. . . . . 61, 62.

CAPUT II.

Pag.

GRATIA DIVINA, ... 63—140.

Paulus Jesu apparitione suum peccatum gratiamque Divinam cognovit . . . . . 63.

Pauli conversio. . . . 63—70.

Pauli theologia. . . . 70—140.

Quomodo haec delineanda, ... 70.

Hominum vita antecedens.

A.

Pauli doctrina . . . 71—76.

1. Peccatum adest, ... 71.
2. ἄγνοια, ... 72.
3. praeparatio ad salutem, ... 73.
4. lex non sufficiens ad salutem afferendam . . 74—76.

B.

Vinculum hujus doctrinae cum Pauli conversione . 76—80.

Pauli doctrina de peccato in *toto genere humano* regnante undenam sit derivanda . . . . . 80, 81.

Hominum ad Deum conversio.

A.

Pauli doctrina . . . 82—122.

Hujus delineandae ratio. . . . . 82.

I. Dei gratia homines peccati regimine liberantur et cum Deo iterum conjunguntur . . . 82—84.

II. 1. De praedestinatione, electione et vocatione . 84.

2. De Gentibus quoque ad Euangelium vocatis . 85.

De salute ad quam homines vocantur . 86.

3. De peccatorum remissione, . . . 86—91.

haec est necessaria, ... 86.

variae formulae quas adhibet Paulus, . . 87.

venia peccatorum sub V. Foedere concessa, 87, 88.

venia peccatorum *in Christo* oblata, . . 88-90.

conversio ad Deum est consilium veniae peccatorum oblatae, ... 90.

		Pag.
	remissione peccatorum nemo fruitur, nisi qui fidem habet, ...	90.
	remissio peccatorum gratia Divina homini contingit, ...	91.
	pariter peccati cognitio a Dei gratia repetenda.	91.
4.	De fide, ...	91—100.
	πίστις et *πιστεύειν* quid significet, . .	91.
	fides quam ipse Paulus fovebat et in aliis excitare studebat, ...	92—95.
	Dei Christique amor vis, quae ad fidem fovendam impellit, ...	94, 95.
	fidei fundamentum: Dei potentia et amor, .	95, 96.
	fides Abrahami, ...	96.
	fides Christianorum, ...	96—98.
	Deus fidei auctor; haec repetenda e gratia Divina, ...	98.
	homo libere fidem habet, ...	99.
	fides omnium bonorum spiritualium initium et fons	99, 100.
	Salus quae ex fide profluit gratiae Divinae tributa a Paulo	100.
	Varia ratione haec salus describitur; (comparatio epp. ad Rom et ad Eph.) . .	101—103.
5.	De *δικαιώσει*, ...	103—111.
	homo per fidem in rectam cum Deo relationem pervenit, ...	103.
	quid sit *δικαίωσις*, et *δικαιοσύνη παρὰ τῷ Θεῷ*, ...	104, 105.
	peccatorum remissio antecedit justificationem,	105.
	nulla justificatio ex operibus; neque ulla sine fide, ...	106.
	Dei justitia in homine e fide justificando conspicua, ...	107—109.
	sanctificatio justificationis consilium, . .	109.
	δικαίωσις repetenda e gratia Divina . .	110.
6.	De *υἱοθεσίᾳ*, ...	111—120.
	homo per fidem fit Dei filius, . . .	111.
	quid sit *υἱοθεσία*, ...	111, 112.

Pag.

Dei consilium nos per Christum ad *υἱοθεσίαν* ducendi, ... 113, 114.
quanam via in filiorum statum perveniamus, 114—116.
Christiani non sunt infantes sed adulti Dei filii, ... 116.
veritas, amor, libertas sunt filiorum Dei . 117, 118.
Dei filii Deum adeunt Patrem, . . 118.
Dei filius est haeres, ... 119.
υἱοθεσία vario tempore, aut praesens, aut futura, proposita, ... 119.
υἱοθεσία repetenda e gratia Divina . . 120.
Formarum, quibus Paulus utitur ad salutem describendam, varietas, . . . 120, 121.
III. Gratia Divina per totam deinceps vitam reguntur et ducuntur Christiani . . . . . 121, 122.

B.

Vinculum hujus doctrinae cum Pauli conversione . 123—140.
Paulus non a Jesu caeterisve Apostolis theologiam suam petivit, ... 124.
Ex Jesu apparitione et sua conversione theologiam sibi informavit suam, ... 125.
I. doctrinam de gratia Divina universe, . . 126.
II. 1. de praedestinatione et vocatione, . . 126.
2. de Euangelio omnibus omnino Gentibus annuntiando, ... 127—129.
3. de peccatorum remissione, . . . 129.
4. de fide, ... 131.
5. de *δικαιώσει*, ... 131.
6. de *υἱοθεσίᾳ*, ... 132.
III. de gratia Divina omnes per totam vitam curante. 133.
Non tamen negligenda omnis Pauli vitae et anterioris et posterioris experientia . . . . . 133—138.
Ipsius Pauli testimonia, quibus omni dubio majus fit, ex sua ipsum experientia suam sibi informasse theologiam. 138—140.

CAPUT III.

Pag.

CHRISTI ECCLESIA. . . 141—160.

Paulus Jesu apparitione semina in se concepit doctrinae, quam de Christi Ecclesia protulit . . . 141.

Pauli de Christi Ecclesia doctrina . 142—155.

Ecclesiae cum Christo adest unitas . . . . 142—144.

Varia ratione hanc depingit Paulus; imago corporis, cujus caput est Christus. Quid haec significet . 144.

a. Ecclesia est *una* . . . . . 145.

b. Ecclesia est *corpus* unum . . . . . 145.

c. Ecclesia est corpus *Christi* . . . . 146.

d. Christus Ecclesiae est caput; Ille est Dominus, cui Ecclesia paret . . . . . 146.

e. Christus summo Ecclesiae ducitur amore . . 147.

f. Ecclesia debet progredi et perfici . . . 147.

g. Mutuo Christus et Ecclesia conjuncti tenentur amore . . . . . 148.

Reliquae imagines, quibus utitur Paulus: aedificium, regnum . . . . . 149,151.

Qualis sit Ecclesiae Christique conjunctio. Unus in omnibus est spiritus . . . . . 150,151.

Hic spiritus est Christus . . . . . 151.

Libertas regnat in Christi Ecclesia . . . . 152.

Christi Ecclesiaeque conjunctio eo tendit, ut et Ecclesiam et per Ecclesiam omnia perficiat Christus . . 152,153.

Relatio Deum inter atque Christi Ecclesiam . . . 154,155.

Pauli doctrina cum Johannis Jesuque doctrina comparatur . . . . . 155,156.

Hujus de Christi Ecclesia doctrinae fons . 156—160.

CONCLUSIO. . . . 161—170.

Ostenditur Jesu apparitio in via Damascena revera *objective* locum habuisse . . . . . 163—170.

THESES. . . . 171—175.

INTROITUS.

Pauli scripta legentibus hoc statim ipsum inter ac reliquos Novi Foederis scriptores in oculos incurrit discrimen, quod, dogmaticus ubivis, philosophando maxime et speculando in rei Christianae indolem et propositum dialectice inquirat, dum narratione magis et commentatione ac monitis vel ipsum Christum vel vitam Christianam lectoribus commendant reliqui pene omnes. Nec sola methodo et rerum exponendarum forma, verum ipsis etiam quas exponit rebus (v. c. peccati natura et origine, legis natura, consilio et vi, Christi consilio et opere, Ecclesiae indole et proposito) a caeteris Jesu discipulis discrepat. Quod, uti omni aevo a quibusvis Christianis est agnitum, ita theologos, diversitatem hanc componere studentes, cruciavit, plurimosque, posteriori praesertim aetate, excitavit, ut, unde tanta esset derivanda discrepantia, inquirerent. Pauli de re Christiana sentiendi ratio ex institutione quadam, ipsi ab Apostolis reliquis data, quominus explicaretur, et res ipsa jam dissuadebat, et vetabat prorsus Pauli ipsius asseveratio, ex nulla neque Apostolorum neque hominis cujusvis auctoritate suam pendere Euangelii praedicationem affirmantis. Ejusdem vero effata, se ex ἀποκαλύψει habere omnia, aliam monstrabant quaestionis solvendae rationem. Deus nempe aut Christus per spiritum Sanctum, vel quacunque alia

patefactionis peculiaris via, dogmata singula et ideas cum Paulo communicasse aut ei inspirasse putabatur (1). At nunquam, quoad nobis Pauli historia innotuit, vox quaedam coelitus demissa ad eum pervenit dictans, legem esse abrogatam, Christum esse cruci affixum pro nobis, hominem fide justificari coram Deo, rel. Nihil horum. Omnes, quarum nobis servata est memoria, patefactiones divinitus ei concessae, non quid credendum aut praedicandum, sed quid agendum esset, ipsum docebant. Omnium luculentissime hoc liquet ex prima illa et gravissima Jesu apparitione in via Damascena, ubi persecutorem, humi prolapsum, rogat Dominus, τί με διώκεις; eumque, jam certiorem factum, Jesum Nazarenum vere in coelis vivere, ut Damascum petat, jubet, addens, καὶ λαληθήσεταί σοι ὅ τι σε δεῖ ποιεῖν, Act. 9: 4—6. Nec Paulus rogat, quid sibi credendum, sed quid faciendum sit; neque Jesus de dogmate quodam credendo loquitur, sed de iis, quae Paulus faciat et in posterum facere debeat. Doctrinam Jesus tradit nullam; neque hoc consilio ei apparet, ut dogmatibus ejus mentem impleat, imo vero ut, persecutore ab incepto revocando et in Euangelii praeconem commutando, et ipsi et Ecclesiae suae prospiciat (2).

Similiter reliquae patefactiones Paulo datae omnes, nobis notae, hoc primo loco spectant, non ut cogitandi ejus ratio immutetur, sed ut secundum Jesu consilium dirigatur ejus agendi ratio. Etenim quem Apostolum creaverat Christus, eundem et postea semper curavit, saepe usus patefactionis cujusdam peculiaris ope. Quas singulas recensere lubet, ut

---

(1) Praeter antiquiores multos hanc sententiam protulit RETTBERG in *Allgem. Encyclopädie* ab ERSCH et GRUBER edita III, XIV, in voce Paulus, p. 192, 193, inter alia etiam haec dicens: »Es bleibt hier stets eine weitere göttliche Einwirkung auf seinen Geist nothwendig, die unter den Begriff der Inspiration zu befassen ist." Quod necessario statuendum esse perhibet, ut Pauli, in multis a reliquorum Apostolorum institutione recedens, Euangelii praedicatio »als wirkliche christliche Lehre" agnoscatur.

(2) Ex iis, quae Paulus coram Agrippa de conversione sua narravit, Act. 26: 16—18, possit quis efficere, revera *doctrinam*, eamque maximi ponderis, a Jesu cum Paulo esse communicatam, Deum praebere remissionem peccatorum. Aliter vero rem se habere, facile patet, modo tres de illa Jesu in via Damascena relationes (Act. capp. 9, 22, 26) componamus. Paulus enim, cujus coram Agrippa et Festo dicentis nihil intererat, Ananiam Judaeum, illis ignotum, memorare, pro consilio suo auditores movendi eosque ad μετάνοιαν et fidem Christo habendam ducendi, diversa *contraxisse* in unum, atque ita *explicuisse* potius Christi *mentem*, quam *verba* ejus *retulisse* videtur. Conf. v. gr. LANGE, *Das Apostolische Zeitalter*, II, 1, p. 121 sq.

nobis de earum natura deque Christi consilio prorsus constet. Hierosolymis degentem ibique Judaeis Jesum Christum annuntiare cupientem jubet Hic, ut inde profectus ad Gentes se conferat, ipsius irritum et ingratum Judaeis fore Euangelii praeconium monens, Act. 22: 17—21. — Quum aliquot annos post Pauli praedicatione multi offenderentur Judaeo-Christiani, ita ut metus esset, ne Ecclesia Christiana jam statim dissidiis gravissimis dilaceraretur et mox interiret, Paulus Antiochia missus Hierosolyma adiit κατ' ἀποκάλυψιν, Gal. 2: 2. — Similiter Christus postea Apostolum suum maximis in periculis versantem cura diligenti est prosecutus. Corinthi Judaeis tumultuantibus et gravissima quaeque minitantibus, viso nocturno Apostolum hortatur: μὴ φοβοῦ, ἀλλὰ λάλει καὶ μὴ σιωπήσῃς, διότι ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε, διότι λαός ἐστίν μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, Act. 18: 6—10. — Quum corpore languescenti et debili, animum despondens, Dominum precibus adiret, ut ipsum malo liberaret, vires Hic ei indidit novas, dulcem hanc mittens vocem: ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελεῖται, 2 Cor. 12: 7—9. — Pariter ei Christus identidem, et Hierosolymis et in itinere Romam versus, ne metuat, praecipit, Romam enim ipsum perventurum ibique a Caesare judicatum iri, Act. 23: 11; 27: 24. — Memorabilis praeterea est visio illa, qua in Asia Minori adhuc degens ad Europam visitandam movebatur; vetante enim spiritu Sancto, neque in Asia, neque in Bithynia Euangelium praedicare poterat, donec tandem in Troade, Europae proxima, in Macedoniam transeundi accepit admonitionem peculiarem, quam a Christo esse profectam inter omnes ejus comites constitit, Act. 16: 6—10. — Harum omnium patefactionum, quibus fruitus est Paulus, unus est character idemque hic: Jesus Christus, Ecclesiae suae dominus, Paulum vocat, mittit, dirigit, consolatur, hortatur. Nulla in iis aut dogmatis aut doctrinae cujusdam fit mentio.

Una nobis superest ἀποκάλυψις tractanda, cujus ipse Paulus meminit 2 Cor. 12: 2—4. Hanc vero hic in censum venire non posse, vel me non monente intelligis; se enim ἁρπαγέντα ἕως τρίτου οὐρανοῦ et abductum in paradisum audivisse testatur ἄρρητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι· quicquid fuerit, quod audiverit, certe non fuit theologia illa, quam et ipse bene intelligebat et aliis explicare, nullus dubitabat.

Quum itaque nec Lucas in referendis Pauli fatis, neque ipse in omnibus suis epistolis patefactionem laudet ullam, ex qua conspiciamus eum

theologiam suam accepisse, recurrendum fortasse videatur ad unam pluresve ἀποκαλύψεις nobis non relatas, quibus theologiam suam edoctus sit. Et sunt viri doctissimi, qui hoc praecipiant, provocantes ad locum Gal. 1: 11, 12, ubi ipsum Paulum nos docere putant, se a Jesu Christo per patefactionem Euangelium suum accepisse (1). Hoc vero si Paulus voluisset dicere, scripsisset: οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ [τὸ εὐαγγέλιον] οὔτε ἐδιδάχθην, ἀλλὰ παρὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ δι' ἀποκαλύψεως, non, uti locus se habet, ἀλλὰ δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quod quid significet, sequentia docent. Etenim quae vs. 13 sqq. sequitur ipsius historiae enarratio, per particulam γὰρ praecedentibus annexa, inservit ad probandum et exponendum quod affirmaverat, se Euangelium suum accepisse δι' ἀποκαλύψεως Ἰ. Χ. Mox igitur ad hanc ἀποκάλυψιν redit, pluribus eam explicans vs. 15, 16: ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου καὶ καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί. Paulum autem his verbis Jesu in via Damascena apparitionem, minime vero aliam quandam patefactionem peculiarem, significare, contexta oratio sponte docet. Memorata enim sua ἀναστροφῇ ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ atque persecutione et vastatione Ecclesiae Dei, vs. 16 dicit, se post ἀποκάλυψιν illam non iniisse consilia cum hominibus neque Hierosolyma se contulisse, sed statim in Arabiam profectum, indeque reversum esse Damascum. Liquet ergo, Paulum vitae historiam paucis enarrare, quam amplius exposuit Lucas Act. 9, in hac autem enarranda, verbis illis vs. 16, ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί, ipsam Jesu apparitionem in itinere Damasceno significare. An forte hanc, cui omnia debebat, silentio praeteriisse dicendus erit? Quum itaque constet, Paulum, vs. 12 ac 16, *eandem* ob oculos habuisse patefactionem, ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ vs. 12 est Dei *patefactio*, qua *Jesum Christum*, Filium

(1) Ingrediuntur hanc viam praeter alios DE WETTE et MEYER in Comm. ad Gal. 1: 12. Hic, Ἰησοῦ Χριστοῦ genitivum subjecti esse putans, ita explicat: »*Dadurch, dass Jesus Christus mir Enthullung gab.* Paulus meint seine bald nach dem Ereignisse bei Damascus empfangenen Offenbarungen (von denen uns aber die Apostelgesch. nichts berichtet), durch welche er in den Stand gesetzt wurde, als Verkündiger des Evangel. aufzutreten." Deinde ad vs. 16 iterum impugnat, »die irrige Identificirung der Bekehrungs-geschichte mit der Paulo zu Theil gewordenen Offenbarung des Evangel." — Illae patefactiones vulgo in Arabia locum habuisse sumuntur; vid. v. gr. SCHAFF, *Gesch. der apost. Kirche*, ed. 2, p. 240.

esse suum, manifestavit Paulo, interpretante ipso vs. 16 (1). Quae patefactio quum, docente oratione contexta vs. 13—17, Jesu fuerit apparitio in via Damascena, ex nostro loco discimus, Paulum Euangelium suum accepisse ex apparitione illa, qua ipsi Jesus, Dei Filius, est patefactus (2).

Objiciuntur vero nobis, patefactiones, quibus doctrinam quandam acceperit Paulus, negantibus, loca nonnulla, ubi diserte, quae a Christo audiverit, enuntiasse putatur. Sunt hi praecipui 1 Cor. 7: 10; 11: 23—25; Act. 20: 35. Primo loco agit Paulus de conjugio inter Christianos Dominique de eo jussis. At vero num Christus praeceptum de conjugio non dissolvendo, quod in terris adhuc versans maximo auditorum adstantium numero erat elocutus, iterum e coelis Paulo retulisse est censendus? (3) Num Christus, uti et Deus, simplicissimis semper utens mediis, Sacrae coenae institutionem, de qua Paulus altero disserit loco, quam et omnes celebrabant Christiani, immediate Apostolo suo tradidisse putandus est? (4) Nonne potius dicendum est, eum et relationem de S. coena instituta et Christi de divortio verba et ea quae adhibuit in oratione valedictoria ad Episcopos Ephesinos, ex traditione ubivis divulgata, aut ex Apostolorum, Ananiae, Barnabae, Lucae,

---

(1) Genitivus Ἰησοῦ Χριστοῦ itaque est genitivus objecti; pariter vulgo apud Paulum genitivus objecti voci ἀποκάλυψις additus est, Rom. 2: 5; 8: 19; 16: 25; 1 Cor. 1: 7; 2 Thess. 1: 7. Unus tantum est locus 2 Cor. 12: 1, ubi ἀποκαλύψεις Χριστοῦ designare videntur patefactiones, quas Christus dat; quod negat tamen VAN OORDT, *Onderzoek naar de bronnen, waaruit* Paulus *voor zich zelven het Christendom heeft leeren kennen*, in opere period. *Waarheid in Liefde*, 1844, II, p. 238. Utrâ vero ratione h. l. genitivus sumatur, ad quaestionem nostram nihil refert.

(2) Objectionem, quam contra hanc nostram interpretationem movet DE WETTE, ad Gal. 1: 12: »Aber jene Erscheinung, Act. 9: 3 ff, wie sie erzählt ist, konnte nicht allein in den vollen Besitz der christlichen Wahrheit setzen," non valere, hic ostendere non possumus; neque hoc opus est, quum totius opusculi nostri propositum sit ostendere, quomodo Paulus ex illa apparatione suum Euangelium acceperit. Conf. insuper v. OORDT, l. l. p. 235—240.

(3) Ipse Paulus, eadem in re mox suam sententiam, non Domini jussum Corinthiis commendans, 1 Cor. 7: 12, 25, 40, praeceptisque suis haec verba, δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα Θεοῦ ἔχειν, addens, distinxit inter Christi praecepta, vulgo nota, et sua, quae spiritu Divino ductus mandat.

(4) Verba παρέλαβον ἀπὸ τοῦ Κυρίου minime indicant, Paulum immediate a Christo illud accepisse; quod significaturus scripsisset ὑπό vel παρά, cff. WINER, *Gramm*, Ed. 4, § 51, p 348 sq., 354, not. * MEYER ad h. l. et v. OORDT l. l. p. 234 not. 3. MEYER tamen ex Christi quadam patefactione speciali sed mediata, non ex aliorum relationibus, Paulum illud accepisse

aliorum commercio hausisse, quam e superflua quadam Christi ἀποκαλύψει?(1)

Quae hucusque vidimus, neque in Pauli historia mentionem fieri patefactionis *theologiam* continentis ullius, neque rationem, qua ad Christum provocat, talem postulare *doctrinae* patefactionem, eadem certissima nobis fiunt omnique dubio majora, Paulum ipsum contemplantibus scribentem Euangeliumque annunciantem. Philosophantem enim ratiociniisque et argumentis undique collectis pugnantem ubique videmus. Loquitur de *suo* Euangelio (2), hoc exponit, commendat, defendit, et, vel ἀποκάλυψιν sibi concessam laudans, statim subjungit *suam*, sibi propriam, intelligentiam mysterii Christi, lectoribus dignoscendam: ὅτι κατὰ ἀποκάλυψιν ἐγνωρίσθη μοι τὸ μυστήριον, καθὼς προέγραψα ἐν ὀλίγῳ, πρὸς ὃ δύνασθε ἀναγινώσκοντες νοῆσαι τὴν σύνεσίν μου ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῦ Χριστοῦ, Eph 3: 3, 4. Quae nobis sponte jam se obtulerat suspicio, aliam fuisse *rem* Paulo patefactam, aliam ipsius hac de re *sententiam*, ea his disertis Apostoli verbis confirmatur; non enim de *sua* συνέσει ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῦ Χριστοῦ ipsi

---

defendit, putans pronomen additum ἐγώ hoc postulare. Ἐγώ autem sententiae vim auget: *Vos Corinthii tam perverse agitis; quid dicam vobis? Num laudabo vos? Non laudo; nam plane alia ac vos audivisse videmini, ego accepi.*

(1) E traditione plurima Paulo fuisse nota agnoscit quoque DA COSTA, *Paulus, eene Schriftbeschouwing*, II, p. 310—313. — Alia hac de re statuunt DÜHNE, *Paulin. Lehrbegr.* § 1, not. 5, p. 13 et THOLUCK, *Verm. Schriften*, II, p. 292 sqq. Hic, sententiam impugnans eorum, qui omnia ad naturae, quas ferunt, leges componere studentes, divinas quoque Paulo concessas patefactiones negant, ad alterum illud processit extremum, ut Paulum et universam theologiam suam et institutionis Sacrae coenae ac praecepti de divortio notitiam patefactionis sive potius visionis instrumento accepisse statuat, p. 308—313. Argumentum vero, quod ad hanc probandam inspirationem ex reliquis nobis relatis patefactionibus petit, nil valere, ex iis, quae de patefactionum Paulo datarum natura diximus, liquet. — Conferri meretur SWAAGMAN (*Waarheid in Liefde* 1844, III, p. 455 sqq.), qui, instituta inter Christum *Pauli* et eum, quem nobis exhibent *quatuor Evangelistae*, seriem attulit locorum, e quibus, longe plurima Jesu fata factaque et nonnulla etiam dicta Paulo minime ignota fuisse, cernimus l. l. p. 463—481. An forte haec omnia immediate e coelis dictata audivit Paulus? Vide ipsius testimonium coram Agrippa Act. 26: 26.

(2) Rom. 2: 16; 16: 25; 2 Tim. 2: 8. Cf. 2 Cor. 4: 3; 2 Thess. 2: 14: τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν. 1 Cor. 15: 1: γνωρίζω δὲ ὑμῖν — τὸ εὐαγγ. ὁ εὐηγγελισάμην ὑμῖν. Gal. 1: 11: τὸ εὐαγγ· τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ — οὐκ ἔστιν κατὰ ἄνθρωπον. 2: 2: ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγ. ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσιν.

ἀποκεκαλυμμένῳ locutus esset, nisi ipsi fuisset persuasum, discrimen inter τὸ μυστήριον ἀποκεκαλυμμένον et suam ipsius σύνεσιν ἐν τῷ μυστηρίῳ intercedere magnum.

Sed quid in verbis haeremus, ab ipso Paulo, ut ajunt nonnulli, hanc epistolam non Paulinam esse judicantes, non profectis? Ipsum audiamus Apostolum Euangelium praedicantem, explicantem et commendantem, ut, qua ratione hac in re versatus sit, adspicientes, unde ipsius theologia sit derivanda, certiores fiamus.

Age, epistolam adeamus, quae totam fere Paulinam theologiam continet, eoque consilio scripta est, ut lectores Romae degentes, qui ipsum nunquam viderant vel audiverant, jam ex ipsius Euangelii interpretatione accepta ad Euangelium pure amplectendum perducerentur.

Hanc inspicientes ad Romanos epistolam, quibusnam argumentis singula *ipsius* Euangelii praedicationis placita nitantur, ex ipso Paulo intelligemus, quo nobis constet, num ex inspiratione dogmatum revera totam suam theologiam immediate didicerit, nec ne.

Jam statim in exordio, plenum suum lectoribus effundens animum, duo nominat gravissima fundamenta, quibus Jesu missio et tota religio Christiana est innixa Rom. 1: 1—4: Παῦλος δοῦλος Χριστοῦ Ἰησοῦ, κλητὸς ἀπόστολος ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ, ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαυὶδ κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. Haec duo *Dei per Prophetas data promissa* et *Jesu resurrectio* (1), hic in transitu tantum citata, Paulo sunt argumenta praecipua, unde magnam partem ejus theologia pendet, et ad quae, cum in hac ad Romanos, tum in reliquis epistolis saepe numero provocat, cf. v. c. Act. 13: 23; 26: 22; Rom. 3: 21; 4: 1—24; Gal. 3: 8—14. — Act. 17: 31; 1 Thess. 1: 10; Rom. 4: 24, 25 et cf. infra cap. I.

(1) Ἀνάστασις νεκρῶν est *resurrectio mortuorum.* Itaque Paulus dicit ipsorum mortuorum in vitam reditu Jesum declaratum esse Dei Filium. »Quemadmodum autem Act. 17: 32; 23: 6; 1 Cor. 15: 11 generatim proponuntur mortui in vitam redeuntes, sic PAULUS hoc loco generatim ἀνάστασιν νεκρῶν laudavit, ut lectori relinqueret formulae ad Dei Filium applicandae rationem." VAN HENGEL Comm. ad h. l. p. 48, 49. Ita etiam BENGEL et MEYER locum explicant. Simplicior tamen mihi difficultatis expediendae ratio videtur eorum, qui, breviloquentiam statuentes, ἀναστάσεως νεκρῶν pro ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν dictum putant; cf. infra pag. 35.

Sed videamus de singulis placitis in hac epistola obviis. De Ecclesiae Romanae laude propositoque suo Romam veniundi mentione facta, ad argumentum, quod tractandum sibi proposuit, mox transit: Euangelium vim esse Divinam, quae omnibus fidem habentibus *δικαιοσύνην Θεοῦ* eoque ipso *σωτηρίαν* praebeat. Probat hanc thesin provocando *ad scripturam Sacram: καθὼς γέγραπται· ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται*, Rom. 1: 16, 17.

Antequam vero thema hoc ulterius explicet, ostendit, omnes et Gentiles et Judaeos hac *σωτηρίᾳ* minime frui, destitutos quippe *τῇ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνῃ*, ideoque *τῇ τοῦ Θεοῦ ὀργῇ* Deique *δικαιώματι* et *κρίσει* obnoxios. *Omnium experientia* et eorum, ad quos scribit, *conscientia sensusque moralis* omnem hujus loci demonstrationem efficiunt, Rom. 1: 18 — 3: 8. Pingit ideo corruptionem ubivis conspicuam, describit conscientiam omnes accusantem, ostendit Gentilem interdum Judaeo meliorem se praestare, totum locum denique concludit afferendo *testimonio V. Foederis*, omnes aeque sontes esse, confirmante, 3: 9—20.

His expositis ipsum thema epistolae, 1: 17 jam enuntiatum, aggreditur, hominem fide justificari coram Deo; haec justificatio vero e fide quum prorsus opposita sit justificationi, quam se ex lege acquirere posse putabant Judaei, causam nominat qua factum esset, ut tam infirmam se praeberet lex: *διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας*, 3: 20. Probat paulo post hanc sententiam, quam *philosophice* in semet ipsum inquirendo invenerat, *sua ipsius experientia* exhibenda, Rom. 7.

In exponendo dein ipso themate suo, Rom. 3: 21—26, eadem ratione, qua eum hucusque agentem vidimus, versatur. Non Apostolica sua dignitate veritatem novam, fide, non operibus, justificari hominem quemcunque, promulgat aut coecae mentis obedientiae credendam imponit; imo tantum abest, ut auctoritati Divinae cedendum esse putet, ut argumentis iisque variis et undique collectis hoc theologiae suae principium et caput lectoribus commendet. Sed ipsum locum inspiciamus: *νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται, μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας. οὐ γάρ ἐστιν διαστολή· πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ*

Ἰησοῦ, ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὴν ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως.

Primum ei argumentum est *testimonium legis et prophetarum*, ex quo efficit, adesse posse δικαιοσύνην Θεοῦ absque lege, vs. 21.

Alterum argumentum, quo utitur ad probandum, *omnes aeque Judaeos ac Gentiles fide esse justificandos*, est: provocatio ad *peccatum cui omnes subsunt*, vs. 22, 23. (Peccatum autem ubivis regnare demonstraverat ex omnium *experientia*, *conscientia*, *scripturaeque effatis*, 1: 18; 3: 19.)

Tertium denique adhibet argumentum *mortem Christi;* quae inservit ad plura probanda:

a. Gratiae Divinae deberi salutem (τῇ αὐτοῦ χάριτι, — ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον).

b. Peccata a Deo remitti (εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ).

c. Deum haec remittere ei, qui fidem habet (εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως)(1).

Quod hucusque leviter tantum attigerat argumentum, idem nunc ulterius explicat; primo loco ostendit suam de justificatione doctrinam cum V. Foedere convenire. In hoc exponendo versatur cap. 3: 31 — 4: 25, ita ut

a. ostendat, fide justificari hominem, non operibus, 4: 1—8;

b. hanc justificationem non ex circumcisione pendere affirmet, 4: 9—12;

c. promissa Dei non legi, sed fidei justificanti, annecti doceat, 4: 13—17;

d. πίστιν denique accuratius describat, eamque inconcussam modo et constantem affirmet efficere posse δικαιοσύνην παρὰ τῷ Θεῷ, 4: 18—22.

---

(1) Quodnam, e Pauli mente, inter haec omnia et Christi mortem intercedat vinculum, non hujus est loci quaerere. Postea de eo agetur. Hic sufficit ostendisse, Paulum non *auctoritate* sua credendam praebuisse, sed *argumentis* afferendis suam theologiam explicuisse et commendasse.

Probat primum provocando *ad Veteris Foederis effata*, Davidem et Abrahamum fide, non operibus justificatos esse, 4: 3, 7, 8; — reliqua provocando *ad Abrahami historiam*, qui non ex circumcisione justificatus sit, neque ex lege promissa acceperit, sed ex fide, eaque firma et immutabili, 4: 9—22.

Totam argumentationem, quam lustravimus, nunc concludit, vs. 23—25: *οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐτὸν μόνον, ὅτι ἐλόγισθη αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ δι' ἡμᾶς, οἷς μέλλει λογίζεσθαι τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν.* Ostendit his verbis Paulus, ad quodnam antecedentia omnia tetenderant consilium, ut nempe fidem haberent lectores; non autem hanc commendat fidem ad suam auctoritatem Apostolicam aut ad patefactionem coelitus acceptam provocans, sed *C. Sacri auctoritatem* afferens et *Jesu mortem et resurrectionem.* Nempe scriptura Sacra docet, nos debere, Jesu mors et resurrectio, nos posse maxima fiducia summoque jure ad Deum accedere.

In describenda dein salute, qua *δικαιωθέντες ἐκ πίστεως* gaudent, Rom. 5. 1 sqq., suam ipsius ut et Christianorum omnium *experientiam* sequitur, mox vero vs. 5 rationes addit, unde lectoribus persuasum fiat, Christi asseclas maximo jure posse *ἐλπίζειν*, vel in summis periculis, ideoque etiam frui *τῇ εἰρήνῃ πρὸς τὸν Θεόν*, *argumento* utens *Christi morte.* In hac enim Christi morte nobis conspiciendus praebetur Dei amor, vs. 8; — amor Dei certissimum est spei nostrae praesidium, vs. 5; — mors Christi liberat justificatos *ἀπὸ τῆς ὀργῆς*, vs. 9, hostes cum Deo reconciliat, vs. 10, justamque *καυχήσεως ἐν τῷ Θεῷ* praebet causam, vs. 11.

Venimus ad locum illum Rom. 5: 12—21, ubi mortem ab Adamo profectam in genusque humanum introductam opponit vitae, quam per Christum mundo largitur Deus.

Quicquid de loci hujus sensu statuamus, hoc unum in eo procul dubio patet, Paulum ratiocinari, philosophari, demonstrare, argumenta undique congerere et coacervare, atque in eo totum quantum esse occupatum, ut lectores dilucidis ratiociniis convincat, minime autem divina quadam auctoritate exhibenda ad assensum cogat coecum.

Talem vero auctoritatem hic profecto optime adhibere potuisset. Agit enim de quaestione, quî fieri possit, ut unus homo tot tan-

taque, quae memoraverat vs. 1—11, beneficia generi humano afferat. Gravis sane quaestio, de qua si ullus remaneret lectoribus dubitandi locus, superflua foret quaevis rei Christianae expositio aut commendatio.

Duae autem patebant viae, quibus hoc dubium solvi posset: altera *provocatio* ad ipsum Deum, qui voce e coelis demissa omnes per Christum servandos esse dictasset; *probatio* altera, qua, legentium mentibus illustratis in Deique providentiae consilia, historia duce, introductis, philosophando ostenderet, nihil absurdi, imo omnia Divinae providentiae consuetudini congrua, inesse in sanctitatis vitaeque communione ex u n o Christo auctore in genus humanum profluente. Posteriorem hanc ingreditur viam, ita ut rebus notissimis, de quibus nemo dubitabat, suam superstruat argumentationem. Sunt hae res: *peccatum indeque mors regnans*, quae per *unius* Adami peccatum ad *omnes* transivit.

Haec vera esse sumit, neque probat, omnibus quippe notissima nullaque demonstratione egentia. Jam vero huic rei, in facto positae, ex unius Adami peccato mortem ad totum genus humanum profluxisse, annectit suam ratiocinationem: quodsi, regente aut permittente Deo, tanta mala per u n u m effecta sunt, quanto magis bonum summum, moderante Deo bono, gratuito nos complectente amore, per u n u m potest, imo debet in omnes redundare, uti revera redundat: *εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσεν. — εἰ γὰρ ἐν ἑνὶ παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν διὰ τοῦ ἑνός, πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες ἐν ζωῇ βασιλεύσουσιν διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Oppositi sibi invicem sunt Adamus et Christus; atqui ex uno Adamo ad omnes transiit mors; quidni ergo ex uno Christo potest, imo quanto magis debet cum omnibus communicari vita?

Huic r a t i o c i n i o, cui omnes facile assensuros esse sperabat, subjungit deinde comparationem fructus inter, quos Adamus peccato suo, quosque obedientia sua et justitia Christus generi humano praebuerunt, vs. 18—21.

Neque objicias, Paulum non probare, quae scribit vs. 13, *ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου*, aut vs. 20, *νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα*· haec enim

fulcire argumento, non opus erat. Alterum nempe illud, reatum sine lege adesse nullum, lectoribus aeque ac Paulo, morali cujusvis sensu dictante, constabat; cf. Rom. 4: 15. Legis autem vs. 20 mentionem facit, non hoc consilio, ut accurate enuntiet, quid valeat lex quatenusve debilior sit minimeque sufficiat (quod explicaturus erat cap. 7), sed hunc tantum in finem, ut Judaeis legi superbientibus inculcet, Christum esse unum, per quem omnes et Judaei et Gentiles (cf. Rom. 1: 16; 3: 22, 29, 30; 4: 11) justificentur, legis autem hac in re secundarias modo aut potius nullas esse partes, datae quippe augendorum peccatorum gratia.

Eandem sequitur rationem in moralibus exponendis justificationis effectibus capp. 6—8.

Rom. 6: 1 quaestionem, quam ex verbis ejus antecedentibus (5: 20) sponte moturi essent lectores, ipse proponit: *ἐπιμένωμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ*; Statim autem negationem vehementem addit: *μὴ γένοιτο*, qua immorale principium a religione Christiana arceat.

Hanc autem sententiam probaturus provocat ad *conscientiam* et *experientiam* ipsorum Christianorum: *οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ*; Explicat dein et confirmat axioma hoc ex *vitae cum Christo communione*, in quam omnes per baptismum recepti sunt quaque gaudent omnes, quippe *σύμφυτοι τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ*, quare *ἐν καινότητι ζωῆς περιπατοῦσι, καταργηθέντος τοῦ σώματος τῆς ἁμαρτίας, νεκροί τε τῇ ἁμαρτίᾳ ζῶσι τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, 6: 4, 5, 11.

His simillimum est argumentum, quo nixus mox vs. 14 certam fovet spem, non fore ut peccatum in Christianos dominetur: *οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον ἀλλὰ ὑπὸ χάριν*. Dei gratia enim eâ fruebantur vitae cum Christo communione, ut lege carentes sponte legem perficerent.

Haec autem persuasio, se non amplius sub lege vivere, nonnullos forte Christianos eo inducere posset, ut putarent, lege amota, peccandi licentiam esse datam. *Μὴ γένοιτο*, iterum Paulus respondet. Quibus vero argumentis hoc probat effatum? *Ratiociniis* eos convincit, imagine servitutis retenta: eosdem, qui hucusque *τῇ ἁμαρτίᾳ* serviissent, nunc fide sua *τῇ δικαιοσύνῃ* se obstrinxisse eoque ipso peccati servitute liberatos esse, 6: 16—20.

Eodem itaque nititur argumento, quo in priori capitis hujus parte: *vitae cum Christo communione*, forma tantum alia est,

quod et ipse enuntiat loquendi rationem suam excusans: *ἀνθρώπινον λέγω διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν*, vs. 19. Porro autem, quo firmior esset persuasio, praestantiam *τῆς δουλείας τοῦ Θεοῦ* in lucem ponit provocando ad *fructus* ejus, germanorum Christianorum *experientia* notos, vs. 21—23: *τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε; ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε· τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων θάνατος. νυνὶ δὲ — ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμόν, τὸ δὲ τέλος ζωὴν αἰώνιον. Τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος· τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ ζωὴ αἰώνιος.*

Hoc vero ipsum, quod 6: 14 jam dixerat, Christianos non esse *ὑπὸ νόμον*, repetit et peculiari *demonstrat argumentatione*, 7: 1—6:

Lex vim tantum habet in vivis, vs. 1;

Atqui vos per communionem cum Christo mortui estis, vs. 4;

Ergo liberi estis lege, vs. 4.

Majorem *probat* ex ipsa lege, exemplo matrimonii, quocum Dei cum Israële foedus saepe comparabatur, morte alterius conjugis dissoluti afferendo, vs. 2.

Minor nititur ipsis iis, quae capite praecedenti demonstraverat, hominem Christianum *τῇ ἁμαρτίᾳ* esse *mortuum*.

Vel in primario hoc religionis Christianae loco, legem non datam esse a Christo, nullaque lege externa coërceri aut juberi, sed spiritu intus agente Christianos regi et ad omnia praecepta perficienda sponte duci — in hoc principe loco exponendo et commendando, non *auctoritatem* adhibet Divinam aut Apostolicam, neque Christi verba e patefactione aut aliunde ipsi cognita laudat; contra, argumentatione simplici quidem, sed subtili utens, lectores ad suam trahit sententiam.

Hanc vero ratiocinando demonstratam sententiam, *legem Christianis esse abrogatam*, ulterius commendat fulcitque altero argumento validissimo: *legem per se non valere, ut peccata coërceat, imo vero ipsam legem peccata provocare et elicere.*

Saepius jam aut indirecte aut etiam disertis verbis de legis imbecillitate locutus erat(1), hic autem omnia, quibus lex laborabat,

---

(1) Rom. 3: 20: *διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας.* 4: 15: *ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται· οὗ γὰρ οὐκ ἔστιν νόμος οὐδὲ παράβασις.* 5: 20: *νόμος δὲ παρεισῆλθεν ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα.* Cf. 5: 13; 8: 3; 1 Cor. 15: 56; Gal. 3: 19.

vitia recenset, ut penitus persentiatur necessarius fuisse legis dominii finis. Primum quod profert est, peccatorum affectus oriri e lege (τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου, vs. 5), mox autem ne crimini vertatur, quod legem vituperaret, consulto, quid lex efficiat, exponit.

Argumento ei est *sua ipsius experientia*, uti liquet ex orationis forma, qua inde a vs. 7 constanter de se loquens, prima utitur persona:

Lex nos peccati reddit conscios, vs. 7.

Lex incitat ad peccandum, peccatoque indit vim ac vitam, vs. 8, 9.

Lex homini decepto mortem affert, vs. 11.

Homini ita peccati servo vires desunt, ut infelici conditione sua se liberet, vs. 14—24.

Haec omnia, quorum veritatem quisque legi subditus facile agnoscit, cujusvis quippe, aeque ac ipsius Pauli, experientiae congrua, *argumento* inserviunt, quo legem esse abrogandam, demonstrat Paulus.

Legis peccatique jugo descripto gratiisque Deo actis, quod ipsi illud detraxisset, felices nunc, quos ex illa Dei per Christum gratia percepturi essent, fructus describit, cap. 8.

Quod ita facit, ut, plenum effundens animum, salutem, quam nacti sunt laudet, mox, ne eam perdant, moneat lectores, tum iterum ejus praestantiam extollat, hominis denique Christiani felicitatem vel maximis in calamitatibus summam, futuroque tempore nullo turbatam dolore, prophetico pingat sermone. Est poëta, qui, quod animo gerit, concitata effundit oratione; non argumentatur aut demonstrat, sed pingit, ob oculus ponit, adspiciendam sentiendamque praebet hominis Christiani beatitatem. Haec vero est, qua *ipse* fruitur, quam *ipse* expertus erat. Hic est fons, unde omnia quae profert fluunt; pectus, Dei Christique amore plenum, disertum eum facit. Difficile inde fit, in singulis orationis partibus argumenta varia eruere, quibus Apostoli sententia nititur; unum proprie argumentum est idque sufficiens, *experientia*.

Vel sic tamen hic illic fusius ratiocinatur, quod paucis etiamnum perlustremus.

Primum docet, eos, qui Christo se addixerunt, in Dei judicio non condemnari; probat hoc provocando ad *effectum Christi a Deo missi*, quo ἁμαρτία in carne exstincta et πνεῦμα Christianis datum

est, ita ut non amplius κατὰ σάρκα περιπατῶσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα legisque δικαίωμα in iis πληρωθῇ, 8: 1—4.

Lectores deinde, ut κατὰ πνεῦμα vivant, hortatur *sequelis*, quae ex hac atque e vita oppositа profluunt, indicandis, vs. 5—17: τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος· τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη. τὸ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην. ὅσοι πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ. Ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ· εἰ δὲ τέκνα καὶ κληρονόμοι — συγκληρονόμοι Χριστοῦ· εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν.

Δόξα vero haec est certo futura; probat hoc ex totius rerum naturae exspectatione, vs. 19—22, ex nostra ipsorum spe, qua ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν et υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμεθα, vs. 23, 24, ex amore denique Dei, qui et Spiritu suo nobis precantibus opitulatur et tanta nobis jam concessit beneficia, ut inconcussa nostra stet fides, et nihil nos ab ejus amore avellere queat.

Nititur haec fides *Christi Deique* erga nos *amore*. Amor ille conspicuus est in κλήσει κατὰ πρόθεσιν, vs. 28—30, in τῇ τοῦ ἰδίου υἱοῦ παραδώσει, vs. 32, verbo patefactus est in Χριστῷ Ἰησοῦ, vs. 39.

Theologiae suae, quam cum Romanis communicare volebat, expositionem ad finem hîc perduxit; thema suum, τὸν δίκαιον ἐκ πίστεως ζῇν, ab omnibus fere partibus explicuit variisque commendavit rationibus, ita ut lectori nullum, quin verissima esset et optima religio Christiana, superesse posset dubium. Longa vero eaque tristissima edoctus erat experientia, Judaeos, antiquis impeditos praejudiciis, vel sic tamen Christo restituros sibique ipsos pro ζωῇ, qua frui iis liceret, θάνατον miseriamque omnem esse paraturos. Quam Judaeorum ἀπιστίαν nunc quoque locum esse habituram praevidens, de ea jam ex industria agit, capp. 9—11, si forte hac ratione hunc illumve a stultitia sua et contumacia posset revocare. Hunc in finem ostendit

1) miseriam et exclusionem Judaeorum cum Dei promissis aut consilio non pugnare, Rom. 9: 6—29;

2) ejus causam non in Deo, sed in una ipsorum Judaeorum ἀπιστίᾳ esse quaerendam, 9: 30—10: 21;

3) solatium esse ingens, tum ex praesenti nonnullorum fide, tum ex felicissima tandem omnium conversione, petendum, 11: 1—36.

Totus locus est ratiocinatio una, ita ut fere supervacuum

sit, ex hocce etiam ostendere, quod nobis jam dudum aliunde constat, Paulum argumentis ratiociniisque esse usum iisque solis. Sed ne quid omississe videamur, hîc quoque Apostoli vestigia legamus, ut, quibus ejus demonstratio nitatur argumentis, quam brevissime videamus.

1. Verbum Dei stare, etsi plurimi Israëlitae Messiae salute careant, probat ex *historia effatisque V. F.*; non enim ad omnes *Dei promissa Abrahamo data* sunt referenda, excludente quippe ipso Deo Ismaëlem et Esavum, 9: 6—13.

Libere hoc facere potuit Deus, neque ideo injustus est dicendus, vs. 14; probat hoc provocando ad *codicem Sacrum*, ubi gratia Deo tribuitur libera aut eligendi aut reprobandi, vs. 15, 16.

Quo plenior legentibus fieret persuasio, *comparatione* a rebus humanis desumta, quod ex codice Sacro demonstraverat, confirmat dein, vs. 21—23.

Deum denique Gentiles aeque ac Judaeos libere posse eligere, iterum ex eadem *scriptura S.* demonstrat, vs. 25—29.

Ergo: etsi Gentiles in Dei gratiam sint recepti Judaeique ex ea seclusi, Deus tamen fidus et justus manet.

2. Dei honore et justitia vindicata, in causam inquirit, qua factum sit, ut Gentiles δικαιοσύνην acquisiverint, dum Israël εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασεν.

Ex eorum ἀπιστίᾳ hoc repetit; accusationem autem suam confirmat provocando ad *codicem S.*, docentem:

a. saxum esse offensionis, ᾧ προσέκοψαν, eum vero qui πιστεύει ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεσθαι, 9: 32, 33;

b. δικαιοσύνην unicuique Deo confidenti esse proximam ἐν τῷ στόματι καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ, 10: 5—10;

c. salutem ex oris confessione, cordisque fiducia esse repetendam, 10: 11, 13;

d. Deum, nisi populus praedicationi obsequeretur, ab eo esse secessurum ad aliosque se conversurum, 10: 14—21;

Ergo: Judaeorum ἀπιστίᾳ est tribuendum, quod Gentiles a Deo recepti ipsis praeeant.

3. Hanc popularium agendi rationem maxime dolens, solatia, quibus suam aliorumque levet tristitiam, affert:

a. Deum populum suum non omnino rejecisse, 11: 1—10;

b. Judaeorum incredulitatem Gentibus attulisse salutem, vs. 11—16;

c. fieri posse, ut Judaei iterum ad Deum revertantur, vs. 17—24;

d. et vero Israëlem aliquando servatum iri, vs. 25—32.

Quae ut probet, diversis utitur argumentis:

a. sua ipsius experientia, quippe Israëlitae a Deo recepti, 11: 1; *historia* populi Israëlitici tempore Eliae, vs. 2—5; *testimonio S. codicis*, vs. 8—10; in quibus pateat λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γεγονέναι.

b. Gentibus salutem, quam Judaei ἄπιστοι respuerant, esse oblatam, et ipsum docuerat *experientia*, et cuivis hoc ita notum erat, ut nulla amplius opus esset hac in re demonstratione.

c. Israëliticam vero gentem posse resipiscere et in Dei redire gratiam, illustrat comparatione oleae, cui rami inserti sunt alieni, Deus vero potentissimus etiam suos poterit inserere ramos, 11: 16—24.

d. Denique omni asseveratione affirmat: πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται, vs. 25, 26. Et vel ipsum hoc, quod μυστήριον esse dicit, nec sua neque divina enuntiat auctoritate, sed demonstrat. Argumento ei inserviunt: *S. scriptura*, ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ, et *Dei natura constans atque immutabilis*, ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ, 11: 29.

Gratiis denique actis Deo sapienti omnium moderatori, cui sit gloria in aeternum, finit priorem Epistolae partem dogmaticam.

Nos quoque nostrae finem imponentes disquisitioni, quid inde ad quaestionem, quam solvendam nobis proponebamus, efficiendum sit, paucis ostendamus.

In causam inquirentes, quî factum sit, ut ab aliis Apostolis tam discrepantem religionis Christianae contemplandae rationem secutus sit Paulus, ipsius et historia et vero verbis inducebamur in dubium, num theologia illa ipsi coelitus patefacta, sive potius inspirata esset. Qua de re ut nobis prorsus constaret, epistolam inspeximus prae reliquis maxime dogmaticam: ipso enim audito Apostolo theologiam suam proponente, fontem unde illam acceperit, cognoscere nobis licitum esset. Quid vero inde nobis, opere peracto, efficiendum? Unum hoc idque gravissimum: Paulum theologiam suam non immediate a Deo Christove accepisse; nullum enim, neque in gravissimis locis de peccato, de lege, de justificatione, de Christo uno mediatore, aut quavis alia de re, deprendere potuimus vestigium, dogma hoc illudve Paulo fuisse dictatum aut inspiratum;

argumentis semper utitur, ut veritatem lectoribus demonstret, comparationibus eam illustrat, ratiociniis probat, verbo rebus in facto positis philosophi adinstar suam superstruit doctrinam, sive ut ipsius verbis enuntiemus: λογικὴν, qualis erat, etiam Romanis commendat λατρείαν (1). Hoc autem quî facere potuisset, si revera illis, quas laudat, ἀποκαλύψεσιν paratam, inspiratam, dictatam, omnibusque numeris absolutam accepisset suam theologiam? *Doctrinam* si ipse per singularem communicationem Divinamve patefactionem accepisset atque auctoritate Dei Christive suscepisset, aliis etiam debuisset eam ut patefactionem ex auctoritate suscipiendam pariter tradere. Nunc quam ex rebus Divinis in facto positis et ex historia experientiaque tum sua tum aliorum, ipse ratiocinando hausit persuasionem suam suamque sive doctrinam sive σύνεσιν, hanc eodem plane modo aliis etiam, ratiocinando unice commendavit.

Dissuadentibus itaque Pauli et historia, et verbis, et agendi

---

(1) Paucis contrahere lubet varia, quae Rom. 1—11 adhibet argumenta; sunt haec:

S. Scriptura, *Lex*, *Prophetae* 1: 2, 17; 3: 9—20, 21; 4: 3, 7, 8; 7: 1—6; 9: 15, 17, 25—29, 32, 33; 10: 5—10, 11, 13, 14—21; 11: 8—10, 26, 27.

Historia Sacra 4: 9—22, 23; 9: 6—13: 11: 2—5.

Sua ipsius experientia 7: 7 sqq.; 11: 1.

Omnium experientia 1: 18 sqq.; 5: 12—17; 6: 2—11; 8: 19—22, 23, 24; 11: 11 sqq.

Conscientia, *sensus moralis* 2: 1 sqq.

Peccatum 3: 22, 23.

Sequelae peccati et δικαιοσύνης 5: 18—21; 6: 21—23; 8: 5—17.

Dei natura 11: 29.

Dei amor 5: 5; 8: 28—30, 32, 39.

Jesu amor 8: 34.

Jesu adventus in terras 8: 1—4.

Jesu mors 3: 24—26; 4: 25; 5: 5—11.

Jesu resurrectio 1: 4; 4: 24, 25.

De universa Pauli methodo omnino conferendus est REUSS, *Histoire de la Théologie Chrét. au siècle apostol.* Strasb. 1852, II, p. 480, qui Paulum et Johannem comparans his verbis de nostro agit: »Le premier est essentiellement dialecticien; il argumente, il démontre, il déduit des syllogismes, il a partout présent devant son esprit l'enchaînement complet de toutes ses idées; leur liaison naturelle le fait passer à tout instant des axiomes aux corollaires, des prémisses aux conclusions; c'est à force d'instances, de citations, de questions, qu'il met ses lecteurs en demeure de se rendre à sa manière de voir, d'épouser ses convictions."

ratione, ne patefactionibus ipsi divinitus concessis theologiam omnem aut dogmata singula cum ipso esse communicata statuamus, eadem igitur, quam initio proposuimus, remanet solvenda quaestio: *undenam Paulo priva profluxerit Euangelii interpretatio et de re Christiana omni doctrina*, ideoque, *undenam Paulum inter et reliquos Apostolos intercedens theologiae discrimen sit repetendum.*

Quod ut expediant, certiorem alii, recentiori praesertim tempore, ineunt viam, monentes, in *theologiae* Paulinae inquisitione ad ejusdem *historiam et fata* esse attendendum(1); nexu enim indivulso has duas, historiam et theologiam in Paulo esse conjunctas, ita ut sejuncta, neutra recte queat intelligi.

Voluisse hoc jam videtur VAN OORDT, qui, de fontibus unde Paulus religionis Christianae notitiam hauserit disceptans, rejecta illa quam et nos improbamus ἀποκαλύψεως interpretatione, *historia* duce varias enumeravit opportunitates, quibus Paulus rem Christianam cognovisse dicendus est(2). Similiter DA COSTA, *historiam* consulens, nonnullos nominat fontes, unde, non neglecta tamen quam praebuerit spiritus S. ope, Pauli theologia sit repetenda(3).

Penitius in Pauli historiam, ut inde ejus theologiam explica-

---

(1) Ad Pauli *ingenium* et *eruditionem Judaicam* imprimis provocat FRITSCHE, *Comm. ad Rom.* Prolegom. p. XIII: »Ceterum tanto sane P. ingenio fuit tantaque eruditione judaicâ, ut quum principalem sententiam, ex quâ omnia fluunt: *Jesus fuit Messias, qui totum genus humanum, ut V. T. oracula rata fierent, supplicio suo expiavit:* approbavisset, vel sine magistro et omnia e V. T. eruere quae docuit et ei artis formae, cui illigavit, includere posse videatur (v. WINERI, *Bibl. Realw.* II, 516). Neminem numen div. rapit invitum, quo tendere aut nolit, aut per ingenium ne possit quidem. Unde ne miraculo quidem ad rem, a quâ nostrum abhorreat ingenium, adduci possumus."

(2) J. F. VAN OORDT, *Onderzoek naar de bronnen, waaruit P. voor zich zelven het Christendom heeft leeren kennen*, in *Waarh. in Liefde* 1844, II, p. 213 sqq. Idem in disputatione de Stephano, Pauli praecursore (*Over Stephanus als voorlooper van P.*, ibid. 1842, III, p. 421 sqq.), quid in Stephano viderit et ab eo didicerit Paulus, ex utriusque historia et cogitandi ratione exponere conatus est, p. 452 sq. Nonnulla etiam habet VAN DER PALM in orationibus variis *de Pauli vita* (Al de leerredenen, deel I, II), v. c. Or. VI de Pauli fatis Antiochiae Pisidiae, Act. 14: 44 sqq., in *tweede Tiental*, p. 276—281. Dolemus conferre nobis non licuisse SCHUBERT, *De variis unde Paulus ap. doctrinae Chr. cognitionem haurire potuerit fontibus*, Vrat., 1812, a WINERO, *Real-Wörterbuch* aliisque citatum.

(3) Mr. I. DA COSTA, *Paulus, eene Schriftbeschouwing*, Leiden 1846, II, p. 308 sqq.

rent, inquisiverunt alii, e quibus nominasse sufficiat: PAREAU (1), JUNIUS (2), DOUWES (3), OLSHAUSEN (4), NEANDER (5), BAUR (6), LECHLER (7), REUSS (8).

Hi omnes, reliquo tamen vitae Paulinae moderamine Divino minime excluso, conversionem in via Damascena praecipue spectandam esse et in ea, quippe vitae totius immutatione, theologiae quoque quaerendum esse fontem ac clavem et explicationem, docentes, plurimum attulerunt, ut et clarior proponeretur Pauli theologia et, psychologica hac ineunda viâ, discrepantiae a reliquis Apostolis causa intelligeretur melius (9).

Neque tamen eo progressi sunt hi viri docti, ut, ipso duce Paulo, quomodo *tota* hujus theologia ex Jesu illa apparatione pendeat,

---

(1) L. G. PAREAU, *Waarin vindt P. de verlossende kracht van J. Chr.?* in *Waarh. in Liefde* 1838, III, p. 508—511. Nominandus etiam est pater meus, qui saepius in Pauli cogitandi ratione particulari explicanda ad ipsius experientiam provocat: P. HOFSTEDE DE GROOT, *De leer van den Ap. P. in eenige van hare hoofddenkbeelden voorgesteld*, in *Waarh. in Liefde* 1837, II, p. 329, 338, 342, 346; conf. idem 1839, III, p 583: 1842, I, p. 96 sq. Hoc quoque fecit VAN OORDT, *Onderzoek naar de overeenkomst en het verschil tusschen* Paulus *en* Johannes, *in het begrip van het Christelijk leven, niet naar de wet, maar uit het geloof*, ibid. 1840, III, p. 530—541; et *Paulus denkbeelden over dood, opstanding en gerigt*, ibid. 1841, III, p. 557 sq.

(2) F. J. J. A. JUNIUS, *Over het zoonschap der Christenen naar de voorstelling v. P.*, in *Waarh. in Liefde* 1845, II, p. 315—332.

(3) J. DOUWES, JR., *Hoe dacht de Ap. P. zich het verband tusschen het nieuwe leven, dat* Christus *met zijne opstanding begon, en het nieuwe leven der Christenen?* in *Waarh. in Liefde* 1853, IV, p. 679 sqq.

(4) H. OLSHAUSEN, *Bibl. Comment.* III, 1, ad Rom. Königsb. 1835, p. 57 sq.

(5) A. NEANDER, *Gesch. der Apostolische Kerk*, Gron. 1845, II, p. 92—95.

(6) F. C. BAUR, *Paulus, der Apostel*, etc. Stuttg. 1845, p. 512 sqq.

(7) GOTTH. VICT. LECHLER, *Das apostolische u. nachapost. Zeitalter*, Haarlem 1851, p. 26 sqq.

(8) ED. REUSS, *Histoire de la Theol.* supra laud. II, p. 37 sqq, 275. Conf. ejusdem *Geschichte der heil. Schriften N. T.* ed. 2, Braunschw. 1853, § 59, not. Conferantur praeterea J. P. LANGE, *Das apostolische Zeitalter*, Braunschw. 1853, II, 1, p. 117—124 et PH. SCHAFF, *Gesch. der apost. Kirche*, Leipz. 1854, ed. 2, p 234 sqq.

(9) Inter eos, qui Pauli historiam in exponenda ejusdem theologia consuluerunt, prae aliis laudandus esset AD. SCHUMANN, scriptor libri, *Christus, oder die Lehre des A. u. N. Testamentes von der Person des Erlosers*, Hambg. u. Gotha 1852, II, p. 515 sqq., nisi hic, tribus vitae Pauli stadiis positis, theologiae quoque juxta horum periodos sibi finxisset progressionem, quam ex contorto epistolarum ordine chronologico probare conatur, quae vero, eodem ordine restituto, minime locum habuisse patet.

ostenderent; dogmata enim quidem *nonnulla* eaque gravissima ex una conversione posse explicari affirmant, non vero in luce ponunt, quomodo Paulus, qualem novimus, ex omni sua experientia, praesertim ex conversione in via Damascena, talem sibi religionis Christianae informaverit notionem theologiamque *universam* nactus sit hanc, quam ipsum habuisse constat (1).

---

(1) Ex historicis nominandus est LANGE, qui sensa et cogitata, quae Paulus post Jesu apparitionem mente animoque gessit, describens, haec habet, l. l. p. 119: »Und nun bedurfte er nicht erst eines ausführlichen christlichen Unterrichts, denn das historische Christenthum, welches er als das Object seiner Feindschaft wohl hatte kennen gelernt, wurde nun, beseelt von seinem Glauben an die himmlische Erscheinung, sein Herzensglaube. Wie tief aber war ihm nun das Wesen der Sünde und die Unzulänglichkeit des gesetzlichen Standpunktes vor Gott aufgeschlossen, da er in seiner Erfahrung überführt war, dass man auf diesem Standpunkte bei dem besten Wohlmeinen ein lästernder Feind Gottes und des Messias werden könne; und dass vor Allem seine Erklärung in den Satzungen nicht vor einem so tiefen Fall bewahre! Und wie hoch musste ihm sofort die Kraft der Gnadenwahl, der Gnade und der Rechtfertigung erscheinen, da er sich auf diesem Wege des Verderbens mitten im brennenden Lauf so plötzlich, so wunderbar und unverdient gerettet fand. Und auch die Herrlichkeit des Auferstandenen und gen Himmel gefahrenen Christus zeigte sich ihm in einem erhöhten Lichte, da er sah, dass der längst zum Himmel gegangene Herr auch jetzt noch mit persönlicher Gegenwart in dem Diesseits hervortreten könne." Cum his comparanda quae habet SCHAFF, l. l. p. 234: »Auf die Frage des von dem überwältigenden Eindruck dieser Erscheinung zur Erde geschmetterten Saulus: »Wer bist du Herr?" antwortete der Erlöser, der jede Verfolgung gegen seine Jünger, vermöge seiner Lebensgemeinschaft mit ihnen, als eine Verfolgung gegen sich selbst ansieht: »Ich bin Jesus, Den du verfolgst." — Durch diese Erscheinung war dem Saulus ein vorläufiger Einblick in das Geheimniss der Gottheit und allmächtigen Herrschaft Christi, der Einheit des Herrn mit der Kirche, seinem Leibe, so wie in die ganze Fruchtlosigkeit aller Angriffe gegen dieselbe eröffnet. Sein bisheriges Thun und Treiben war damit gerichtet und sein natürlicher Mensch lag wie vernichtet im Staube." — E dogmaticis, qui historiam consuluerunt, ut inde Pauli sentiendi rationem illustrarent, praeter reliquos, citandi sunt REUSS et LECHLER. Ille, *Histoire*, etc., II, p 37, de necessitate consulendae Apostoli vitae sic disputat: »Ce fait antérieur à la théorie et qui l'expliquera mieux que tout raisonnement, c'est la vie même de l'auteur. La doctrine de Paul est le corollaire naturel de son histoire. Étudier son histoire au point de vue psychologique, c'est le meilleur, c'est le seul moyen de comprendre son enseignement." Deinde, postquam non externas Apostoli enumerandas esse vicissitudines monuit, sed in interiorem animi esse descendendum vitam, hanc in duas sibi plane oppositas dividit partes, unâ sejunctas conversione; jam vero Paulus ad Christum conversus vitam anteriorem contemplatus pec-

Hoc itaque hujus erit disquisitionis consilium, inquirere in Pauli conversionem praecipuum ejusdem theologiae fontem. Hoc autem dicto non id volumus, Paulum in via Damascena, aut post triduum illud quod Damasci degit, statim omnem suam theologiam, qualem multos annos post scripto mandavit, absolutam perfectamque in se concepisse. Nec enim conversionem hanc ita ab omni reliqua vita sejunctam contemplabimur, ut nullam aut insequentis, aut quoque anterioris vitae

---

catum suum cognovit felicitatemque perditam, — gratiae divinae èt conversionem èt omnia quae ipsi concederentur bona tribuenda esse vidit, — suum ipsius nullum esse posse meritum sensit, — pace denique et reconciliatione gavisus est, persuasionemque fovit certissimam peccata ipsi esse condonata (»que la grande dette — lui était remise en vue de sa régénération, en vue de l'aveu solennel qu'il avait fait de la nullité de son mérite personnel, en vue enfin de la confiance illimitée qu'il avait mise dans l'amour inépuisable du Dieu Sauveur," p. 39). — Pluribus etiam eadem de re egit LECHLER, l. l. p. 26, primum universe, ex conversionis in via Damascena ab ipso Paulo relata narratione Gal. 1: 15, 16, ostendens, Jesu apparitionem in Apostolo vim habuisse hanc, ut et coelestem Jesu gloriam divinitatemque agnosceret (Gal. 1: 15, 16 *εὐδόκησεν ὁ Θεὸς — ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί*), et culpae sensu depressus Dei laudaret gratiam (Gal. 1: 15 *ὁ — καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ*, cf. 1 Cor. 15: 9), et ad gentes Euangelium transferre jussus (Gal. 1: 16, cf. Act. 9: 15) eundem extolleret divinum gratuitum amorem, l. l. p. 26, 27; — tum vero ubi singula tractat dogmata ad eadem illa identidem recurrens, v. c. p. 47: »Diese Wahrheit [dass Er der *Lebendige* ist und bleibt] erscheint in einem um so bedeutenderen Licht, wenn wir uns an das Ereigniss bei Damascus erinnern, und uns die Bedeutung vorstellen, welche die Entdeckung für P. gewann: Er lebet!" p. 50: »Sie [die Lehre von der Person J. Chr. und seinem Werk] lässt sich als die begriffliche Entwickelung des bei seiner Bekehrung dem P. gewordenen Eindrucks betrachten, dass Chr. lebt, dass Er der Sohn Gottes, der Herr und der Grund des Heils ist." Doctrinam de peccato et de gratia explicationem esse dicit »des Eindrucks den P. ebenfalls bei jener Erscheinung Chr. erhalten hat — von der Gnade J. Chr. gegen ihn, der durch Verkennung des Herrn und durch Verfolgung seiner Jünger sich so schwer verschuldet hatte," quem in finem p. 50—53 ad ipsum provocat Paulum disertis hoc exprimentem verbis 1 Cor. 15: 8; Gal. 1: 15; 1 Tim. 1: 12 sqq.; Phil. 5: 7—9; Rom. 5: 20. »Diese [quam expressit Paulus Rom. 7: 25; 1 Tim. 1: 13] persönliche Erfahrung der Gnade Gottes in J. Chr. ist die Grundlage der tiefen Erkenntniss des Heils und der Gnade Gottes die wir bei P. finden," p. 64; cf. item p. 69 et 70, ubi Pauli de Ecclesia sententia ex ipsius derivatur experientia. — At haec utut vere egregieque dicta non tamen ab omni parte quaestioni, quam nobis proposuimus solvendam, respondent, neque ideo supervacuum reddunt, ut disquiramus, quid ac quomodo hoc ipsum ex Jesu apparitione profecerit Paulus. Eorum itaque doctissimorum virorum vestigiis insistentes, quod illi veluti in transitu monuerunt, consulto nos in luce ponere conabimur.

rationem habeamus. Erat enim P a u l i conversio, i. e. illius viri, qui et ingenio acutissimo, et institutione varia, Hellenistica, Judaica, Pharisaea, et Stephani praedicatione, et omnibus, quae Ecclesiam vexans audivit ac vidit, informatus et praeparatus est ad munus gerendum, quo esset functurus; — qui idem autem postea quoque, tum in Ananiae, Barnabae, aliorum Christianorum commercio, tum in S. librorum lectione studiisque assiduis, tum in multa longorum annorum experientia, tum denique in sua cum Christo Deoque communione, horumque cura speciali largos habuit fontes, e quibus suam rerum divinarum cognitionem constanter hauriret atque de his sibi persuasionem informaret. Itaque omnis consulenda est Pauli historia, nec subsistendum in una conversione, neglectis omnibus iis, unde et antea et postea multa didicit. — Sed contra, quum ex his omnibus nihil profecerit Paulus, nisi accedente Jesu apparitione suâque ipsius conversione, imo quum haec tantam in eo habuerit vim, ut tota et agendi et cogitandi ejus ratio immutaretur et ipse per hanc unam evaserit, quem se postea praestitit, quum denique ex illa *Jesu Christi patefactione*, *quam ipsi largitus est Deus*, ipse Paulus *suum Euangelium* derivet, Gal. 1: 12, 16, summo jure nobis videmur Pauli c o n v e r s i o n e m dicere praecipuum ipsius theologiae fontem.

Neque vero de Pauli theologia loquentes volumus hujus partes omnino omnes directe ex ejus conversione aut vita profluxisse, quod v. c. de doctrina 2 Thess. 2: 1 sqq. prolata dici nequit; sed ob oculos habemus p r i n c i p i a, unde tota ejus rei Christianae contemplandae ratio profluit, qualia sunt de Jesu resurrectione, de Dei gratia, de peccato, de lege, de justificatione, de Ecclesia, alia, quae unice ex ipsius conversione repeti et intelligi possunt.

DE THEOLOGIAE PAULINAE PRINCIPIIS.

PRAEMONENDA.

DE THEOLOGIAE PAULINAE FORMA.

Praecipua theologiae Paulinae capita, unde omnis reliqua ejus doctrina pendet, contemplaturi, illa quomodo sese habeant quo melius perspiciamus, in antecessum nonnulla exponemus de forma, qua loqui et scribere solet Apostolus. Etenim si in cujusvis hominis doctrina examinanda maximi ponderis est etiam attendere ad formam, qua illa est prolata, hoc omnino necessarium erit in explicanda theologia Pauli, qui sententiam suam de re Christiana proponit forma ipsi propriâ, et alia plane quam quae reliquorum est N. T. scriptorum. Itaque viam nobis parabimus ad ipsam illius theologiam inquirendam, paucis praemonendis, *de Pauli dicendi forma ejusque causis.*

In contemplanda Pauli dicendi forma, quin methodus ipsi propria primo loco sit nominanda, nobis, epistolâ ad Romanos examinatâ, dubium esse non potest. Etenim in hac epistola, ut ubivis, dialectice semper progrediens, in utramque partem disserit firmisque argumentis suam superstruit ratiocinationem, quam novis identidem fulcit testimoniis. Quam methodum dialecticam, ex juvenili ipsius institutione facile repetendam (1), observasse, majoris etiam ponderis nobis erit, quum constet, alia prorsus

(1) Vide THOLUCK, *Einleitende Bemerkungen in das Studium der paul. Briefe*, in *Vermischte Schriften*, II, p. 284.

methodo, eaque a Jesu ipsius institutione desumta, usos esse et Jacobum et Johannem. Uterque enim magistri exemplum sequitur; dicendi formam, quae in oratione montana obtinet, gnomicam exprimens alter, alter ad normam sermonum Jesu, imprimis ultima vespera habitorum, scribendi rationem suam componens, animumque effundens, nullo mentis, dialectice argumentantis, habito respectu. Utrumque nusquam apud Paulum invenitur. Hic interdum quidem est gnomicus, at, prouti Jacobus Dominum *imitatur* fere, ita ubi gnomice loquitur, v. c. Rom. 12: 9 sqq., *sua* tamen dat. Neque in reliquis Jesu exemplum sequitur Paulus; nam quamvis Jesus dialectico nonnunquam usus sit genere dicendi v. c. Joh. capp. 5—10, ad hunc tamen magistrum suam scribendi rationem non adaptavit Paulus, ipse suam adhibens dialecticam. Parabolae denique, quibus Jesus sublimes quasque hominibus intelligendas dedit ideas, apud Paulum, etsi comparationibus et allegoriis saepissime utentem, nusquam occurrunt. Nec tantum methodo hac priva a Jesu et Apostolis eum sequentibus differt, sed etiam in ejus verbis referendis ita parcus est, ut (praeter ea quae de instituta S. coena et de divortio habet) in omnibus epistolis ad nullum provocaverit aut alluserit Christi effatum, et unius tantum Act. 20: 35 meminerit dicti ab ipso Christo prolati. Quam libere autem egerit, ut in his jam abunde patet, ita luculentius etiam inde conspicitur, quod, vel ubi eadem ac Jesus tractat religionis Christianae loca, aliis tamen utitur verbis ac formulis, quam quibus praeivit ipse Jesus religionis auctor. Duo sufficiant exempla. Christi praedicatio erat de *τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν*, Paulus, hac appellatione plerumque non utens, loqui solet de *Ecclesia*, cujus caput sit Christus. Porro, licet eandem atque ipse Jesus ab omnibus exigat *fidem*, in hoc iterum a Domino discrepat, quod, pro *μετανοίᾳ*, ad quam Jesus omnes excitabat, ipse commendet *καταλλαγὴν τῷ Θεῷ*, aut, aliunde desumta imagine, de vetere homine exeundo novoque induendo loquatur(1).

Haec omnia, quibus a reliquis Apostolis ipsoque Jesu discrepat, unde derivanda sint, superfluum fere erit ostendere; Pauli vitam quippe consulentibus sponte in oculos incurrit, tantum discrimen

---

(1) Interdum Paulus loquitur de *regno Dei* sive *Christi*, nunquam vero de *regno coelorum*. — Μετανοία autem tribus tantum locis apud Paulum occurrit (Rom. 2: 4; 2 Cor. 7: 9, 10; 2 Tim. 2: 25). Cuivis autem apertum est, eum ibi non versare in sua exponenda theologia; quod ubi facit, eas, quas citavimus, adhibet formulas.

non posse explicari, nisi hinc, quod Jesum ipsum dicentem non audiverit, aut saltem non constanter illius institutione sit usus.

Alterum, quod Pauli scripta legentes sponte animadvertimus, est plena qua loquitur persuasio, quae tanta est, ut de veritate illius, quam exponit, rei ne ullam quidem dubitationem ferre posse videatur. Profluit hoc partim jam ex ipsius charactere fervidissimo, quale et in ejus agendi ratione, antequam Christo se addixisset, et in tota ipsius vita, postquam Christo se dedisset, patet (1). Etenim Judaeus adhuc summo studio id, de cujus veritate persuasissimum ipsi erat, defendebat, Ecclesiam Christianam instituta Mosaica eversuram vexans et expugnare studens; sed eodem studio postea, Jesu tanquam Dei Filii agniti causam agens, nihil tam durum, tam molestum, tam arduum habuit, quod, hunc Messiam praedicaturus, non lubenter subiret, nullo contemtu, odio, persecutione, mortis periculo retineri se passus, quominus salutem in Christo omnibus oblatam cum omnibus communicaret. Itaque intima et plenissima causae suae veritatis persuasione ductus, hanc saepissime quoque prodit. Sive enim Corinthiis aut Galatis suam auctoritatem apostolicam exponit (2 Cor. 11: 4; Gal. 1: 6—9), sive Petro se opponens Christianos lege Mosaica liberos vindicat (Gal. 2: 16), sive de salute, qua Christiani fruuntur et quam adipiscentur olim, agit (Rom. 5: 1 sqq.; 8: 1 sqq.), sive crucis *σκάνδαλον* et *μωρίαν* Judaeis atque Graecis ostendit esse *Θεοῦ δύναμιν* et *Θεοῦ σοφίαν* (1 Cor. 1: 18—24), sive resurrectionem contra varia dubia defendit (1 Cor. 15: 12 sqq.; 2 Tim. 2: 8), sive in mortis adspectu suam ipsius fidem profitetur: *τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, τὸν δρόμον τετέλεκα, τὴν πίστιν τετήρηκα· λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, ὃν ἀποδώσει μοι ὁ Κύριος ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ὁ δίκαιος κριτής· οὐ μόνον δὲ ἐμοί, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν τοῖς ἠγαπηκόσιν τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ* (2 Tim. 4: 7, 8), sive in mediis calamitatibus gloriatur: *οἶδα ᾧ πεπίστευκα* (2 Tim. 1: 12; 2: 9—13): semper et ubivis illud, de cujus veritate alios convincere studet, est ipsi persuasissimum ac certissimum.

Quam eandem persuasionem in reliquis Apostolis non minorem quam in Paulo, in illis facile explicare possumus ex commercio, quod cum Jesu habuerant, quotidiano; unde factum, ut nil praedi-

(1) Accurate et eloquenter hunc Pauli characterem exposuit NIEMEYER, *Charakteristik der Bibel*, Ed. Hal. 1830, I, p. 143—145.

carent, nisi quod audiverant, quod ipsis oculis viderant, quod conspexerant manibusque contrectaverant (1 Joh. 1: 1—3; Joh. 19: 15, coll. Matth. 13: 16, 17). Horum autem nihil Paulo obtigit; contra Jesu mortis supplicio quam maxime offensus est; in via Damascena modo ipsum Jesum vivum adspexit. At nunc suis etiam ipsius oculis *vidit* Jesum ejusque divinam potentiam *expertus* est. Jesum nunc agnovit Dei Filium et statim hoc, quod Jesu ipso adspiciendo verum esse compertum habuit, omnibus certissima persuasione et fiducia praedicat. Hoc et statim fecit (Act. 9: 20, 22), et postea praeconii sui rationes reddens, ad id, quod expertus erat, provocavit (Act. capp. 22, 26), et pariter Corinthios, de ipsius auctoritate apostolica atque de vitae alterius spe et evidentia dubitantes, monuit, se ipsum Jesum Christum adspexisse, hujusque in vitam reditum certissimum esse documentum, revera esse *νεκρῶν ἀνάστασιν* (1 Cor. 9: 1; 15: 1—8, 12 sqq.).

Ad hanc itaque certissimam persuasionem explicandam primario loco nominanda est illa in itinere Damasceno Jesu apparitio, quacum vero conjungendae sunt omnes illae patefactiones et visiones postea Paulo concessae, e quibus Jesu vivi curam identidem agnovit. Neque tamen in his est subsistendum. Etenim externa illa signa, quibus de rei Christianae veritate Paulo prorsus constitit, confirmabantur longa multorum annorum experientia, qua didicit, quantum differat legis peccatique servitus a vita Christo Deoque dicata, hujusque vitae praestantiam beatitatemque sensit et intellexit. Nunc enim justificatus e fide, quos justificationis fructus gustavit, describit Romanis, 5: 1 sqq.: *δικαιωθέντες — ἐκ πίστεως εἰρήνην ἔχομεν* (1) *πρὸς τὸν Θεόν· — — καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, — καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν, εἰδότες ὅτι ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται· — ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν.* Ipse se in communione cum Christo sanctificatum sentiens vitaeque sempiternae participem, hunc religionis fructum omnibus exhibet, Rom. 6: 22, 23: *ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμόν, τὸ δὲ τέλος ζωὴν αἰώνιον.* Pariter Eph. 2: 18; 3: 12; Gal. 3: 24—4: 7, quod quivis Christianus in semet ipse expe-

(1) Codd. nonnulli dant *ἔχωμεν*, cujus origo quaerenda in usu paraenetico hujus loci; vid. MEYER, Comm. ad h. l., ed. 2, p. 143. Retinendum esse *ἔχομεν*, suadent sequentia modo indicativo posita: *ἐσχήκαμεν*, *ἑστήκαμεν*, etc. Etenim docet, non hortatur.

ritur, laudat ad praestantiam religionis Christianae exponendam. Sed ipse Paulus rem, quam volumus, diserte expressit, dicens, *Dei spiritum una cum nostro spiritu testari nos esse Dei filios*, Rom. 8: 15. Hunc in re religiosa supremum judicem, quem alius commendat, et ipse Paulus secutus est. Hoc enim dictante spiritu Divino ipse in se agnovit, revera Christianam religionem omnibus hominis cujusvis desideriis satisfacere vereque esse divinam. — Notandum denique, hanc appellationem ad testimonium spiritûs S. *Paulo* prae reliquis Apostolis esse propriam, idque inde derivandum videri, quod ex illis nemo èt vitae in Christo beatitatem ita senserit, ut ipse, qui antea quam longissime ab ea abfuerat, èt illo ingenii acumine fuerit praeditus, ut tam accurate, quae experiretur, describere et exponere posset (1).

In Pauli dictione et argumentatione animadvertimus porro formam antitheticam ipsi adeo propriam, ut èt singula enunciata hac fere forma sint composita, èt ratiocinandi methodus atque argumentatio, èt universa theologia sint prorsus antitheticae. Quod uti sponte cuivis lectori in oculos incurrit, ita saepius jam a theologis est observatum (2). Varias varii sumserunt causas et opportunitates, quibus factum sit, ut hac forma suam Apostolus induerit theologiam (3). Mihi una causa videtur posita esse in ipsius vita, con-

---

(1) Johannes quidem pariter provocat ad salutarem religionis Christianae effectum, quem quivis in semet ipse sentit et experitur, 1 Joh. 5: 6—13, non tamen hanc germanorum Christianorum experientiam ita explicuit, ut Paulus, cujus ipsa formula Rom. 8: 15 in Ecclesiae doctrinam transiit.

(2) Plurima exempla congesta sunt a patre meo in disputatione: *De leer van den Apostel Paulus, in eenige van hare hoofddenkbeelden voorgesteld*, in *Waarh. in L.* 1837, II, p. 337—345.

(3) Vid. v. gr. A. M. SNOUCK HURGRONJE, *De membrorum concinnitate in ep. ad Rom.* p. 4 sqq., qui, ut hanc explicet, ad quinque res attendendum esse monet: 1°. Paulum fuisse *Judaeum*, V. Foedus optime cognoscentem, quod 2°. imprimis in scribenda ep. ad Romanos Paulo obversabatur; 3° Paulum fuisse »totum in Christi orationibus, ubi passim obtinet ille parallelismus;" 4°. eum „Judaeo-Christianis imprimis in hac ep. proficere studuisse, huic rationi per Prophetarum lectionem assuetis;" 5°. »ipsum epistolae argumentum" Paulum induxisse, ut membrorum parallelismo uteretur. — THOLUCK autem, memorata Rabbinorum docendi consuetudine, qui colloquendo discipulos instituebant, inde non tantum *dialecticam*, sed quoque *antitheticam* Pauli dicendi rationem derivat: »Ueberhaupt aber mag die antithetische und pikante Lehrweise des Apostels mit auf Rechnung jener jüdischen Schulbildung kommen," *Verm. Schr.* II, p. 284.

versione repentina in duas disjuncta partes sibi plane oppositas; quae sententia hinc maxime confirmatur, quod omnes, quotquot occurrunt, idearum antitheses etiam in ipsa ejus vita inveniantur. Etenim ut in se ipse expertus erat duo tempora plane opposita, et ante et post conversionem suam, ita rem Christianam exponens semper distinguit inter tempora anteriora (*τὰ στοιχεία τοῦ κόσμου*) atque tempus Christianum, quod est *τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου*, Gal. 4: 3, 4; Act. 17: 30; coll. 1 Tim. 1: 13. Nunc regnare *gratiam* dicit pro *lege* et *peccato*, Rom. 6: 14, pariter ac ipse antea legis peccatique jugo subjectus hoc erat liberatus gratiâ divinâ. Legem non amplius valere docet, neque *operibus* sed *fide* opus esse, Rom. 3: 28; Eph. 2: 8, 9, sua ipsius experientia edoctus, unam fidem afferre salutem, quam ex operibus frustra sibi acquirere conatus erat. Itidem ipse ex fide oriri justificationem quam opera afferre non valeant, expertus, pariter in theologia sua *justificationem* ex fide, quam Deus dat, opponit *justificationi*, quam ex operum merito sibi acquirere conatur homo, Rom. 10: 3; Phil. 3: 6, 9. *Spiritu* ipse ductus post conversionem, nec amplius *τῆς σαρκός* illecebris deditus, haec duo sibi invicem opposita docet Gal. 5: 17; Rom. 8: 4 sqq. Quod in his, quae attulimus, exemplis paucis patet, easdem fuisse Paulo et in vita et in theologia antitheses, idem in multis praeterea aliis conspicitur; opponit condemnationi extra Christum justificationem in Christo, Rom. 5: 18; 8: 1, — peccati servituti spiritus libertatem, Rom. 6: 17; 8: 2, — veteri novum hominem, Eph. 4: 22, 24; Col. 3: 9, 10, — metui amorem, Rom. 8: 15; Gal. 4: 6, — *γράμματι τὸ πνεῦμα*, Rom. 7: 6; 2 Cor. 3: 6, — miseriae salutem, Rom. 7: 24, — morti vitam, Rom. 5: 12 sqq.; Eph. 2: 1 sqq. — alia multa, quae itidem omnes in ipsius vita occurrunt. Has igitur ex ipsius vita repetendas esse, nemo in dubium vocabit.

Sed non modo in rebus antithetice sibi invicem opponendis conspicitur ea, quam observavimus, conversionis vis, sed in hoc quoque, quod Pauli mens ita sit immutata, ut antithetice cogitet scribatque semper. Exempla praebet v. c. epistola ad Romanos; ibi enim disputat de *peccato* prius, deinde de *justificatione;* in peccato describendo ostendit et *Gentes* et *Judaeos* ei subesse; justificationem exponit, tum qualis esset sub *Veteri Foedere*, tum qualis sub *novo;* sequelas ostendit peccati *Adami* et obedientiae *Christi*, caet. — Eâdem porro formâ prodeunt singula ejus dicta, in quibus fere semper duas res sive similes sive sibi invicem oppositas conjungit aut com-

parat. Ita Pauli et argumentandi ratio et ipse stilus eandem formam assumserunt antitheticam. Quod non difficile est explicatu, modo observemus, in quovis homine disputandi rationem tam arcte cum ipso homine cohaerere, ut dictum illud, »stilum esse hominem," abierit in proverbium; ita enim in Paulo quoque, cujus ipsa vita in duas sibi plane oppositas divisa est partes, mens tota et forma cogitandi atque dicendi antithetica evasit.

Hanc autem Pauli theologiae f o r m a m ex ipsius conversione unice posse explicari, ut ex his jam verosimillimum est, ita clarius etiam patebit, quum viderimus, ipsam quoque Pauli t h e o l o g i a m ex eadem repetendam esse conversione. Qua in re tractanda ita versabimur, ut, secundum ordinem, quem ipsa ejus conversio praebet, haec, quae ex Jesu apparitione in via Damascena didicit Paulus, *Jesu vitam novam*, *gratiam Divinam*, *Christi Ecclesiam*, quippe gravissima totius theologiae principia, singulis capitibus exponamus, et ex ipsius conversione imprimis esse repetenda probemus.

CAPUT I.

JESU VITA NOVA.

Prima, quae Paulo, in via Damascena a Jesu appellato, se obtulit persuasio, procul dubio haec erat: *Jesum, quem mortuum putabat, esse vivum.*

Omnibus, quae de Jesu in vitam reditu hujus amici et Apostoli affirmaverant, fidem semper negaverat, putans, ut videtur, verum esse, quod Judaeorum proceres divulgaverant, Jesu discipulos illius cadaver furatos esse, Matth. 28: 12 sqq.; nunc vero in media persecutione retentus ab eo ipso, cujus et potentiam experiebatur et majestatem cernebat et vero audiebat vocem profitentis, se esse Jesum Nazarenum, quem persequebatur, omni statim evanescente dubio, quaerit: Κύριε, τί ποιήσω; Igitur primum quoque, quod baptizatus Damasci fecit, hoc fuit, Jesum annunciare τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ sive τὸν Χριστόν, Act. 9: 20, 22.

Idem hoc deinde per omnem vitae insequentis cursum vim habuit eam, ut inconcussa fide, constanti ardore et indefessa opera terrarum orbi Jesum praedicaret Dei Filium. Neque tamen hujus persuasionis, Jesum e mortuis resurrexisse, minor quam in ejus agendi ratione, fuit vis in ejus theologia. Evolvamus modo ejus epistolas, ubique Jesu resurrectionem laudatam videmus; hac Jesum

declarari Dei Filium, Rom. 1: 4, in hac Deum potentiam suam exhibuisse, Eph. 1: 20, ex hac nostram et vitam futuram et omnem salutem totamque religionem Christianam pendere affirmat, 1 Cor. 15: 14.

Ad hanc resurrectionem Jesu, ad hunc, quem ipse adspexerat, vivum Christum provocat Athenis, Hierosolymis; coram Festo et Agrippa verba faciens, ad Gentiles, ad Judaeos, ad Christianos; quin vel in epistolis ad amicos, Timotheum et Titum, datis hanc laudat resurrectionem, qua sui apostolatûs suaeque Euangelii praedicationis veritatem in luce ponat.

Jesu igitur resurrectio et vita Paulo est principium, unde tota ejus et religio et theologia Christiana profluit. Quod ab omnibus quidem fere theologis est agnitum, nobis tamen, ut nostro satisfaciamus proposito probandi, Paulum ex Jesu apparitione theologiae suae principia petiisse, pluribus erit exponendum.

Jam vero et Lucam de Paulo Euangelium praedicante referentem, et ipsum Apostolum, qualem se nobis in suis epistolis offert, consulentibus in oculos incurrit, ubique fere Paulum ad Jesum provocare vivum, idque facere consilio modoque multifario.

Utrumque confirmabimus: alterum, *semper et ubique* fere Paulum ad Jesum e mortuis reversum recurrere; alterum, *multifarium* esse ejus in hac Jesu vita adhibenda et *consilium* et *modum*.

Antequam vero haec exponamus, verbulo monere opus erit, quid Paulo fuerit illa Jesu *ἀνάστασις*. Non enim, prouti reliqui Apostoli, Jesum e mortuis resuscitatum praedicantes, reditum hunc in vivos *apparitionibus variis conspicuum* modo laudat (1): est ei *ἀνάστασις* Jesu *initium vitae novae ejusque coelestis*. Luculentissime hoc patet

(1) Quatuor Euangelistae varias nobis retulerunt apparitiones, a Jesu in vitam reducto his in terris amicis ipsius concessas. — Petrum de Jesu *ἀναστάσει* loquentem imprimis resurrectionem illam tertio die factam, deinde *apparitionibus variis comprobatam*, cogitare liquet v. c. Act. 3: 15: *ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, οὗ ἡμεῖς μάρτυρές ἐσμεν*, cf. Act. 5: 30, 32. Item Act. 10: 40, 41: *τοῦτον ὁ Θεὸς ἤγειρεν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γένεσθαι, οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἡμῖν, οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν*, quam *resurrectionem* proprie dictam a *reditu in coelos* distinguit 1 Petr. 3: 18—22. — Pariter Apostoli dicuntur Act. 4: 33 professi esse *τὸ μαρτύριον — τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ*. — Johannes vero, qui in Euangelio plures, ut Jesu in vitam reditum comprobet, apparitiones terrenas affert, vitam Jesu tanquam unam eamque aeternam laudat Apoc. 1: 18.

1 Cor. 15: 1—8, ubi comprobaturus, Jesum tertio die revixisse, apparitionem quoque ipsi in via Damascena factam iisdem verbis (*ὤφθη κἀμοί*), quibus et reliquis Apostolis concessas apparitiones memorat; nullum enim, ex ipsius mente, hanc inter reliquasque discrimen intercedit. Reditum in coelos, quem nos dicimus, non reapse distinguendum putat a Jesu in vitam reditu; hic enim transitus fuit in novam illam vitam coelestem, cujus certam evidentiam Jesus primis Apostolis dedit, pariterque deinde ipsi Paulo, se vivum conspiciendum praebens.

Itaque et de Jesu vita nova loquens variis dicendi formulis, quibus mentem suam exprimat, utitur; v. c. (ne usitatissimas illas ab *ἐγείρειν* et *ἀναστῆναι* deductas memoremus dictiones): *ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσεν* Phil. 2: 9, Christus *ζῇ* 2 Cor. 13: 4, *ἔζησε* Rom. 14: 9, *ἀνελήφθη ἐν δόξῃ* 1 Tim. 3: 16, ille est *ὁ ἀναβάς* Eph. 4: 10, *πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν* Col. 1: 18, *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων* 1 Cor. 15: 2, quae *nos* fortasse dubitaremus, utrum de resurrectione, an de abitu in coelos vel de vita coelesti sint dicenda, quibus autem *ipse* Paulus unum Jesu in vitam eamque coelestem reditum significabat. Exemplo sit locus Phil. 2: 9. Idearum enim seriem persequentibus constat, Paulum, de Jesu in terra adventu, obedientia, denique de ejus morte locutum vs. 7, 8, his vero jungentem, *διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσεν*, una hac voce et resurrectionem tertio die factam et qui post quadraginta dies locum habuit in coelos abitum complecti, quae duo nos, praeeuntibus reliquis Apostolis, sejungere consuevimus. Quam arcte autem conjunxerit utrumque, conspicimus praeterea in iis locis, ubi Jesu coelestem vitam immediate cum reditu in vitam copulat, v. c. Eph. 1: 20: *ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ*· cf. Eph. 2: 1—5; Rom. 8: 34; Eph. 4: 10, 11; 1 Thess. 1: 10.

His itaque praemonitis, unde liqueat, Paulo Jesu *ἀνάστασιν* initium fuisse *novae vitae coelestis*, jam videamus, num *ubique* et *semper* in hanc *ἀνάστασιν* oculos converterit.

Jam statim prima oratio, quam Antiochiae in Pisidia, ad Judaeos habitam retulit Lucas Act. 13: 16 sqq., Paulum nobis praebet et ad alia, S. codicem et Johannem Baptistam, et vero ad Jesu resurrectionem provocantem, vs. 30: *ὁ δὲ Θεὸς ἤγειρεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν*, tantumque ei pretium tribuentem, ut tribus ex

V. Foedere desumtis locis eam auditoribus confirmare studeat, 13: 32—37.

Thessalonicensibus postea idem ex Sacra demonstrat scriptura, ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν, Act. 17: 3, hunc vero Christum affirmat esse *Jesum*, quem ipsum iis annuntiet; Athenisque, eodem testante Luca, resurrectionem prae caeteris, ita praedicat, ut ob hanc auditorum sibi contrahat risum, Act. 17: 18: καί τινες ἔλεγον· τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν; οἱ δέ· ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι, ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν εὐηγγελίζετο, cf. vs 31, 32.

Accusatus deinde et captivus unum, quo se defendat, affert hoc, se Jesum vidisse vivum, Act. 22: 6—10; 26: 8, 12—15; cf. 25: 19; hujus apparitionis se esse constitutum testem, 22: 15; 26: 16; argumentumque totum suae praedicationis esse resurrectionem et Jesu et omnium, 23: 6; 24: 15, 21; 26: 8, 23.

His, quae Lucas nobis de Pauli praeconio servavit, satis indicantibus, magnum pretium Jesu resurrectioni a Paulo esse tributum, contenti esse possemus, nisi multo uberior esset messis, quam ex ipsius epistolis nobis colligere licet, quin tanta, ut, unde initium sit faciendum, dubitemus. An singulos locos, quibus resurrectionem aut ante oculos habet aut disertis verbis nominat, ex ordine apponemus vel saltem citabimus? Eorum numerus quinquagenarius fere lectorem fatiget atque satiet, nec tamen certam eam veritatis persuasionem, quam cupimus, efficiat (1). Igitur statim jam ad alterum illud, quod nobis proponebamus, transeuntes, minus ingratam ingrediemur viam, inquirentes, *quo Paulus consilio* ad Jesum resuscitatum provocet, sive *quaenam inde derivanda* censeat; quo facto omni ejus de Jesu in vitam reditu sententia cognita, judicare demum nobis licebit, quot nominibus haec cognita a Paulo Jesu resurrectio ejus theologiae principium sit dicenda.

1. *a.* Primo quidem loco, si attendimus ad lucem, quam Jesu in vitam reditus ad ipsum cognoscendum affert, is, monente Paulo, nos docet, *Jesum* esse *Dei Filium*. Classicus hac in re locus

(1) Juvat tamen praecipuos citare, Rom. 1: 4; 4: 24, 25; 5: 10; 6: 4, 5, 8—11; 7: 4—6; 8: 10, 11, 34; 10: 9, 10; 14: 7—9; 1 Cor. 6: 14; 9: 1; 15: 3—8, 12, 22 sqq.; 2 Cor. 1: 8, 9; 4: 13, 14; 5: 15; 13: 4; Gal. 1: 1; Eph. 1: 20—23; 2: 1—6; 4: 8—10; Phil. 2: 9—11; 3: 10; Col. 1: 18; 2: 12, 13, 20—3: 1; 1 Thess. 1: 10; 4: 14; 5: 9, 10; 1 Tim. 6: 13—16; 2 Tim. 1: 9, 10; 2: 8, 12, 13, 18.

est Rom. 1: 4: τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. Horum verborum sensus, quidquid de vi vocum ἐν δυνάμει et κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης disputent viri docti, eo erit reducendus: Jesum ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν definitum sive declaratum (i. e. hominibus indicatum) esse Dei Filium. Dubitatur vero, quid sit illa, de qua loquitur, ἀνάστασις νεκρῶν, *mortuorum in vitam reditus*. Sunt qui mortuos, quos spiritu suo sanctificante in vitam i. e. in τὴν ὄντως ζωήν 1 Tim. 6: 19, reduxit Jesus, Paulum nominasse dicant, quod ut probent, et propriam verborum significationem, et pretium, quod aliis locis verae a Jesu excitatae vitae tribuit Paulus, in memoriam revocant (1). Quorum sententiae, quantumvis caeteroquin aptae, ne calculum adjiciamus, dissuadet contexta oratio, in qua historice progrediens primum de Prophetarum vaticiniis vs. 2, tum de Jesu natalibus vs. 3, porro de ipsius resurrectione vs. 4, denique de se ad apostolatum vocato vs. 5 loquitur. Accedit praeterea universa, quam explicaturi sumus, Apostoli cogitandi ratio, Jesu resuscitato semper annexa, quae, quominus eum et hic aliud quid quam *Jesu* resurrectionem ob oculos habuisse statuamus, maxime vetat. Nec obstat huic interpretationi verborum significatio; sive enim, breviloquentiam sumentes, ἀναστάσεως νεκρῶν pro ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν Apostolum posuisse, sive generatim de mortuis in vitam reductis, quorum reditus in vitam Jesu resurrectione illustratus et inchoatus est, Paulum locutum esse statuamus, idem semper manet sensus, Pauli menti admodum congruus, *suo in vitam reditu Jesum declaratum esse Dei Filium* (2). Eadem porro sententia inest

(1) Ita, ut videtur, USTERI, *Paulin. Lehrbegr.* ed. 3, p. 62: »Kräftiglich erwiesen als Sohn Gottes durch das vollkommen reine Gottesbewusstseyn, die Fülle der göttlichen, zum geistigen Leben auferweckenden Kraft, die in ihm wohnte, usw." Quam sententiam postea tamen deseruit. Vide ejusdem ed. 4, p. 100.

(2) Illud sumit praeter alios GROTIUS, annotat. ad. h. l. Hoc voluerunt ERASMUS, *Paraphr.*, BENGEL, *Gnomon*, MEYER, *Comment.* ed. 2, WINER, *Grammat.* ed. 6, § 30, 2, p. 169, VAN HENGEL, *Interpret. ep. ad Rom.* ad h.l. De hoc loco conf. praeter illos LECHLER, *Apost. Zeitalter*, p. 45 sq. Nominandus etiam DÄHNE, *Paul. Lehrbegr.* p. 131, qui etsi impugnans eos, qui hunc locum citant, ut probent, »wie Paulus auf die Auferstehung, als den selbstständigen Grund unsres Glaubens, das höchste Gewicht gelegt habe," tamen in animadversione, ad folii calcem addita, hunc loci nostri dicit esse sensum

Pauli verbis Gal. 1: 1: Παῦλος ἀπόστολος, οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων οὐδὲ δι' ἀνθρώπου ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ πατρὸς τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν· ultima enim haec verba adscripsisse videtur Paulus ad ejus, qui ipsum Apostolum vocavisset, confirmandam Divinitatem, in resurrectione a Deo Patre repetenda, conspicuam (1). Conferenda denique sunt verba, quae et optime nobis Apostoli mentem videntur exprimere, et vero ab ejus amico referuntur ab ipso Athenis dicta: ἔστησεν ἡμέραν ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ, ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισεν, πίστιν παρασχὼν πᾶσιν ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, Act. 17: 31.

Itaque Jesu in vitam reditus ex Pauli sententia inservit ad confirmandum hominibus, Jesum Nazarenum esse *Dei Filium*, sive ad persuadendum iis, ut Jesu tanquam Messiae i. e. Regi a Deo constituto fidem habeant (2).

b. Quae autem resurrectio hominibus luculentissimum praebet documentum, Jesum revera esse, quem se profitebatur, Dei Filium, eadem etiam plura ad *Jesu* et personam et opus cognoscendum docere potest.

Est ille, a Deo in vitam reductus, nunc *in coelis vivus*. Variis modis hoc vinculum resurrectionem inter et vitam coelestem enuntiat. Eph. 1: 20: ἐγείρας [ὁ Θεὸς] αὐτὸν ἐκ νεκρῶν — ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.

---

admodum probabilem, »dass Jesus, der sich im innerlich-höhern Sinne durch seine geistige Würde als Sohn Gottes legitimirte, vor den Menschen, wie sie gewöhnlich zu seyn pflegen [id est omnibus vel ipsis Jesu discipulis, cf. modo resurrectionis historia ab Euangelistis relata], erst durch den äusserlich-ergreifenden Act der Auferstehung als Gottes Sohn bestimmt erklärt worden sey."

(1) Hanc sententiam jam tenuerunt Nostrates in annotatione ad versionem q. d. *Staten Overzetting*, verbis: *God den Vader die hem uit den dooden opgewekt heeft*, addentes: »en daarmede openlijk heeft betoond, dat hij de eigene en ware Zoon Gods was." Conf. 1 Thess. 1: 10, ubi simili ratione postquam Jesum dixit *Dei Filium*, ejus resurrectionis mentionem facit: καὶ ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκ τῶν οὐρανῶν, ὃν ἤγειρεν ἐκ τῶν νεκρῶν, Ἰησοῦν, ad quae verba adnotavit BENGEL: »inseritur argumentum palmarium ex quo constat, *Jesum* esse *Dei Filium*."

(2) *Messias* est *unctus* et constitutus a Jehova; dictio *Dei Filius* significat *similitudinem*, quae *Patri Filioque* intercedit et ab illo cum hoc est communicata. Admodum conjunctam et indivulso vinculo consociatam esse utramque appellationem Χριστός et υἱὸς τοῦ Θεοῦ, tum in aliis multis, tum in locis Act. 9: 20 et 22 abunde liquet.

Rom. 8: 34: Χριστὸς ὁ ἀποθάνων, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς, ὅς καί ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ. 1 Thess. 1: 10: ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκ τῶν οὐρανῶν, ὃν ἤγειρεν ἐκ τῶν νεκρῶν. In singulis his locis vitae, quam nunc in coelis ad Dei dextram agit Jesus, fundamentum est ipsius *resuscitatio;* quam tamen non tam ad veritatem vitae illius demonstrandam citasse, sed potius explicandi gratia in lectorum memoriam revocasse videtur. Hinc etiam factum est, ut, de Jesu vita coelesti loquens, interdum nullam disertis verbis mentionem faciat resurrectionis, quam tamen ipsi in mente fuisse vel nobis adhuc dignoscere licet. In loco v. c. Col. 3: 1: εἰ οὖν συνεγέρθητε τῷ Χριστῷ, τὰ ἄνω ζητεῖτε οὗ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καθήμενος, Paulum cogitasse de Jesu resuscitato ideoque in coelis degente, nullum nobis erit dubium, modo ad verba συνεγέρθητε ea contulerimus, quae cap. 2: 12 de Christianorum vita Christi *resuscitati* adinstar agenda nova dixit. Pariter Phil. 2: 9, de Jesu morte locutus, una ὑπερυψώσεως voce et *resurrectionem* et *vitam coelestem* comprehendit.

c. Vita vero illa est vere dicenda *vita*, nec morti neque alii cuidam rei obnoxia, *sempiterna*, *divina*. Hanc quoque sententiam ex Jesu resurrectione derivat Rom. 6: 9, 10: Χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν οὐκέτι ἀποθνήσκει· θάνατος αὐτοῦ οὐκέτι κυριεύει. ὁ γὰρ ἀπέθανεν, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ· ὁ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ Θεῷ. In hoc enim versans, ut Christianos ad moriendum peccatis novamque ineundam vitam impellat, ad Christum ipsorum convertit oculos, qui, ut ipse morte sua omnem cum peccato communionem sibi plane superavit, ita suis quoque morte sua peccatum exstinxit (cf. 8: 3, κατέκρινεν τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί), ut Christiani cum eo conjuncti, peccato superato, vivant τῷ Θεῷ in vitae communione ejus, qui et ipse ζῇ τῷ Θεῷ (vs. 10 et 11). Ipsum autem hoc, *Jesum vivere vitam sempiternam*, in eo fundamentum habet, quod sit ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν vs. 9. — Similem huic sententiam invenimus 2 Cor. 13: 4: καὶ γὰρ εἰ ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας, ἀλλὰ ζῇ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ, ita tamen a priori diversam, ut, non modo Christo adscribat vitam, sed hujus etiam δύναμιν, *vim* et *efficaciam* laudet. Jesu vitam hic quoque ipsius *resurrectioni* annecti, non opus erit ut de industria probemus, verbis ipsis id sponte indicantibus; vitam vero hanc significari *efficacem* liquet, modo contextam consulamus orationem. Corinthiis enim, ipsius monita et exhortationes negligentibus, se, cum praesens mox adfo-

ret, minime parciturum, minatus, summo jure se illud judicis munus gesturum defendit, provocans ad Christum per ipsum loquentem, ὃς εἰς ὑμᾶς, inquit vs. 3, οὐκ ἀσθενεῖ ἀλλὰ δυνατεῖ ἐν ὑμῖν. Jam vero hanc, quam Corinthii experti erant Christi δύναμιν, explicat inde, quod Christus, *etiamsi ex infirmitate* naturae quam assumserat humanae *cruci affixus sit*, *tamen ex Dei potentia vivat*, ideoque in ipsis δυνατεῖν possit (1).

d Est autem ille in coelis vivens potentiamque suam exercens Jesus, *omnium Dominus;* quod etiam ex ejus in vitam reditu derivatur. Rom. 14: 9: εἰς τοῦτο γὰρ Χριστὸς ἀπέθανεν καὶ ἔζησεν, ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ. Jesus resuscitatus est ὁ Κύριος, qua denominatione summa Christi majestas et potestas Messiana indicari videtur (cf. 1 Cor. 12: 3: οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν Κύριος Ἰησοῦς, εἰ μὴ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Similiter Thomas, a Jesu monitus, ne fiat ἄπιστος sed πιστός, fidem suam professus, ὁ Κύριός μου, inquit, καὶ ὁ Θεός μου, Joh. 20: 28). Quod vero in hoc loco subjective magis, i. e. a parte Christianorum, dicitur, ipsis tenendum esse, Jesum e mortuis reversum *omnium esse Dominum*, cui, quidquid velint agantve, semper vivant, idem alia opportunitate objective de ipso enuntiatur Christo. Phil. 2: 9—11 enim legimus: διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσεν καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός. Itaque, ex Pauli mente in utroque hoc loco prolata, inter resurrectionem Christique in coelis dominium intercedit vinculum tam arctum, ut ipse sine altera alterum ne cogitare quidem potuisse videatur.

e. Huic sententiae, Jesum omnium esse Dominum, proxima est ea, quam alibi expressit Paulus, Jesum *supra omnia elatum in coelisque degentem*, *Ecclesiae* veluti corporis esse *caput*. Hoc summum est Jesu opus, ad quod perficiendum maximâ supra omnia a Deo praeditus est potestate, ut Ecclesiam, quam his in terris condidit, in coelis degens curet, regat, spirituque suo ita imbuat, ut ad perfectionem semper majorem increscat. Quam Pauli sententiam infra, cap. III de *Christi Ecclesia* acturi, accuratius explicare conabimur; hoc loco

(1) Receptam secuti sumus lectionem, καὶ γὰρ εἰ, a TISCHENDORF quoque servatam. Ei enim, Christi mortem in dubium vocare visum, facile expungebatur.

tantum indagaturi, quomodo illud Christi regimen cum ejus *in vitam reditu* conjunxerit Paulus. Discimus hoc tribus locis Eph. 1: 20—23; 4: 8—10; Col. 1: 18. In horum primo, Eph. 1: 20—23, Dei laudat potentiam ἣν ἐνέργησεν ἐν τῷ Χριστῷ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, — — καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν ἔδωκεν κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐστὶν τὸ σῶμα αὐτοῦ, τὸ πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσιν πληρουμένου. Singula, quae jam vidimus ex Jesu resurrectione ab Apostolo derivari, hic conjunguntur: Jesum resuscitatum in coelis degere, a Dei dextra sedere, ibique omnium Dominum summa frui potestate et honore; unum autem hoc additur, Divinum illum Jesum, qui spiritu suo *omnia* implet et perficit, *Ecclesiae datum esse caput*, i. e. regem et dominum supremum esse constitutum Ecclesiae suae, ad quam regendam et curandam et informandam a Deo et est *reductus in vitam* et summa instructus potestate, ita ut omnia uni Christo sint subjecta.

Alter, quem nominabamus, locus est celeber ille et vexatus Eph. 4: 8—10. Non nostrum est, sexcentas, quae ejus exstant, explicationes augere aut de his judicare; pro nostro consilio hoc unum agimus, ut, quid inde ad Pauli de Jesu resuscitato sententiam cognoscendam redundet, inquiramus. Jam vero, lectores ad fidei unitatem, vel in maxima ingeniorum studiorumque diversitate, incitans, unum ipsos esse dicit corpus, unum laudat spiritum, unam spem fidemque, Dominum unum et Deum, quibus conjuncti maneant, Eph. 4: 1—6. Neque illa, quae residua erit inter singulos, diversitas huic obstat unitati, imo ei prodest, repetenda quippe ab ipso Ecclesiae Domino, qui varium variis dederit donum variaque munera instituerit, ut Ecclesia, sicuti corpus variis constans membris, in majus increscat vs. 7—11. Χαρίσματα illa varia a *Christo* donari, probat vs. 8, loco V. Foederis in suum usum converso allegando: διὸ λέγει· ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκεν δόματα τοῖς ἀνθρώποις, quae verba ad *Christum* applicat ostendendo illum, qui adscenderit, eundem esse qui prius descenderit e coelis, dein vero in supremos coelos redierit, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα vs. 9, 10. Ita autem omnia πληρῶν, Ecclesiae prospicit Apostolis, Prophetis, Euangelistis dandis. Itaque iterum Jesu in coelos evecti curam, qua Ecclesiae suae consulit, eandem atque Eph. 1: 22 significatam, hic laudat, quam cum Jesu *in vitam reditu*

conjunctam esse, nemo est qui non videat. Licet enim verbis καταβάς et ἀναβάς non unice *mortem* et *resurrectionem* ob oculos habuerit, quum de Jesu in terras veniente in coelosque redeunte intelligenda videantur, *illas* tamen unâ complexus est. Neque ideo a Pauli mente aliena statuere nobis videmur, hunc quoque afferentes locum, unde probemus, ipsum statuisse, Jesum per resurrectionem constitutum esse *Ecclesiae suae caput.*

Idem in loco Col. 1: 18 patet: καὶ αὐτός ἐστιν ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος, τῆς ἐκκλησίας· ὅς ἐστιν ἀρχὴ, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων. Juxta se ponuntur duo, *Christum Ecclesiae esse caput*, atque *eum e mortuis in vitam rediisse*, interposita voce relativa ὅς, quam tamen ita esse intelligendam, ut ex resurrectione Paulum Jesu coeleste Ecclesiae regimen derivasse statuamus, ex iis quae statim subjunguntur, liquet, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων. Designant enim haec ultima consilium, ideoque effectum quoque, illius in vitam reditûs, hunc nempe, *ut Christus in omnibus primas teneat partes;* hujus autem principatus pars etiam est illud, quod in *Ecclesiam* exercet imperium, a Paulo in priore sectionis membro enuntiatum: καὶ αὐτός ἐστιν ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος, τῆς ἐκκλησίας (1).

His, quae Paulum, ad ipsum Jesum cognoscendum, ex ejus in vitam reditu deduxisse vidimus, duo praeterea apponere possimus: alterum, Jesum pro nobis intercedere, Rom. 8: 34: Χριστὸς ὁ ἀποθάνων, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς, ὅς καί ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν· alterum, Jesum nos ira Divina instante liberare, 1 Thess. 1: 10: καὶ ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ —— ὃν ἤγειρεν ἐκ τῶν νεκρῶν, Ἰησοῦν τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης. Annectitur vero utrumque quidem Jesu resurrectioni, nec tamen ex eâ a Paulo derivari dici potest. Etenim in altero loco 1 Thess. 1: 10 Paulus Jesu in vitam reditûs mentionem fecit, non tamen ut inde demonstraret Jesum nos liberare ira, sed ut, quum eum *Dei Filium* nominasset, hanc summam Jesu dignitatem luculentissimo probaret documento, conf. Rom. 1: 4 et quae dicta sunt supra p. 36. Quod vero attinet ad alterum locum, Rom. 8: 34, ibi videtur Paulus Christi erga homines laudans amorem, hujus spe-

(1) Cf. DE WETTE ad h. l. inter alia haec habens: »unser Relativsatz begründet den vorhergeh., und zeigt, *inwiefern* Christus Haupt der Kirche sei." Similiter Rom 4: 18 ὅς *causative* adhibetur.

cimine sublimi in morte voluntaria conspicuo prolato, nunc, *morte* memorata, statim subjunxisse resurrectionem, qua ad Dei dextram elatus sit Jesus, ita ut, quod amore ductus *velit*, idem resuscitatus quippe, facere *possit* (1).

Itaque Paulus Jesu in vitam reditum adhibet, ut aut demonstret, aut saltem illustret, Jesum Nazarenum, a Judaeis cruci affixum, *esse Dei Filium*, — *in coelis viventem*, — *eum vivere vitam sempiternam*, *divinam*, *efficacem*, — *eum omnium esse Dominum*, — *Ecclesiae suae caput.*

2. Pariter autem Jesu resurrectio inservit ad *Deum* cognoscendum. Quae Paulus ex ea derivat sunt duo, eaque gravissima: *Dei potentiam cerni in eo quod Jesum e mortuis in vitam reduxerit*, atque *nos propter illam Jesu resurrectionem Deo confidere oportere.* Prius illud enuntiavit Eph. 1: 18—20· εἰδέναι — — τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ἣν ἐνέργησεν ἐν τῷ Χριστῷ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Item Col. 2: 12: ἐν ᾧ καὶ συνεγέρθητε διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ τῶν νεκρῶν. In utroque loco Dei laudatur ἐνεργεία, in hoc conspicua, quod Jesum mortuum in vitam reduxerit, ut quivis sponte videt; utrique autem simul inest alterum illud, quod nominabamus, eâ ipsâ, quam Jesu in vitam reditu patefactam conspicimus, Dei potentiâ maximâ, *nos moneri ut Deo fidem habeamus.* Col. 2: 12 enim nos una cum Christo resurrexisse ait διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ, qui Jesum in vitam reduxerit, i. e. nos novam in communione cum Christo ingressos esse vitam per fidem repositam in Deo, in illo, qui potentissimus Jesum

(1) Fritsche ad h. l. (II, p. 217 sq.): »Totius loci ratio haec est: Ecquis homines a Deo delectos postulabit (ut peccatores vita aeterna indignos)? Deus is est, qui integritatem iis tribuat. Ecquis est, qui eos (in sollemni judicio) condemnet (et condemnatos in geennam abire jubeat)? Christus (hominum judex) is est, qui (amore adductus) mortuus sit, imo vero qui revixerit (ut *possit* amicis etiamnum prodesse), qui a Dei dextra sedet (habet igitur amicos adjuvandi *vim* et *facultatem*), qui etiam pro nobis deprecatur (ergo [eodem, quo antea, mortem subiens, ductus amore] etiam facit quod potest, ut nos tutetur: quî igitur quos amat in geennam compingat?).« Quam interpretationem egregie confirmant ea quae Paulus vs. 35 subjungit: τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ.

e mortuis resuscitaverit (1). Similiter in altero loco Eph. 1: 19 lectores, Dei potentiâ in Jesu resurrectione conspicua in memoriam revocatâ, ut *firmior ipsorum sit fides*, monet. Se enim Deum precibus adire fatetur vs. 16, ut mentis oculis illustratis sciant, ad quantam vocati sint spem vs. 18, quantam hereditario veluti jure accepturi gloriam vs. 18, quam salutiferam Dei potentiam experturi sint omnes, qui fide Christo Deoque se addixerint vs. 19; quae Dei potentia qualis sit, secundum divinam potentiam in resuscitato Jesu exhibitam demetiri possent. Jam vero Deus, qui Jesum *ἤγειρεν καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις*, similem in Christianis exseret potentiam, quippe quos, peccatis mortuos, resuscitabit, imo jam *συνεζωοποίησεν τῷ Χριστῷ — καὶ συνήγειρεν καὶ συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, cap. 2: 1—6 (2).

---

(1) Verba *πίστις τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ* significare *fidem in Dei potentiam*, sive *in Deum potentem*, ita ut *τῆς ἐνεργείας* sit genitivus objecti, suadet contexta oratio. Etenim loquitur Paulus de *vita nova* quam per Christum in nobis operatur Deus 2: 12, 13, 20; 3: 1 sqq.; quum autem in hac nova vita *in Christo* excitanda potentiam suam ostenderit Deus, eâdem potentiâ nos movemur ad fidem habendam, ut sic quoque novam incamus vitam. Itaque non audiendi sunt alii, v. c. BENGEL, *Gnomon* ad h. l. p. 910, BAHR, *Comm.* ad h. l. p. 175 sqq., DE WETTE ad h. l., statuentes *πίστιν τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ* esse *fidem quam Deus efficiat* (»*fides est* opus *operationis Divinae*," BENG.; »mittelst des Glaubens kraft der Wirksamkeit Gottes; denn Gott ist's der Alles in uns wirket, Phil. 2: 13; Col. 1: 29; *τῆς ἐνεργ. τ. Θ.* ist der genit. der Ursache," DE WETTE). Haec enim cum reliqua quidem Pauli doctrina conveniunt, in hunc vero locum inepte inferuntur, quum non de *fide*, sed de *vita nova* quam Deus operetur, sit sermo; vid. GROTIUS ad h. l., et impr. MEYER ad h. l. et ad Eph. 1: 19. — Quodsi fortasse genit *τῆς ἐνεργείας* non sit objecti sed *causae* (v. HENGEL, *Interpretatio ep. ad Rom.* II, p. 316), dicenda tamen erit, non *Dei operatio in fidelibus*, sed *Dei operatio in Christo resuscitando* patefacta, causa fidei nostrae. — Caeterum quantopere loci sensus, quem supra statuimus, cum Pauli conveniat cogitandi ratione, mox videbimus, de locis Eph. 1: 19, 20; Rom 4: 24; 2 Cor. 1: 9; 1 Tim 6: 13 acturi.

(2) Sunt qui *τοὺς πιστεύοντας* cum sequentibus *κατὰ τὴν ἐνεργείαν* ita cohaerere putent, ut Paulus dixerit, *fidem repetendam esse a Dei ἐνεργείᾳ*, v. c. DE WETTE ad h. l., BÄHR ad Col. 1: 12, p 176. Ἐνεργεία autem, de qua hic loquitur Paulus, non est ea quam Eph 3: 7; 4: 16; Col 1: 29, ob oculos habet, sed ea ipsa *quam* Deus exercuit in Christo resuscitando, quae autem Ephesiis proponitur exemplum *ἐνεργείας* illius, quam erga ipsos quoque exercere velit Deus, 1: 19, et vero exercet 2: 1 – 5. Totus locus agit de summa Dei potentia, et in Christo et in ipsis e morte in vitam ducendis

Pariter Rom. 4: 24 resurrectio est fidei in Deum fundamentum; ibi enim dicuntur Christiani *πιστεύοντες ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν Κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν*, quae verba egregie illustrantur iis, quae eodem cap. vs. 17 de Abrahami fide exponuntur: *κατέναντι οὗ ἐπίστευσεν Θεοῦ τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα.* Nam uti Abrahami fides, fidei quam Christiani habeant multis nominibus comparanda et aequiparanda, fundata dicitur in Dei potentia mortuos vivificantis, qualem deinde Deus se Abrahamo patefecit, vs. 19; ita Christiani, in Jesu resurrectione firmissimum habentes documentum veracitatis potentiaeque divinae, huic Deo toto animo se confidunt, vs. 24. Hinc Paulus se, vel in mediis versantem periculis de vitaque omnino desperantem, habuisse fidem testatur non sibi suisque exiguis admodum viribus, sed *ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ ἐγείροντι τοὺς νεκρούς*, 2 Cor. 1: 8, 9 (1), quam Dei potentiam mortuos in vitam reducendi ex una Jesu resurrectione ubivis derivat. Denique conferas 1 Tim. 6: 12—14, ubi pariter, Timotheum adhortans ut fidem servet constantem, ad *vivum* Jesum et ad *vivificantem* Deum provocat.

Haec sunt, quae ad nostrum argumentum e Paulo colligere potuimus. In iis autem satis clare patet, Apostolum et ut *Dei potentiam in luce poneret*, et ut *fidem in Deum excitaret*, recurrisse ad *Jesu resurrectionem*, quippe in qua et illius documentum inesset insigne et ad hanc rite fovendam efficacissimum incitamentum.

3. Jesu in vitam reditus ipsis denique *Christianis* maximi est momenti. Vidimus, quid lucis afferat ad Christum Deumque cognoscendos, nunc quid ipsis praeterea Christianis, ex mente Pauli, sit Jesu resurrectio, examinemus. Effectus autem ille, ut paucis

---

conspicua. »Mirari non debemus tantam vim potentiae Deum in nobis exserturum, cum talem jam exseruerit in Christo, cum eum e mortuis excitavit." GROT. — Quin vel ipsum illud *τοὺς πιστεύοντας*, a quo caetera pendere dicuntur, tam parum cum reliquis cohaeret, ut, eo sublato, sententia non turbetur: *εἰδέναι — — τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμας — — κατὰ τὴν ἐνεργείαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ ἐγείρας κ. τ. λ.* — Quod ad significationem praepositionis *κατά*, *secundum*, *pro* vid. Phil. 3: 21 Conff. praeterea CALVINUS ad h. l. et MEYER, *Comm.* ad h. l. p. 63.

(1) Pariter multos annos post, Romae in carcere degens, ad Timotheum scribit, se constantem fore: *οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα καὶ πέπεισμαι ὅτι δυνατός ἐστιν τὴν παραθήκην μου φυλάξαι εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν*, 2 Tim. 1: 12; cf. insuper Eph. 3: 20.

dicamus, est hic, quod per Jesu vitam, Christiani quoque *vitam*, i. e. *vitam veram* eamque *sempiternam* assequantur.

Novimus Paulum, uti et ipsum Christum hujusque discipulos caeteros, frequenter loqui de *sempiterna*, quam omnes, qui Jesu fidem habeant, sibi acquirere possint, *vita;* huic vero oppositam esse mortem, cui subsint homines peccato indulgentes. Eâ enim formulâ omnem designasse videntur beatitatis complexum; qua demum quis fruens vere vivere, et ad destinationem suam pervenire dicendus sit. Hac *vitae mortisque* denominatione usi sunt N. T. scriptores, Hebraeorum morem sequentes. His enim, hominibus sensuum vi ductis, mors summum habebatur malum, vitaque, quantumvis infelix, omnium bonorum finis (1). Ita igitur Paulo ζωή et σωτηρία eodem fere redeunt, cf. v. c. Rom. 1: 16: δύναμις — Θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, et vs. 17 ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται, — Eph. 2: 1—8, impr. vs. 5: καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασιν συνεζωοποίησεν τῷ Χριστῷ· χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, — Tit. 3: 5—7: ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν· ἵνα — — κληρονόμοι γενώμεθα κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου. Vide insuper 2 Cor. 2: 15, 16; 1 Thess. 5: 8—10; 1 Tim. 1: 15, 16; 2 Tim. 1: 9, 10; 2: 10; 4: 18.

Quum autem illa hominum in peccato versantium miseria, quae ipsis adhuc vivis jam exsistit, post discessum e terris infinitum augeatur, una θανάτου voce miseria ea designatur, quae jam his in terris adest et quae aliquando est futura. Contra ζωή est felicissimus ille hominis Christiani status, ad quem fide, in Christo habita, jam hîc pervenit, ad cujus autem fastigium in altera demum vita est perventurus. Dicitur autem ζωή sive ζωὴ αἰώνιος per excellentiam, quum haec una sit vita homini vere humano congrua, quam Deus ipse vivit, quamque Christus in terras transtulit, et cujus nullus est finis, quum vel ipsa mors, quae dicitur, inserviat tantum, ut melius, omni corporis debilitate incitamentisque ad peccandum liberatus, hanc Christo Deoque dicatam vitam homo agere possit. Jam vero haec *Christiani hominis vita* tota quanta pendet, ex mente Pauli, *a Jesu in vitam reditu.*

---

(1) Videantur THOLUCK, ad Rom. 5: 12, ed. 3 p. 181, et GESENIUS, *Lex. Hebr.* in voce. חיים et מות. Cff praeterea USTERI, *Paulin. Lehrbegr.* ed. 3, p. 13, 224, TIJSSEN, *Anthropol. Paulina*, § 19, p. 260 sqq.

Novam hanc celebrans aut describens vitam varias admodum adhibet imagines dicendique formulas, quas singulas, quo latior patet hac in re usus Paulinus, eo diligentius exponere conabimur.

a. Quicunque peccato carnisque oblectamentis indulget, is *mortuus* dicendus est. Ex hac autem peccati morte Deus, maximo erga homines amore ductus, ipsos suscitat, vitamque iis indit spiritualem nunquam perituram, Eph. 2: 1—6 (1). Vita autem illa arctissime connectitur cum vita quam Christus resuscitatus vivit, ita ut haec illius causa nominetur, vs. 5, 6: *καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασιν, συνεζωοποίησεν τῷ Χριστῷ — καὶ συνήγειρεν καὶ συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, coll. antecedentibus, ad quae alludit Apostolus, 1: 20: *ἐγείρας αὐτὸν — καὶ ἐκάθισεν.* Eandem sententiam repetit Col. 2: 12, 13: *συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι· ἐν ᾧ καὶ συνηγέρθητε διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν· καὶ ὑμᾶς νεκροὺς ὄντας ἐν τοῖς παραπτώμασιν — συνεζωοποίησεν σὺν αὐτῷ.*

Hoc ipso autem loco imagine insuper utitur, a baptismi ritu desumta (*συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι*), quam uberius explicatam alibi adhibuit. Hominem enim Christianum, tanta per Christum beneficia nactum, peccatis nunc abstinere vitamque suam ad Christi voluntatem dirigere decet. Rom. 6: 1—14 hoc ita effertur, ut *peccato mortuus*, *Deo* autem *in Christo vivus* dicatur homo, vs. 2: *οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, πῶς ἔτι ζήσομεν*

(1) Minus recte se habere videntur quae MEYER, *Comm.* ad Eph. 2: 1, p. 74 sq. dicit, *mortem* hoc loco sensu tantum *physico* esse accipiendam; commendatur quidem explicatio haec iis, quae de Christi resurrectione ex morte *physica* addit Paulus, ad quae provocat MEYER: »da sowohl vorher von dem, was Gott an dem *leiblich* gestorbenen Christus gethan hat, die Rede war, als auch nachher durch *συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ κ. συνήγειρε κ. συνεκάθισεν*, etc. die Participation an der Erhebung Christi aus und nach dem *leiblichen* Tode ausgedrückt wird: so nehme ich *νεκρούς todt* im *physischen* Sinne. Der Ausdruck ist aber *proleptisch* etc." Sed parum valet haec argumentatio; nam in loco parallelo, Col. 2: 12, 13, itidem est *συνηγέρθητε* et *συνεζωοποίησεν*, quod tamen dicitur de iis qui sunt *νεκροὶ ἐν τοῖς παραπτώμασιν κ. τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκός*, quae minime proleptice dicta sunt nec nisi de *morte morali* accipi possunt, consentiente ipso MEYERO ad Col. l. l. p. 94. »Dieses Todtsein der Leser fand statt vor ihrer Bekehrung, *im Zustande* (*ἐν*) *ihrer Sünden* (*τοῖς* markirt die Sünden, welche sie begangen hatten) *und* (vor *τῇ* ist wieder *ἐν* zu denken) *der Vorhaut ihres Fleisches*." — Cum morte *morali* autem juncta est mors *physica*, utpote vitae, quam ipsi sibi existimant unice vitalis, finis, sine spe vitae melioris.

ἐν αὐτῇ ; vs. 11 : ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Quod ut lectoribus persuadeat, solennem iis in memoriam revocat promissionem, quam baptizati professi erant, se in communione cum Christo vivere velle. Baptismum autem simul ita symbolice interpretatur, ut, prouti ipse Christus humo fuit reconditus, ipsos dicat in baptismo submersos aquâque veluti sepultos esse : ἵνα ὥσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν, — οὕτως καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν. Itaque prouti mors, qua peccato se substrahant Christiani, comparanda est Jesu supplicio, quod τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ, ita nova, in quam Christus a Deo revocatus est, vita typum constituit novae vitae Christianis quoque agendae (1). — Verum non modo hanc Christianorum Christique novam vitam inter se *comparat*, ob similitudinem externam quandam; arctissimo sibi junctae sunt vinculo, ita ut Christi *ἀνάστασις causa* sit vitae Christianorum spiritualis. Voluit hoc verbis sequentibus : εἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα. Quaenam Jesu in vitam reditus significetur vis, patet tum in praecedentibus vs. 4, tum in iis quae vs. 6 et 11 sequuntur, ubi de vita nova Deo, non peccatis, consecrata est sermo. Itaque ex mente Pauli *nova Christianorum*, Christi vitae adinstar comparata, *vita* est *fructus Jesu resurrectionis.*

Neque tantum uno alterove loco hanc sententiam profert, ita ut dubitandum sit, an revera primarium in ipsius theologia occupet locum; imo tantum abest ut leviter aut inconsulto eam adhibuerit, ut variis passim usus sit dicendi formulis ad hanc sententiam lectoribus persuadendam gravissimam, *nos per Jesu in vitam reditu ipsos quoque novam inire vitam.* Etenim quum Rom. 6: 1—14 dixisset, Christianis moriendum esse *peccato*, ut una cum Christo vivant, deinde Rom. 8: 10—17 eos monet, ut non τῇ σαρκί vivant, sed contra τὰς πράξεις τοῦ σώματος interficiant Deique spiritu regantur,

(1) Quum hoc loco tantum agimus de *usu Pauli multifario* in adhibenda Jesu resurrectione, non opus est, neque etiam licet omnem ejus sententiam de Christianorum *morte* et *vita* in communione cum Christo exponere. De illa egit HEEMSKERK, *Het verband tusschen den dood van Christus en dien der Christenen, volgens* 2 Cor. 5: 15, in op. period. *Jaarboeken voor wetenschappel. Theologie*, XII, 2, 1854, p. 264 sqq., impr. p. 272—275; — de hac DOUWES, *Hoe dacht de Ap. P. zich het verband tusschen het nieuwe leven, dat Christus met zijne opstanding begon, en het nieuwe leven der Christenen?* in *Waarh. in L.*, 1853, IV, p. 639 sqq.

quo quippe spiritu in semet ipsis recepto fiat τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν διὰ ἁμαρτίαν (1). Ita Rom. 7: 4—6 vitam Christo dicatam opponit vitae, quam hucusque *legi* subjecti vixerant: ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, εἰς τὸ γένεσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι. — — νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα (2). Alio rursus modo eandem rem, eam tamen cum Jesu in vitam reditu conjungens, Graecis lectoribus inculcat, dicens, ipsis cum Christo mortuis ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου, unaque cum Christo resuscitatis, quaerenda esse τὰ ἄνω, i. e. abjicienda esse terrena omnia, scortationem, impuritatem, molli-tiem, cupiditatem malam, caeteraque quae enumerare solet vitia, exutoque veteri homine induendum esse novum illum ad similitudinem Christi qui eum condiderit, Col. 2: 20 — 3: 10.

b. Sed non tantum novae hujus Christianorum vitae *causam* et *originem* in ipsius Jesu in vitam reditu ponit, sed ejus quoque *explicationem* et *perfectionem* inde derivat. Etenim Jesu resurrectionis vis est haec, ut homo Christianus *constanter in omnibus vitae discriminibus vitam suam conservet*. Universe hoc enuntiavit Paulus Phil. 3: 10: τοῦ γνῶναι αὐτὸν καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ, i. e. ut cognoscam ipsum et vim, quam ejus in vitam reditus in me exerceat, experiar, quae vis nulla alia esse potest, nisi perfectio et progressio illius vitae, in quam, fide Christo habenda, intraverat. Hujus vitae characterismus est contemtus et rejectio terrenarum rerum omnium, propter excellentiam cognitionis Christi, cui fidem dedit, ita ut unam nunc Christi communionem expetat, per hanc pietatis virtutisque studio impleatur, lubenter se doloribus submittat et cruciatibus Christi causa subeundis, Christique adinstar mundo mortuus sit, 3: 7—10 (3).

---

(1) Etiam hoc loco Paulum omnia haec fructus habuisse *resurrectionis*, patet vs. 11, ubi de ea sic fit mentio, ut sequentia monita particulâ adhortationis οὖν ei annectantur.

(2) Conf. Gal. 2: 19: ἐγὼ γὰρ διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον ἵνα θεῷ ζήσω.

(3) Quod ad rei summam secuti sumus interpretationem a cl. VAN HENGEL prolatam et defensam in *Comm. ad Philipp.* p. 231—234. Merito quoque NEANDER, *Der Brief P. an die Philipp. praktisch erläutert*, p. 93, Paulum dicit hic ob oculos habere Christi vitam divinam aeternamque, »welches [Leben] von ihm übergeht auf Alle, die durch den Glauben in Gemeinschaft mit ihm stehn, das in ihnen der Anfang eines neuen göttlichen Lebens ist, immer mehr ihr ganzes Wesen zu durchdringen, bis sie einst an Seele und Leib ganz demselben assimilirt sein werden." Minus recte autem

Maximopere autem fructus ille Jesu resurrectionis, in constanter fortiterque ferendis vitae periculis conspicuus, a Paulo laudatur in altera ad Corinthios epistola, ab ipso quum in mortis, ut videtur, discrimine versatus esset, et praeterea corporis debilitate premeretur, scripta. Hinc jam statim in epistolae initio 1: 9 periculorum istorum mentione facta, fidem suam describit habitam Deo τῷ ἐγείροντι τοὺς νεκρούς, et 13: 4, se corpore quidem imbecillem videri, sed tamen potentiam se repetere ex Christo, qui ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας, ἀλλὰ ζῇ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ, quîcum et ipse, quamvis sit infirmus, vivet ἐκ δυνάμεως Θεοῦ. Imprimis autem vitam illam ex Jesu resuscitati viventisque potentia derivat, cap. 4: 7 sqq., ubi corporis querens tenuitatem, qua fiat ut afflictus sit et haesitans et persecutionibus agitatus, ita ut quovis tempore τὴν νέκρωσιν τοῦ Ἰησοῦ circumferat, haec omnia fieri dicit, ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι ἡμῶν φανερώθῃ· ἀεὶ γὰρ ἡμεῖς οἱ ζῶντες εἰς θάνατον παραδιδόμεθα διὰ Ἰησοῦν, ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ φανερώθῃ ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ ἡμῶν (1).

c. Quum itaque hujus vitae et *originem* et *progressionem* et *perfectionem* ex Jesu in vitam reditu derivet, alia opportunitate *totam* eam vitam Jesu τῷ ὑπὲρ πάντων ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι consecratam dicit. Se ipse ita non sibi, sed Deo Christoque vivere, in celeberrimis illis locis 2 Cor. 5: 15 et Gal. 2: 19, 20 profitetur. 2 Cor. 5: 15: ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν ἵνα οἱ ζῶντες μη-

---

Jesu in vitam reditui *veritatis hujus vitae probandae*, non vero ejus *efficiendae*, partes tribuit: »die Kraft seiner Auferstehung aber hebt er hervor, in so fern diese der thatsächliche Beweis von der durch ihn vollbrachten Erlösung ist, der thatsächliche Beweis von dem —— in die Menschheit gebrachten unvergänglichen göttlichen Leben....« Etenim ex Apostoli mente Jesu in vitam reditus et *probat* et vero etiam *efficit* novam Christianorum vitam; posterius vero cum loco, in quo versamur, ob oculos habuisse, docent ipsa verba τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως, i. e. non ea vis quae semel probavit aut ostendit vitam veram, sed cujus salutarem effectum etiamnum experiebatur.

(1) MEYER, *Comm.* ad h. l. p. 80, 81, putat voce ζωὴ *liberationem* significari ab imminentibus periculis, quam ideirco *resurrectionis* imagine proposuerit, quod ipsa pericula τὴν νέκρωσιν dixisset. Equidem, cum DE WETTE, *Comm.* ad h. l. p. 187, non tam *physicam* quam moralem (vs. 11 ἐν τῇ σαρκί) eamque efficacem (vs. 12, ἡ δὲ ζωὴ ἐν ὑμῖν [ἐνεργεῖται] cf. vs. 16) intelligere malim, ad quam nos sponte duxit contextus: »darin, dass der Ap. in und trotz seiner Widerwärtigkeiten eine unvertilgliche Geisteskraft beweist, offenbart sich die Lebenskraft (δύναμις vs. 7), vermöge welcher Christus auferstanden ist und lebt.« Eadem ratione et interpretatur locum et adhibet LECHLER, *Apost. Zeitalter*, p. 48.

κέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ πάντων ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι. Gal. 2: 19, 20: διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον ἵνα Θεῷ ζήσω. Χριστῷ συνεσταύρωμαι· ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγώ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός· ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκί, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ. In utroque loco *Christi vita* causa est vitae illius, quam Christo dicatam nunc se vivere dicit. — Lectores similiter ad vitam, qualem Christianos oportet, agendam incitat, Jesu resurrectione et vita nova in memoriam revocanda, v. c. 1 Thess. 5: 9, 10: οὐκ ἔθετο ἡμᾶς ὁ Θεὸς εἰς ὀργὴν ἀλλὰ εἰς περιποίησιν σωτηρίας διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα εἴτε γρηγορῶμεν εἴτε καθεύδωμεν ἅμα σὺν αὐτῷ ζήσωμεν. Rom. 14: 7—9: οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν ἑαυτῷ ζῇ καὶ οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει· ἐάν τε γὰρ ζῶμεν τῷ Κυρίῳ ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν τῷ Κυρίῳ ἀποθνήσκομεν· ἐάν τε οὖν ζῶμεν ἐάν τε ἀποθνήκωμεν, τοῦ Κυρίου ἐσμέν· εἰς τοῦτο γὰρ Χριστὸς ἀπέθανεν καὶ ἔζησεν ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ. In singulis his locis Christiani dicuntur novam ingressi esse vitam Christo dicatam, quippe qui pro iis et mortuus est et vero revixit (1).

d. Est porro vita haec spiritualis sua vi *sempiterna*. Hoc quoque ex Jesu in vitam reditu vitaque insequenti aeterna deducit Apostolus. Documento nobis sunt duo loca gravissima Rom. 6: 8 sqq. et 8: 11. In priore sermo est de morte ad Christi exemplum τῇ ἁμαρτίᾳ subeunda, ex qua in veram vitam divinam resurgant Christiani. Nisi autem constanter Deo vivant peccatoque in aeternum sint emortui, prorsus nil valeat vita ea, quamvis praeclare sit inchoata. Hoc lectoribus persuadere studens ad *Christi* provocat vitam aeternam morti nullatenus obnoxiam, ad cujus similitudinem nempe et ipsos oporteat *perpetuo* vivere: εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριστῷ, πιστεύομεν ὅτι καὶ συνζήσομεν αὐτῷ, εἰδότες ὅτι Χριστὸς

(1) Possim videri, neglecta Christi mortis vi, justo plura ex Jesu resurrectione repetere. Et facile concedam, maximam mortis Jesu et fuisse et esse vim, ut, tanto amore moti, Christo sese tradant homines, imo mortem illam *peccanti* generi humano ut resipisceret necessariam fuisse. Ita et Paulus quatuor posterioribus locis quae citavi, et nonnullis etiam aliis, *mortis* disertam facit mentionem; neque tamen ita, quin etiam *reditum in vitam* laudet, aut, quod in paucis locis obtinet, vitam Jesu novam simul includat; quod non fecisset, nisi *resurrectionem* aestimasset maximi; *hanc* autem quanti habuerit, hoc ipso capite disquirimus.

ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν οὐκέτι ἀποθνήσκει· θάνατος αὐτοῦ οὐκέτι κυριεύει· ὁ γὰρ ἀπέθανεν, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ· ὁ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ Θεῷ· οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ ἐν X. I. Similiter Rom. 8: 10, 11 nostra vita, nunquam finienda, connectitur cum vita, quam Christus e morte redux agit, simul tamen addita ratione, qua aeterna haec vita sit comparanda: εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν, τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν, τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην. εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν (1). Quorum verborum sensus huc redit: Dei spiritu in nobis habitante et vigente, fit, ut reliquiae carnis peccantis sensim exstinguantur, coelestisque vita, ad Christi vitam conformata, vim vigoremque accipiat. Congrua est haec sententia et antecedentibus et sequentibus. Etenim de infelici ejus, qui sub lege vivat statu locutus cap. 7, contrarium dicit obtinere in iis qui sunt in Christo, nulli quippe damnationi subjectis, 8: 1. Hujus sententiae autem rationes reddit exponendo, ἁμαρτίαν esse exstinctam per Christum, quicum Christiani κατὰ πνεῦμα περιπατοῦντες, superato peccato, judicii loco *vitam* sibi comparent. Qua in re τοῦ πνεύματος prae τοῦ νόμου cernitur praestantia. Quod enim ab hoc incitatur peccandi studium, idem πνεῦμα cohibet et devincit, nam si Christus *in* nobis, corpus mortuum propter peccatum. Hoc quidem uno ictu non fit, ita ut plena perfectione gaudeant Christiani, tamen in dies augetur τοῦ πνεύματος

(1) Lis est inter viros doctos, utrum Paulus scripserit, Deum corpora nostra suscitaturum esse *per* (διά cum genit.), an *propter* (διά cum accus.) spiritum suum in nobis habitantem. Secuti sumus REICHIUM, qui, in *Comm. Crit. in N. T.* Tom. I. 1853. p. 54 sqq., utriusque lectionis auctoritate externa et interna bonitate accurate ponderatis, legendum statuit, διὰ τὸ ἐνοικοῦν — πνεῦμα. Idem putat, lectionem receptam, διὰ τοῦ — πνεύματος, in Ecclesiae Catholicae orthodoxae doctrina de spiritus Sancti dignitate et operatione multum habuisse praesidii, quo factum sit ut latius divulgaretur, p. 65 sqq. Dixerim potius, tam consuetam esse dictionem διὰ πνεύματος ἁγίου, ut hanc imprudenter scripserint librarii pro minus consueto διὰ πνεῦμα· vid. etiam FRITZSCHE ad h. l. II. p. 128. — Sensus autem oritur Paulinae menti admodum congruus. Etenim ὸt ipse Jesus propter internam suam praestantiam a Deo est resuscitatus (Rom. 1: 4 ὁρισθεὶς υἱὸς Θεοῦ — — κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρων), ὸt nos propter eundem, qui et Jesu inhabitabat, spiritum a Deo in vitam ducemur.

vis, donec, *habitante* Dei spiritu in nobis (*οἰκεῖ*, *ἐνοικοῦν*), carnis mortalis vi omnino fracta, vere vivamus et ipsa corpora nostra morte fiant superiora. Quod quum nobis propositum sit, ut *πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος* interficiamus oportet, quo facto *vivemus*, Dei filii, gloriae aeternae heredes (1).

e. Haec vita autem, suâ vi sempiterna, his in terris non tantum agitur ita ut morte pereat; ex hac resurgemus alteram ingressuri vitam coelestem, quam una cum Christo post decursum terrenae vitae spatium in coelis vivemus. Est vero haec arctissime cum *Jesu in vitam reditu conjuncta*, imo *tota quanta hinc pendet*; quod paucis in lucem ponemus.

Quantum pretium Jesu resurrectioni hac in re tribuat Paulus, imprimis conspicitur in epistola ad Cor. I, cap. 15, ubi, diserte de hominum post mortem vita futura agens, hanc ex una illa, plurium testium testimonio comprobata, Jesu vita demonstrat, et vel eo procedit, ut, hac sublatâ, vanum suum dicat praeconium, vanam Corinthiorum fidem; quin eos adhuc in peccatis suis versari asseveret misserrimosque eos proclamet homines, si modo in hac vita in Christum sperare possint, 1 Cor. 15: 12—19. At contra se res habet: *Christus resurrexit*, *itaque et nos resurgemus ex morte unaque cum eo vivemus.* Idem universe exprimitur 2 Tim. 2: 11, 12: *πιστὸς ὁ λόγος· εἰ γὰρ συναπεθάνομεν, καὶ συν-*

(1) Noluimus in hoc loco interpretando recentiorum fere omnium more ita subtiliter distinguere, ut nunc de morali, nunc de physica vita et morte Paulum locutum esse statuamus. Haec enim distinctio ipsi prorsus aliena est, cujus rei hi ipsi, qui eum ab una in alteram transire dicunt, vel inviti praebent argumentum, agnoscentes, Paulum eas commiscuisse, quia arcte ex ejus mente cohaereant. Itaque CALVINUM et DE WETTE sequentes, arbitraria ista sejunctione missa, Paulum dicere putamus de vita Christianorum, per Dei spiritum vivificantem semper increscente tandemque omnem corporis vim superante: »Dieser todtüberwindende Geist Gottes wird immer mehr das Princip der Sünde und des Todes in euren Leibern vernichten und dafür das Princip des lebenbringenden Geistes in eure ganze Persönlichkeit, selbst in euren Leib einführen," DE WETTE. — Audiendus quoque HEEMSKERK, l. l. p. 278, qui inter alia, »wij gelooven, inquit, dat men gescheiden heeft, wat hoogstens onderscheiden, nooit geheel en werkelijk gescheiden kan worden. Naar ons gevoelen zijn beide, de mors moralis en de mors physica, ten naauwste verbonden; zij vloeijen te zamen in het één begrip: ontkenning, opheffing van leven. De mors moralis is het eerste, onmiddellijke gevolg der zonde, waarvan de mors physica de voleinding is. Door de opheffing van den eersten is tevens de laatste weggenomen." — Conf. quae de mortis moralis et physicae necessitudine disputavimus supra p. 45 not. (1).

ζήσομεν· εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν, quibus verbis, sub vitae finem scriptis, procul dubio liberationem a perpessionibus suis post mortem futuram ob oculos habuit, cujus persuasionis fundamentum ipsi praebuit Jesu resuscitatio; cf. vs. 8: *μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν.*

Qua ratione nostra ipsorum cum Christi vita cohaereat resuscitatio (1), alia docent loca. 1 Cor. 6: 14: *ὁ δὲ Θεὸς καὶ τὸν Κυρίον ἤγειρεν καὶ ἡμᾶς ἐξεγερεῖ διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ.* Supra jam vidimus, p. 41, Paulum in Jesu resurrectione insigne potentiae Divinae conspicere documentum; eandem hic laudat efficacissimam futuram, quo tempore nos, prouti ipsum Jesum, in vitam revocabit Deus. Vinculum autem inter utramque resuscitationem, hoc loco minus distincte significatum, accuratius expressit Paulus 2 Cor. 4: 14: *ὁ ἐγείρας τὸν Ἰησοῦν καὶ ἡμᾶς σὺν Ἰησοῦ ἐγερεῖ καὶ παραστήσει σὺν ὑμῖν*, quae verba »de resuscitatione e morte quotidiana" non accipienda (2), indicant, propter communionem cum Christo, qui ipse e morte revixit, Christianos quoque novam post mortem ingressuros esse vitam (3). Hunc locum autem si conferimus cum iis quae Paulus dicit Rom. 8: 11, Deum corpora nostra morti obnoxia suscitaturum, *propter spiritum* suum in nobis habitantem, intelligimus, Dei sive Christi spiritum (vs. 9—11) esse rationem, nobis cum Christo communem, ob quam resuscitatio illa locum habebit; videmus autem simul, hanc nostram vitam totam quantam pendere e Jesu vita, quum spiritus ille vivificans ab ipso Paulo dicatur *illius, qui et Christum in vitam reduxit.*

Uberius denique hanc rem tetigit 1 Cor. 15: 20 sqq. Christus ibi, cum Adamo comparatus, dicitur vitam in mundum introduxisse (vs. 21: *δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν*, 22: *ἐν τῷ Χριστῷ πάντες*

(1) Hac de re conf. omnino LECHLER, *Apost. Zeit.* p. 48, 49.

(2) Prouti ea accipit praeter alios MEYER, *Comm.* ad h. l. p. 84. Minus recte ni fallor. Nam et verba *παραστήσει σὺν ὑμῖν*, *exhibebit coram se una cum vobis*, *Corinthiis* (cf. 2 Cor 11: 2; Eph. 5: 27; Col. 1: 22), et quae mox sequuntur arctissime cum his cohaerentia, de altera vita dicta cap 5: 1 sqq, Paulum hic quoque resurrectionem post mortem physicam cogitasse indicant. Cf. GROT. ad h. l. et paraphrasin quam dat H. E. VINKE, *Het N. Test. met Aanmerkingen*, II, p. 540 sqq.

(3) LECHLER, *Apost. Zeitalt.* p. 48: »sofern die Gemeinschaft mit Ihm als den Auferstandenen (*σὺν Ἰησοῦ*) die Bedingung der Auferstehung ist." Receptam lectionem, *διὰ Ἰησοῦ*, cum optimorum codd. auctoritate mutandam esse, suadet sensus longe difficilior, quem praebet lectio quam TISCHENDORF dedit, *σὺν Ἰησοῦ.*

ζωοποιηθήσονται). Itaque est ille conditor novi hominum generis, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων (cf. Col. 1: 18: ὅς ἐστιν ἀρχή, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν), qui suam, quam resuscitatus (vs. 20: ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν) iniit vitam novam, cum omnibus communicat, (ejus saltem apud reliquos omnes homines est auctor, vs. 21: δι' ἀνθρώπου, vs. 22: ἐν Χριστῷ) atque in genus humanum sic introducit, prouti per Adamum mors venit atque in uno Adamo, hominum omnium parente, omnes mortui sunt. Vinculum Christum inter et Christianos intercedens hoc loco (prouti et Rom. 8: 11) dicitur spiritus vivificans, vs 45: ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. Huic fundamento dein superstruit eorum quae in Jesu παρουσίᾳ evenient descriptio; omnia autem ea ex uno Jesu *in vitam reditu* pendent èt 1 Cor. 15: 51—54 èt vero etiam 1 Thess. 4: 14, ubi hic in vitam reditus diserte nominatur: εἰ γὰρ πιστεύομεν ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανεν καὶ ἀνέστη, οὕτως καὶ ὁ Θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξει σὺν αὐτῷ. — Itaque vita Christianorum et praesens in his terris et in coelis futura, i. e. omnis qua quis frui possit salus et beatitas, cum Jesu in vitam reditu a Paulo vel connectuntur vel ex eo repetuntur.

Quae hucusque de Jesu resurrectione apud Paulum invenimus, huc redeunt: valuit ex Apostoli mente Jesu in vitam reditus ad *Jesum* cognoscendum Dei Filium, in coelis nunc degentem ibique viventem vitam divinam, sempiternam, efficacem, ita ut sit omnium Dominus, Ecclesiae caput; ad *Dei* patefaciendam potentiam, qua nos ut fidem illi habeamus monemur; ad *hominibus* praebendam eam cujus sunt capaces beatitatem, sive ad vitam eamque novam, Deo Christoque consecratam in ipsis excitandam, alendam, conservandam, perficiendam, ita ut et his in terris et futuro tempore in coelis una cum Christo vivant.

His vero, unde jam satis videmus, Paulum Jesu in vitam reditum variis nominibus singularibus aestimasse maximi, addendum etiam, eum generatim tantum Jesu resurrectioni tribuere pretium, ut omnem fere rei Christianae veritatem et praestantiam ac vim ex ea una repetere videatur. Etenim nonnunquam *aut* ipsis verbis omnem salutem e Jesu resurrectione pendentem proponit, veluti Rom. 10: 9, 10: ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου Κύριον Ἰησοῦν, καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ· καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν· — item Rom. 5: 10: εἰ γὰρ

ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ, — *aut* eximiam salutis partem quandam resurrectionis dicit effectum, veluti Rom. 4: 25: ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, — *aut* sine ea nullam esse posse fidem Christianam peccatorumque veniam, affirmat 1 Cor. 15: 17, — *aut* denique decurso jam fere vitae spatio Timotheum, discipulum dilectissimum, eundem tamen quoque per plures jam annos Ecclesiae ministrum monet, quasi veritus, ne rei Christianae summam inconsulto negligeret: μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν, 2 Tim. 2: 8.

Ut autem rite intelligamus, quanti a Paulo habita sit Jesu resurrectio, paucis insuper attendamus ad lucem, quam *universae religionis doctrinae* a Paulo expositae affundant ea, quae ex illa resurrectione ipsum derivasse vidimus. Neque enim haec tam parvi sunt ponderis, ut sine his salva stet eademque maneat res Christiana; imo tam arcte omnia secum invicem cohaerent, ut verissime dixerit Paulus, Jesu non in vitam reverso, vanam esse Christianorum fidem, vanum ipsius praeconium. »Reditu in vitam Jesus declaratus est Dei Filius;" hinc sublimis ac divina apparet ejus et persona et opus. Quem aut vulgarem tantum hominem aut nequam putaverat Paulus, eundem nunc agnovit Dei Filium, qui beatissimus et ditissimus e coelis ad nos migravit atque in maxima vixit humilitate et paupertate, ut nos beatos salvosque redderet, Phil. 2: 6, 7; 2 Cor. 8: 9; quin idem ille, qui postea a Deo suscitatus et in coelos translatus est, jam intelligitur ante vitam terrenam summa apud Deum fruitus esse et majestate et potestate, Col. 1: 15, 16, coll. 18: πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν πρωτεύων. Quem Deus mortuum in vitam reduxit, ille non potuit non fuisse sanctus divinusque, Phil. 2: 7, 8; Rom. 5: 18, 19, peccato nullatenus obnoxius, 2 Cor. 5: 21. — Opus etiam, quod peragendum suscepit, est Dei opus, Col. 1: 20; Eph. 1: 10; ad quod efficiendum jam ante mundum conditum Deus omnia praeparavit, Eph. 1: 5; Col. 1: 16 (εἰς αὐτόν); quod nunc Christo exsequendum dedit, Gal. 1: 4; 4: 4, 5; Rom. 8: 3; in hoc opere elucet Dei et sapientia mirifica, Col. 1: 15—19; Eph. 1: 8; 3: 10, et ineffabilis amor, Rom. 8: 32; 2 Tim. 1: 9, 10, et summa potentia, Eph. 1: 19; 1 Cor. 1: 24; qui idem Deus omnem adhibet curam, ne opus illud intereat, sed progrediatur perfectumque fiat,

1 Cor. 12: 6; 2 Cor. 3: 5, 6; 4: 6; 5: 19, 20; cui Deo itaque pro salute in Christo data gratiae sunt referendae maximas, Rom. 7: 25; 11: 36; 1 Cor. 15: 57. — Prae omnibus autem Jesu mortis, maximi alioquin, quominus Jesus agnosceretur Messias, impedimenti, 1 Cor. 1: 18 sqq., nunc quum eam ipse Dei Filius subiit, momentum est summum. Efficit enim haec hominum cum Deo reconciliationem, Rom. 5: 9, 10; nam Deus erat in Christo mundum secum reconcilians, cui Dei voluntati ne resistant homines, 2 Cor. 5: 18—20 (1), Paulus Corinthios monet. — Haec satis jam indicant, quam arcto vinculo praecipua religionis Christianae capita cum uno illo, quod ex *Jesu vita* repetit Paulus, *Jesum esse Dei Filium*, ex ipsius Pauli mente sint conjuncta. Pariter reliqua, quae ipsum ex Jesu in vitam reditu derivare vidimus: Jesu potentia regimenque coeleste, Dei potentia maxima, nostra ipsorum vita beata aeterna, haec omnia tam arte cum universa re Christiana, Deique et Jesu consilio cohaerent, ut uno alterove ex iis sublato, omne quod in religione Christiana verum, divinum et salutiferum sit, prorsus evanescat aut saltem vi sua destituatur. His itaque, ex una quippe Jesu *ἀναστάσει* a Paulo repetitis, omni dubio major fit nostra sententia, quam initio (p. 32) proponebamus, *Jesu vitam novam Paulo esse principium, unde tota ejus theologia pendeat.*

Antequam vero in hujus rei causam inquiramus, reliquorum Apostolorum hac de re sentiendi rationem cum Paulina de ea argumentandi methodo componemus, ut diversitatis, quae inter eos obtineat, plane fiamus conscii. Euangelistas vero missos facimus, hoc quippe consilio Jesu vitam contemplatos, ut, tota Jesu persona ejusque fatis, factis, dictis maxime memorabilibus cognitis, hunc

---

(1) Quantum mortis Jesu momentum ex hoc repetierit Paulus, quod Dei Filius sit Jesus, elucet tum 2 Cor. 5: 18—20, ubi ex Dei operatione, in Jesu morte conspicua, petit argumentum, ne Dei voluntati resistant (*ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χρ. κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, — — ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν ὡς Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν*), tum in aliis locis, ubi Dei Filii laudatur mors, Rom. 5: 10: *κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, cf. vs. 8. Rom. 8: 32: *ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο.* Gal. 2: 20: *ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκί, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ.* Gal. 1: 4: *τοῦ δόντος ἑαυτὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος αἰῶνος πονηροῦ κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν.*

Messiam a Deo missum, eumque et humanissimum et divinum, lectores agnoscerent. Neque opus est examinare epistolam ad Hebraeos, cujus auctor, etsi in multis Pauli redolens ingenium, tamen hac in re luculenter ab eo distinguitur, quod, ad Jesu sacrificium pro peccatis semel oblatum omnem fere rem Christianam referens, hujus praestantiam imprimis Vetere et Novo Foedere comparandis comprobare studeat. Itaque in Petrum, Johannem, Jacobum oculos convertamus. Hi singuli neque *eo modo*, neque *toties* commemorant Jesu *ἀνάστασιν*, neque *inde tam multa derivant*, ac Paulum facere vidimus.

De notione, quam triumviri illi voci *ἀναστάσει* subjiciunt, supra jam vidimus p. 32 sq.; quam enim Paulus contemplatur novae vitae ejusque coelestis sempiternaeque initium, ejusdem illi ut reditûs in vitam terrenam, variis apparitionibus conspicuam, mentionem faciunt. Praeter hanc autem in vocis significatione sitam diversitatem, aliam reperimus non minus gravem. Etenim et rariores in celebrando Jesu in vitam reditu sunt et minus illi pondus tribuere videntur.

De Petro, reliquis tamen hac in re etiam uberiore, primum videndum. Privum huic est, quod non philosophetur nec dogmata de Jesu sive persona sive opere proferat ulla; Christum, qualem ex fatis suis cognitum habet, vitam a Christo in se ipso excitatam, facta tantum resque ipsas, absque ulla philosopha contemplatione, exponit, nil monens de earum natura, ambitu, modo (1). Hinc primo post Jesu discessum tempore, docentibus ipsius orationibus in Actis obviis, *ἀνάστασιν* Jesu, de qua unâ Judaeis erat dubium, identidem memorat (Act. 2: 24, 32; 3: 15; 4: 10, coll. 33; 5: 30; 10: 40, 41), non tamen neglecta Jesu vita sanctissima (Act. 2: 22; 3: 14; 10: 37—39), quamquam de hac inter omnes Judaeos conveniret (Act. 10: 37, 38). Resurrectionem autem probat et suo ipsius reliquorumque Apostolorum testimonio (Act. 2: 32; 3: 15; 4: 20; 5: 32; 10: 41, cf 1: 22), et locis e V. Foederi desumtis (Act. 2: 25—31; 3: 21, cf. 10:43). Eo autem consilio, quod

(1) Explicatum hoc est a ROELMAN, *Theologia Petrina*, p. 51 sqq., inter alia haec habente p. 55: »Abhorrere ab omni contemplatione et fugere speculationem videtur [Petrus]: quae dicat aut scribat, simpliciter vitam per Jesum in ipso excitatam redolent. *Opiniones* exponit *nullas* de Jesu deque vita quam provocat; sed *facta*, cognita sibi objective per vitam Jesu aut subjective ex animi sui experientia, commemorat nulla addita disputatione speculativa."

probe erit tenendum, Jesu ἀναστάσεως mentionem facit, ut auditores pessimi facinoris convincat (Act. 3: 14) et ad μετανοίαν ac σωτηρίαν ducat (Act. 2: 38, 40; 3: 17—19, 26; 5: 31). Ita demonstrat, Jesum esse Messiam per quem sit accipienda remissio peccatorum (Act. 2: 36, 38; 3: 19; 5: 31, 42), et cui, in coelos sublato (Act. 2: 33; 3: 21; 5: 31), utpote κριτῇ ζώντων καὶ νεκρῶν, omnes fide habenda obsequantur (Act. 10: 42). Hic unus est omnium, quotquot in Actis servantur, Petri orationum character constans. In priore autem epistola (de altera enim nil ad nostrum propositum afferente, loqui non est opus) ter ἀναστάσεως fit mentio, 1 Petr. 1: 3, 21; 3: 18—22, duplici consilio, ut lectoribus persuadeat, tum vel instante maxima persecutione ipsos vitam qua fruantur, melioris conditionis *spe viva* plenos, conservare debere (1), tum peccato non esse indulgendum, quum Christus, in vitam redux, sit judicaturus de omnibus, ad quos ipsius nuntius foret translatus (2). Egregie hic ἀναστάσεως usus adaptatus est totius epistolae scribendae consilio, qua probare volebat, religionem Christianam, propter quam vexabantur lectores, beneficium tamen magnum esse e Dei gratia repetendum (3). Uberior tamen, quam in Jesu resurrectione laudanda, est in ipso Jesu exemplo afferendo, quo scilicet ad Jesum sequendum incitet lectores, 1 Petr. 1: 19; 2: 21—23; 3: 14—18; 4: 1, 2, 13, 5: 1 (4). Quod eo

---

(1) 1 Petr. 1: 3: ἀναγεννήσας ἡμᾶς εἰς ἐλπίδα ζῶσαν δι' ἀναστάσεως Ἰ. Χρ. ἐκ νεκρῶν, et vs. 21: τοὺς δι' αὐτοῦ πιστοὺς εἰς Θεὸν τὸν ἐγείραντα αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ δόξαν αὐτῷ δόντα, ὥστε τὴν πίστιν ὑμῶν καὶ ἐλπίδα εἶναι εἰς Θεόν. Conf. 5: 1. Hanc spem melioris conditionis esse medullam universae Petri theologiae, egregie explicat SCHUMANN, *Christus*, II, p. 455 sqq., provocans praeter alia ad 1 Petr. 1: 2, 3, 11, 15, 17, 21; 2: 10; 3: 7; 5: 10; 2 Petr. 1: 4. — Pariter KOCH, *De Petri Theologia per diversas vitae, quam egit, apostolicae periodos sensim explicata*, L. B. 1854, de Petri ad Jesu resurrectionem in priori epistola provocantis usu disserens: »neque simpliciter, ait, uti antea, Jesu in vitam reditus ipsi est *confirmatio externa muneris Jesu Messiani*, sed potius *fundamentum spei Christianae*," p. 179.

(2) 1 Petr. 3: 18—22, coll. 4: 1—6. Idem fere est hoc quod antea jam Cornelio significaverat Act. 10: 40—42.

(3) Hoc expressit consilium ipse Petrus, 1 Petr. 5: 12. Conf. praeterea DE WETTE, *Einl.*, Ed. 5, § 171 *c*; POELMAN, l. l. p. 60; REUSS, *Hist. de la Theol.* II, p. 579, KOCH, l. l. p. 158 sq.

(4) Conf. REUSS, *Hist.*, p. 579: »Sa prédication, toute pratique, s'appuie d'un côté sur les espérances générales garanties aux croyants par l'Evangile, de l'autre, sur le but et les effets de la mort de Christ." Idem deinde comparationem Petri inter Paulique theologiam instituens, ostendit, Petrum ver-

minus omittendum ducimus, quo in Jesu vita exemplum Christianis proponenda rarior est Paulus, paucis tantum locis eam lectoribus commendans, Phil. 2: 5—12; 1 Tim. 6: 13; 2 Cor. 8: 1—9; Eph. 5: 1, 2. Neque Petro Jesu in vitam reditus aut unicum aut saltem primarium fuisse videtur veritatis praestantiaeque rei Christianae documentum, provocanti quippe ad Prophetarum de Jesu vaticinia 1 Petr. 1: 10—12; 2: 6, 7, aeque firma atque ea, quae ipse de voce coelitus ad Jesum audita retulit 2 Petr. 1: 19—21 (1), qualem Veteri Foederi tributum honorem ne apud Paulum quidem reperimus; hic enim S. scripturam Timotheo commendat quidem, saepissimeque ea utitur, praesertim Judaeos redarguens in epp. ad Rom. et Gal., nusquam vero eam ipsi aequiparat patefactioni in Jesu datae. — Causa vero, qua factum sit, ut ita et ad V. Foedus et ad Jesu vitam excellentem et ad *ἀνάστασιν* in commendanda re Christiana recurrerit Petrus, in ipsius quaerenda videtur vita. Natione enim Judaeus per Jesu vitam, dicta, facta, mortem imprimis et resurrectionem, hunc agnovit Messiam a Prophetis jam annunciatum, omnibus agnoscendum et sequendum, ut nisi in hac vita, in altera saltem summam assequantur salutem (2).

At longe aliter apud Johannem se res habet. Hic enim, cui vel statim post Jesu mortem ne singulari quidem apparitione, ut fidem haberet, opus fuerat Joh. 20: 8, in theologia sua quoque *ἀναστάσει* nullum peculiarem assignat locum, quin vel in epistolis, quae ad nos pervenerunt, ejus mentionem facit nullam. Jesus ipsi est *ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, in mundum missus, ut cum hoc mundo peccante ideoque mortuo veram vitam sempiternam communicaret. Quam quum ipse in semet experiretur vitam, nullo vel Veteris Foederis, vel resurrectionis, vel alius externi documenti adminiculo indigebat. Neque in Apocalypsi Jesum vivum Ecclesiaeque suae

---

bis dicendique formulis quidem speciem quandam referre theologiae Paulinae, p. 581—583, revera tamen interiore hujus theologiae fundamento carere, p. 583—589.

(1) Si haec altera epistola etiam est Petrina. — Cf. Act. 3:21—24, et quae de hac Petri agendi ratione observant SCHUMANN, *Christus*, II, p. 466—469, 475 et LECHLER, *Apost. Zeit.*, p. 120 sq.

(2) Vide etiam LECHLER, l. l. p. 116 sqq., impr. p 120—122. Egregie hic observat p. 121 in ratione, qua Petrus Jesu perpessiones et mortem attingit, conspici ipsum testem oculatem, qualem se ipse profitetur epistolae scriptor, 5: 1.

rectorem ob oculos ponens, hujus vitae initium, prouti Paulus, diserte insuper celebrat (1).

Neque Jacobus, quoad nobis ex una ejus epistola de ejus theologia judicare licet, peculiare Jesu in vitam reditui tribuit momentum, quum *παρουσίαν*, non *ἀνάστασιν* memoret.

Comparanda itaque agendi ratione horum trium Apostolorum, et *aliter*, et multo *rarius*, et *alio prorsus consilio* Jesu *ἀνάστασιν* laudantium, clarior etiam et magis mira fit Pauli singularis admodum methodus, omnia fere religionis Christianae loca Jesu novae vitae annectentis. Quaenam hujus rei sit causa, jam videamus.

Neque erit haec rei causa inventu difficilis, historia, ut initio jam monitum, viam sponte nobis monstrante. Paulus enim ementita ac vana habuerat quaecunque sublimia de Jesu Nazareno ejusque factis et e morte resurrectione aut Apostolos aut alios Christianos audivisset praedicantes. Noverat quidem quae de Jesu circumferebantur, quippe non in angulo facta; audiverat Apostolorum, Stephani certe, praeconium; viderat Christianorum constantiam animique fortitudinem; Stephani praesertim morti praeclarae adstiterat: horum tamen nil eum movit, ut Jesu, Pharisaeorum sententiâ tanquam legis Divinae destructoris juste damnati, partes sequeretur; contra, iis omnibus incensus est, ut quam vehementissime ejus persequeretur asseclas. At in medio hoc opere, ecce! ipse ille Jesus ei apparet, eum retinet, alloquitur. Jesum vivere, in coelis habitare, divina instructum esse potentia, hoc statim auditis illis verbis, *ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς ὃν σὺ διώκεις*, in perculsa ejus mente circumvolutat; Jesum agnoscere Dominum, ejus voluntatem rogare, auditam perficere, totum semet illi Domino coelesti consecrare, vir fervidissimus nullus haesitat.

Ita Pauli vita mutatur et invertitur; Jesu apparatio aliam prorsus, quin oppositam reddit ejus agendi rationem. Haec autem uti nullius erit pretii, ita fundamento quoque omni carebit, nisi ex interiore homine processerit. Sed neque haec, quae in quovis homine factis anterior decet esse mentis persuasio plenissima, in Paulo desideratur. Tota ejus mens, totus animus, omnis cogitatio penitus invertuntur; abjectis iis omnibus, quae hucusque eum occupabant, unum tantum hoc cogitat, *Jesum vivere*. Neque temere nos,

---

(1) Unus modo locus est propius huc accedens, Apoc. 1: 18, ubi *Jesum* dicentem refert: *ἐγενόμην νεκρὸς καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.*

invito aut tacente ipso Paulo, ita statuimus. Ipse enim aut causam suam coram judice defendens, aut doctoribus ipsi invidiam attrahentibus falsis se opponens, et rei Christianae et sui apostolatûs veritatem propugnat ipsâ eâ, ad quam nos recurrimus, narrandâ Jesu apparitione. Ita accusatus Hierosolymis coram Judaeis, Act. 22: 6 sqq., postea Caesareae captivus coram Agrippa, Act. 26, ut agendi suam cogitandique rationem defendat, unum refert illud in via Damascena factum. Galatis, de auctoritate ejus apostolica diffidentibus, qua ab ipso Christo vocatus est rationem extraordinariam in memoriam revocans, Euangelium ab ipso praedicatum se non ab hominibus, sed e patefactione Jesu Christi acceptum habere asseverat, Gal. 1: 11—16 (1). Item Corinthios, alios ipsi praeferentes Apostolos, monet, se aeque ac reliquos illos esse Apostolum, se enim pariter Jesum Dominum adspexisse, 1 Cor. 9: 1; 15: 8. Quin amat ad vitam suam anteriorem respicere, semperque monere, se fuisse maximum peccatorem, 1 Tim. 1: 12—17; 1 Cor. 15: 9; Eph. 3: 8; Phil. 3: 6, sibi autem, ita animato 1 Tim. 1: 14 sqq., gratiam esse exhibitam; Corinthiis, servum Jesu causa semet ipsum praebere, affirmat, quandoquidem Deus, qui verbo suo in tenebris lucem fulgere fecerit, in ipsius quoque mente ἔλαμψεν — πρὸς φωτισμὸν τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Χριστοῦ, 2 Cor. 4: 5, 6. Historia igitur docente et ipso testante Paulo Jesu apparitio in via Damascena causa fuit, qua factum est, ut Jesu vitam novam talem, qualem nos ex ejus scriptis explicuisse nobis videmur, laudaverit. Constanter ad hanc provocavit, non ad Jesu miracula, ἀναμαρτησίαν, reliqua quae alios ad fidem Jesu habendam inducunt, quippe ipse hac *vita Jesu nova*, quam certam esse, ipsi ex apparitione illa constitit, ad Jesum agnoscendum permotus. Ea porro ratione laudavit ἀνάστασιν, non tanquam variis in terra apparitionibus conspicuam, reliquorum Apostolorum adinstar, sed tanquam novae ejusque coelestis vitae initium, quum ipse vivo coelestique Jesu in via Damascena adspecto, hac apparitione, non reliquis illis quibus Apostoli caeteri, ad ἀναστάσεως persuasionem pervenerit certam. Tot tantaque ex Jesu vita nova deducit, ut cum hac cohaerere videatur et ex hac pendere tota rei Christinae cognitio et contemplatio, quum ipsi Paulo, quamdiu de Jesu vita nondum ei erat persuasum, scelerata Jesu persona, ignotum Dei consilium, cuncta, quae Jesus aut fecerit aut sibi proposuerit

(1) Cf. supra p. 4 sq.

vana, ridicula, sacrilega viderentur; ex quo mentis errore una *Jesu vivi* apparitione est tractus, vera, sublimia, divina mox omnia illa agnoscens.

Neque tamen haec causa in eo unice est posita, quod externa illa res, Jesu apparitio, Paulum moverit ad fidem Christo habendam; causa est multo interior haec, quod tota religio Christiana ipsi nunc esset resurrectio e morte, sive vita spiritualis, e vita mundana, id est e morte peccati, exsurgens nova. Scilicet quae nobis XVIII post Christum saecula viventibus institutioneque Christiana fruentibus consueta est et familiaris persuasio vitae alterius, quaeque nos supra hujus vitae et dolores et gaudia erigit et extollit, alterius meliorisque vitae spes, et fere adspectus, his prorsus carebat tota antiquitas et Hebraea et Graeco-Romana (1). Neque Paulus neque alius quispiam ea aetate noverat vitam vere vitalem ultra terrae fines egredientem. Mundanum omne erat studium, terrenae cogitationes, spes, metus. Mutabantur haec omnia quum Christo vita nova cognita, disceret, imo adspiceret vitam alteram coelestem ac gloriosam, qua fruebatur ille ac frui liceret omnibus. Evanuit nunc mortis metus, periit victoria sepulcri. Ipse ita rem describit maxime in epp. ad Eph. et Col. Mortui sunt omnes, qui vivunt peccatis oblectati, secundum genium mundi, carnis cupiditatumque deliciis dediti, Eph. 2: 1—3, in peccatis obambulantes, in hisque viventes, Col. 2: 13; 3: 7, ἐν ματαιότητι τοῦ νοός, mente quippe tenebris obfuscata, a vera Dei vita alieni, διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν, Eph. 4: 17, 18. Ex hac autem morte spirituali resurrexerunt cum Christo, Eph. 2: 5: συνεζωοποίησεν — συνήγειρεν — συνεκάθισεν, Col. 2: 13; 3: 1, i. e. etsi his in terris adhuc versantes, mentis cogitationes animique cupiditates in coelum sunt directae et fere transpositae, ita ut nunc coelestia sequantur studia (Col. 3: 1; εἰ οὖν συνηγέρθητε τῷ Χριστῷ τὰ ἄνω ζητεῖτε), sive ut, deposito veteri homine corrupto κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης, renoventur τῷ πνεύματι τοῦ νοός, novumque induant hominem, hunc scilicet qui ad Dei voluntatem et imaginem sit conditus in justitia et sanctitate ex veritate profluen-

(1) De hac cf. A. C. VAN HEUSDE, *De consolatione apud Graecos*, Traj. ad Rhen. 1840, p. 130, 168 sq., item J. BOELES, *De hominis immortalitate, impr. secundum Ciceronem*, Gron. 1843, p. 90 sqq.

tibus, ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσίοτητι τῆς ἀληθείας, Eph. 4: 22, 23 (1).

Christus enim et mortem abolevit et vitam eamque non perituram in lucem protraxit; nunc quidvis laete patitur, sciens se non pudefactum iri, fidentem quippe illi, qui ipsi quoque vitam illo die sit praebiturus, 2 Tim. 1: 10—12. Totam nunc instituit vitam talem, qualem agere decet eos, quorum τὸ πολίτευμα ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπάρχει, Phil. 3: 20. Antiquis et sordibus et cogitationibus abjectis omnibus, nova quisque fit in Christo creatura; τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονεν καινὰ τὰ πάντα, 2 Cor. 5: 17; cf. Phil. 3: 4—11.

Novam autem hanc vitam, ubi et supra p. 43 sqq. jam vidimus, et his ipsis in locis, praesertim ad Eph. et Col, cum Jesu vita nova conjungit ita, ut haec illius sit causa. Jure igitur concludere nobis videmur, Jesu apparitionem, in via Damascena Paulo concessam, causam fuisse eamque maxime naturalem, qua factum sit, ut principium, unde theologia Paulina maximam partem pendeat, sit Jesu vita nova.

---

(1) Cum his quos citavimus locis (Eph. 2: 1—6; 4: 17, 18, 22, 23; Col. 2: 13; 3: 1 sqq.), conferri saepe jubetur Rom. 6: 1—13, in multis quidem similis, bene autem ab iis distinguendus. Etenim Paulus post descriptam summam Christianorum salutem, Deique, illius auctoris, gratiam ineffabilem cap. 5, Romanos nunc monet cap. 6, ne in peccatis permaneant, mortui quippe una cum Christo τῇ ἁμαρτίᾳ, ex qua morte item cum Christo novam eamque spiritualem ineant vitam, non peccato sed Deo dicatam, 6: 11, 12, coll. 2 Cor. 5: 15. — Inversa autem nostrorum locorum est ratio. Mortui enim quum dicuntur Christiani, non est haec mors, quam in communione cum Christo subeant peccato, sed hanc vult mortem spiritualem antea obviam, cujus causa sit peccatum; ex hac autem morte spirituali Christus in vitam redux omnes liberat, persuasione praebenda certissima ac communione alterius vitae, cujus effectus sit hic, ut Christiani actiones quoque ita dirigant, ut resuscitatos cum Christo deceat; vidd. quae supra diximus pag. 44 sqq. Caeterum conf. Douwes, *Hoe dacht de Ap. Paulus zich het verband tusschen het nieuwe leven, dat Chr. met zijne opstanding begon, en het nieuwe leven der Christenen?* in *Waarh. in Liefde*, 1853, IV, p. 639 sqq.

CAPUT II.

GRATIA DIVINA.

Superiori capite vidimus, primam illam persuasionem, quae in itinere Damasceno certissima Paulo facta est, *Jesum vivere*, in ejus theologia maximam multifariamque exercuisse vim, hanc nempe ut *Jesu vita nova* universae theologiae Paulinae exsisteret principium. In aliud nunc inquiramus, quod aeque principium Paulinae theologiae dicendum est, quodque non minus ex conversione sua didicit Paulus ac nos ex ea explicare debemus, doctrinam dico de peccato et de gratia. Hanc doctrinam duplicem tum una tractandam, tum uno *Gratiae Divinae* nomine significandam censeo, quia et in Pauli theologia intime cohaeret et in ipso conversionis facto, unde originem ducit, ita est conjuncta, ut altera ab altera divelli omnino nequeat, quum peccati sui cognitionem e gratia Divina cognita imprimis acceperit Paulus. Ordo videtur optimus, ut, èt Pauli conversione nobis ob oculos posita èt Apostolo theologiam suam exponente audito, in necessitudinem, quae theologiam inter et conversionem intercedit, inquiramus. Prius itaque contemplanda erit

Pauli conversio.

Ut rite teneamus, quaenam in Pauli conversione momenta fuerint primaria, ad ejus agendi cogitandique rationem anteriorem, quoad

hanc cognoscere licet, retrospexisse juvabit. Pluribus autem locis hanc ipse Paulus aut describit aut saltem attingit, Act. 22: 3—5, 19, 20; 26: 4, 5, 9—11; 1 Cor. 15: 9; Gal. 1: 13, 14; Phil. 3: 3—7; 1 Tim. 1: 13; e quibus discimus, eum fuisse Judaeum, prae reliquis Mosaica instituta servantem, *τῇ ἀκριβεστάτῃ* Pharisaeorum *αἱρέσει* addictum, legis studiosum ut fere nemo, Christianos legis quippe destructores vexantem hosque, *ζήλῳ* ductum, ut putabat, *κατὰ τὸν Θεόν*, omni modo exstirpare conantem. Vitio praeterea laborabat omnibus Pharisaeis communi hoc, quod se legi obsequentem, externa opera perficientem, tantoque studio Dei gloriam propugnantem, integrum non tantum et purum, sed maximopere laudandum, perfectum, verbo *δίκαιον* aestimaret. His fretus se meruisse opinabatur Dei favorem, quem lex praemium proposuerat *τῇ δικαιοσύνῃ*, quemque justo pacto meritum nemo ipsi eripere posset. Hanc, quam ex consueta Pharisaeorum cogitandi ratione jam derivamus, Paulum quoque fovisse superbam de semet opinionem, docemur prae aliis loco Phil. 3: 3 sqq. Ibi enim omnia, quae ipsi Judaeo fuissent commoda gloriationisque causam praebuissent, enumerans, omnem suam anterioris vitae cogitandi sentiendique rationem exponit. Nunc se non amplius esse *ἐν σαρκὶ πεποιθότα* affirmat, quamquam etiamnum haberet, quo posset gloriari, quo igitur antea certe gloriatus erat. Enumeratis deinde externis illis praerogativis, quibus germano Judaeo liceret esse superbo, ad alia transit, quae sibi ipse debet: *κατὰ νόμον φαρισαῖος, κατὰ ζῆλον διώκων τὴν ἐκκλησίαν, κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος* (cf. vs. 9, ubi tanquam Christianus loquitur: *μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου*, et quae Rom. 10: 3 dicit de Judaeorum studio *τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην* sibi stabilire conantium), quae omnia ipsi fuerant *κέρδη*. Igitur ut Pauli nondum ad Christum conversi conditionem moralem verbo significemus: *habuit semet δίκαιον ἐξ ἔργων νόμου deque peccato aliquo suo ne cogitabat quidem.*

Ex hoc autem opinionum somnio letali uno ictu evigilavit Jesu vivo ipsi apparente. Audita illa voce *Σαοὺλ Σαούλ, τί με διώκεις*; adspecto ipso e coelis apparente Domino, percepta denique responsione terribili, *ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος ὃν σὺ διώκεις*, Jesuque ita vita coelesti agnita, mutantur statim omnia; evanescit superbus animus, audacia, petulantia, peccatorem se sentit, simul autem gratiam Divinam agnoscit, tantum peccatorem servare volentem.

Non opus erit multis probare, peccatum, cujus Paulus hucusque prorsus fuerat nescius, detectum nunc et apertum mentis oculis ipsi jacuisse. Varia enim eaque maxime hoc anterioris temporis peccatum dolentia ubivis fere per ejus epistolas sparsa sunt effata, quibus se *βλάσφημον, διώκτην, ὑβριστήν, ἐκτρῶμα, ἐλάχιστον* et *ἔσχατον ἀποστόλων*, qui non est *ἱκανὸς καλεῖσθαι ἀπόστολος*, nominat. Hic peccati sensus, qui diu postea, quum plurima jam et ipsam captivitatem pro Christo passus esset, vivus adhuc erat (Eph. 3: 8: *ἐλαχιστότερος πάντων*), eo sane ipso temporis puncto, quo Jesum Dei Filium primum adspiciebat, certe non minor erat, imo magis etiam mentem animumque totum percellebat et deprimebat. Qualis ni fuisset Pauli sensus, quomodo Christus ei peccatum condonasset aut persecutorem istum creasset Apostolum?

Ad peccati autem conscientiam adductus, ejusque maximi, Deo quippe ipsi resistentis, agnovit nunc benignam Christi Deique gratiam. Etenim in flagranti peccato *retinetur* (1 Tim. 1: 13: *τὸ πρότερον ὄντα βλάσφημον καὶ διώκτην καὶ ὑβριστήν, ἀλλὰ ἠλεήθην*, Gal. 1: 15 *ὅτε δὲ εὐδόκησεν — ὁ καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ*), *non* tamen *nece* vel ullo supplicio *punitur*, uti merebatur, sed maximam experitur Dei misericordiam, *inscium* excusantis (1 Tim 1: 13: *ἠλεήθην, ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ*), ideoque peccatum ipsi *condonantem* (cf. Act. 22: 16), — quae Divina gratia eo major est, quum per hancce nunc cum Deo, cujus fuerat hostis, *reconcilietur* (2 Cor. 5: 18: *τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ τοῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ*) (1), et ad *fidem* atque *amorem* Christo habendum adducatur (1 Tim. 1: 14: *ὑπερεπλεόνασεν δὲ ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν μετὰ πίστεως καὶ ἀγάπης τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*). Gratiam denique agnovit in hoc insuper conspicuam, quod ipse prae aliis multis ad eam experiendam *electus sit* (Gal. 1: 15: *ὁ ἀφορίσας καὶ καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ*).

Itaque peccatorem se sentiens, simul autem benignum gratuitumque Christi Deique amorem agnoscens, non amplius dubius haeret, quasnam secuturus sit partes. Totum se Christo tradit submissoque animo Jesum rogat: *Κύριε, τί ποιήσω*; quo uno dicto omnem

(1) Haec de semet ipsum dixisse Paulum, monemur iis quae statim sequuntur: *καὶ ἔδοντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς*. Pluribus hoc probat et contra aliorum sententiam defendit RÜCKERT, *Comm.* ad. h. l. p. 176.

totius mentis animique immutationem significat. Domini nomine Jesum compellans persuasionem ostendit intimam, se Jesum Nazarenum cruci affixum Messiam Deique Filium habere; rogans autem quid velit, profitetur se ad hujus, quem Dominum agnovisset, non ad suam ipsius voluntatem dirigere velle vitam omnem futuram. Est haec fides illa Christiana, cujus laudes semper celebrat Apostolus quamque una cum Christi amore nunc acceptam gratiae Divinae tribuit 1 Tim 1: 14 (1). — Observandum vero est, eum e sua ipsius voluntate Christo se libere tradidisse. Et patet hoc quidem per se jam, quum coacti aut vincti preces et sollicitationes nullo modo possint esse confidentis animi indicia. Ipsa porro vocatio erat externa, non vero talis qua mechanice Pauli animum mutare voluerit Christus; rogat enim Dominus persecutorem, *τί με διώκεις*; quibus verbis, ad facinoris sui conscientiam eum adducere conatur; quare libere et sua sponte Paulus, certior factus se Deo O. M. obluctari, rogat, quid sibi in posterum sit faciendum. Sed et ipse Paulus hoc postea agnovit, coram Agrippa profitens: *οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ* Act. 26: 19, quo dicto se etiam contumacem esse potuisse declarat (2).

Quae autem post memorabilia verba illa: *Κύριε, τί ποιήσω*; quibus firmissimam suam plenamque fidem expressit Paulus, insecuta est vocatio ad munus apostolicum, idque inter Gentiles agendum, ut his quoque Euangelium annuntiaretur, haec iterum ad gratiae Divinae sensum in ejus animum imprimendum valuerunt. Quantum enim gratiae Divinae documentum fuit hoc, quod idem ille, qui in maximo scelere perpetrando retineretur, antequam vel minimum, quo vitae antecedentis maculas exstingueret, peregisset, summo nunc ornaretur munere. Sane quidem, sine quo hoc ipsi munus concredi non potuisset, suam Christo fidem declaraverat; et haec una Christo, non ad externas actiones sed ad animum spectanti, sufficiebat, quippe scienti optima quaevis inde certo esse proditura. At hoc gratuiti amoris Divini vim nullo modo minuit, ejusdem sapientiam demonstrat. — Meminit hujus summae gratiae per totam vitam. 1 Tim. 1: 12 gratum testatur animum Christo, *ὅτι πιστόν με ἡγήσατο θέμενος εἰς διακο-*

(1) Quum post triduum illud, quod Damasci degit, ab Anania baptizaretur, iterum et *peccatorum* accepit *veniam* Act. 22: 16, coll. 2: 38; et vero *fidem* suam professus est Act. 22: 16, coll. Rom. 6: 4; Col. 2: 12; Tit. 3: 5.

(2) Conf. BENGEL ad h. l.: »Ne Pauli quidem conversio irresistibilis fuit.«

νίαν, τὸ πρότερον ὄντα βλάσφημον καὶ διώκτην καὶ ὑβριστήν· ἀλλὰ ἠλεήθην. 1 Cor. 7: 25 sententiam suam profert Apostolus ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιστὸς εἶναι. 2 Cor. 4: 1 apostolicum munus gratiae Divinae adscribit: διὰ τοῦτο ἔχοντες τὴν διακονίαν ταύτην καθὼς ἠλεήθημεν. Gal. 2: 7—9 reliquos Apostolos vidisse affirmat, ipsi concreditum esse τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας et gratiam ipsi hac in re datam agnovisse. Similiter Rom. 1: 5 et praesertim Eph. 3: 7, 8 χάριν, imo δώρεαν τῆς χάριτος celebrat, qua factum sit, ut ipsi τῷ ἐλαχιστοτέρῳ πάντων Euangelii praedicatio inter Gentiles mandaretur. — Opus praeclarum profecto et beatum, idem tamen non parum arduum. Hoc quoque Paulo ob oculos est positum, multa ipsi Christi causa patienda esse, per Ananiam referentem Christi verba Act. 9: 10: ἐγὼ ὑποδείξω αὐτῷ ὅσα δεῖ αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν, quibus Christus fiduciam, quam in recente Apostolo reponebat, indicans, testimonium simul protulit gratiae suae in hoc conspicuae, quod tanti operis honore dignum judicaret persecutorem (1). Quas varias perpessiones postea sibi subeundas Paulum nunc jam gratiae Divinae tribuisse, hinc jure nobis efficere videmur, quod, èt ipse, in mediis iis perferendis versans, glorietur, tanta Christi Ecclesiaeque causa patienda sibi data esse, Col. 1: 24; 2 Cor. 1: 5 sqq., èt Philippenses moneat, vexationes, quae iis essent subeundae, e Dei gratia esse repetendas, Phil. 1: 28 sqq.: ἥτις ἐστὶν ἔνδειξις — σωτηρίας, καὶ τοῦτο ἀπὸ Θεοῦ· ὅτι ὑμῖν ἐχαρίσθη καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ (Χριστοῦ) πάσχειν.

Apostolus autem creabatur, qui Euangelium transferret ad Gentiles. Ecce novum gratiae testimonium. Ad Gentes quoque, quarum nullum erat meritum, laetus de Christo omnium liberatore nuntius est perferendus; quod quantam immutationem efficere debuit in Judaeo, qui tale quid prorsus non intellexerat antea neque exspectaverat! Historia nos docet, Paulum per Ananiam, jubente id Christo, ad hoc munus esse vocatum (Act. 9: 10, 15, 16), ad quod speciale mandatum divinitus ad ipsum translatum saepenumero provocat, Act. 22. 21; Rom. 1: 5; 15: 15, 16; Gal. 1: 16;

(1) OLSHAUSEN, *Comm.* ad h. l.: »In V. 16 enthält die scheinbare Drohung: ὑποδείξω αὐτῷ κ. τ. λ. im Grunde eine Gnaden-Verheissung, und bildet so einen frappanten Gedanken, denn zu dulden für den Herrn ist die höchste Gnade, deren der Gläubige würdig geachtet werden kann. Mt. 5: 10 ff.«

Eph. 3: 7, 8; 1 Tim. 2: 7. Ex hac Dei cura erga Gentiles ipsi nunc conspicua didicit et persensit gratiam et misericordiam Divinam, quam ipse experiretur, universalem simul maxime esse nullosque omnino homines, ne abjectas quidem Gentes, excludere (1).

Cum reliquis, quae Paulus Christum audivit dicentem, procul dubio hoc etiam alte ejus animo infixum est verbum, cujus postea in defensione sua coram Agrippa et Festo meminit, Act. 26: 14: *σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν*, *durum tibi est contra stimulos calcitrare.* Notum est, proverbium hoc, *πρὸς κέντρα λακτίζειν*, de iis adhiberi, qui vanum laborem male cessurum moliuntur; quare Christus affirmat, Paulum inanem suscepisse laborem ipsi jam durum et acerbum. Possis quidem hoc interpretari, ut Jesum dicentem facias: »durum erit tibi Deo resistere;" at Pauli minas et caedem spirantis agendi ratio, qualis et a Luca et ab ipso Apostolo describitur, indicio nobis esse videtur, cum Christianorum, praesertim Stephani, mortem fidemque, tum experientiam, legem ipsi salutem non praebere (quod postea clare perspexit, vide Rom. 7), aculeos et stimulos ei infixisse, internamque de causae suae justitia in ipso movisse dubitationem, quam externe furiendo et spirando tollere aut saltem minuere cuperet. Etenim quo incertior est animus, eo vehementior solet esse rabies et furor, quibus animi dubia et aliis et sibi ipse obtegere conatur homo. Ad hanc ejus animi conditionem respiciens summus *καρδιογνώστης* persecutori conscientiae morsus saepe oppressos acuit eique intima sui animi penetralia detexit dicens: »quid me persequeris, Saule? durius jam tibi est Deo te opponere (2)." — Cum his verbis

(1) Haec minus vera videri possint, quandoquidem non statim jam intellexit Paulus Gentibus Euangelium esse annuntiandum, sed repetito tantum Jesu mandato longâque insuper experientia edoctus penitus hoc persensit. Attamen, quum ipse Paulus Gal. 1: 16 hoc suum munus, ut Gentibus praedicaret, arcte cum Jesu apparitione in via Damascena connectat, non omnino a vero aberrare nobis videmur statuentes, Paulum nunc jam non perspexisse quidem aut pernovisse, sed sensisse tamen gratiam Divinam in Gentibus quoque servandis conspicuam.

(2) Hujus loci interpretatio, nostrae similis, proposita est in op. period. *Godgeleerde Bijdragen*, 1831, p. 379–382; item a RUTGERS VAN DER LOEFF, *De bekeering van Saulus*, stimulos quibus pungebatur Paulus describente, p. 20 sq.: – «prikkels, die Saulus reeds te voren in zijn gemoed ontvangen had, hetzij toen hij getuige was van het heilige en heerlijke afsterven van den eersten christen-martelaar, hetzij daarna, zoo dikwerf zijne vervolgingszucht hem bragt in de woningen en vergaderingen van de vrienden des Heeren, waar hij door hunne vroomheid en broederliefde evenzeer moest getroffen worden

autem ea quae per Ananiam audivit, se esse σκεῦος ἐκλογῆς (Act. 9: 15), componens, perspexit Paulus, se ad sublime suum munus apostolicum et esse praeparatum et destinatum, quod utrumque gratiae Divinae adscribere nullus dubitabat, cf. Gal. 1: 15: ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου καὶ καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ (1).

---

als door hunne zachtmoedigheid en standvastigheid onder de verdrukkingen Tegen deze en soortgelijke indrukken, waardoor de Heer hem tot betere gedachten had willen brengen, had hij zich gedurig verzet. Dit kostte hem echter inspanning. En daar hij er zich desniettemin niet altijd geheel van kon ontslaan, zoo moest hierdoor bij al zijn hooghartig zelfvertrouwen toch zekere geheime onrust in zijn binnenste post vatten, die hij dan weder door sterkere opwinding van zijnen godsdienstijver zocht te verbannen en ook zóó nog niet verbannen kon. Voorzeker, wat hij reeds lang duister gevoeld had, dat het hem hard viel de verzenen tegen de prikkels te slaan, dit kwam hem nu bij het vernemen van die stem uit den hemel tot klaar bewustzijn, dit gevoelde hij in dezen oogenblik dieper dan ooit."

(1) Operae pretium erit contulisse, quae de Pauli conversione habet LANGE, *Apost. Zeit.* II, 1, p 117 sqq. Hic quaestioni respondens: quatenus repentina Pauli conversio fuerit praeparata, quatuor in lucem trahit, quibus Paulum ante conversionem jam praeparatum agnoscit. 1°. »dass er vom Mütterleibe aus erwählt war, eine edle, gerade, grundehrliche Individualität; die in jeder Richting nur ihrer innersten Ueberzeugung mit Hingebung folgen mochte. Dies war das materielle Wahrheitselement in seinem formalen Irren selbst." 2°. »dass er als ein Jude aus der Pharisäerschule mit der prophetischen Messiasverheissung nicht nur vertraut war, sondern dieselbe auch in seinem Glauben aufgenommen hatte." 3°. »der Bericht über die evangelischen Thatsachen, so wie der christliche Lehrbegriff nach seinen Grundzügen," quae Paulo quotidie cum Christianis disputanti, omnino cognita fuisse affirmat. 4°. »dass ein so tiefes Gemüth, wie das des Saulus, unbewusst tiefe Eindrücke von dem herrlichen Geistesleben der Christen, insbesondere durch den Tod des Stephanus und das Benehmen so Vieler, die er gefesselt hatte, müsste erhalten haben," quamvis nullum sit indicium Paulum, eo usque horum fuisse conscium. — His expositis ita pergit: »So war denn allerdings sein Fanatismus in seinem unbewussten Leben mannigfach unterhöhlt. Allein er war noch festgestützt durch seine Ueberzeugung von der ewigen Währung des Gesetzes und der Wahrheit des gesetzlichen Standpunktes; während er eben deswegen an der Wahrheit der Auferstehung Christi, und an der Wahrhaftigkeit seiner Zeugen entschieden zweifelte. Daher suchte er wohl sein Bewusstsein gegen die warnenden Stimmen des Geistes gerade dadurch zu verschanzen, dass er sich in die äusserste Heftigkeit seines Eifers hineinwarf. Mithin fehlte ihm nur zweierlei; einmal das lebendige Bewusstsein, dass er ein Sünder sei, sodann der volle Erweis, dass Jesus der Christ sei. Beides gab ihm Christus mit einem Schlage, indem er sich ihm als der Auferstandene zeigte. Jetzt war es ihm aufgedeckt, dass er in der Verfolgung der Christengemeinde den Messias, ja Gott selber bekämpft habe und so schwer

Hinc quoque factum est', ut postea (si liceat nobis paululum ultra conversionis terminum excurrere) in insequentibus etiam vitae vicissitudinibus cunctis Divinam agnosceret manum ipsum ducentem, instituentem, servantem (1), qua una factus esset qui erat. Χάριτι Θεοῦ εἰμὶ ὅ εἰμι, Corinthiis 1 Ep. 15: 10 scribit, καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ οὐ κενὴ ἐγενήθη, ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα, οὐκ ἐγὼ δὲ ἀλλὰ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί.

Itaque conversionis factum, ut paucis etiam quae retulimus comprehendamus, hoc effecit, ut Paulus, qui suis ipsius meritis justum perfectumque se putaret, èt ad peccati conscientiam èt ad gratiae Divinae sensum adductus, fidem haberet Christo Deoque. Peccatum suum cognoscens simul perspexit, se divinitus jam praeparatum esse ad salutem; vitamque anteriorem contemplatus ἄγνοιαν tantum, in qua olim versabatur, affert ob quam ipsum Deus excusaret. — Gratiam Christi Deique videt in hoc, quod ipse, unus omnium maxime Christum persecutus, eligeretur qui a peccando revocaretur, qui peccatorum acciperet veniam ac, fidem professus, Apostolus crearetur, ut cum Gentilibus quoque salutem communicaret; qui denique et antea praeparatus esset et postea eo ductus, ut summam ipse per Christum consequeretur salutem. Quae omnia ut dictis e theologia Paulina desumtis enuntiemus: gratiam agnovit, qua sit ipse praenotus, electus, vocatus, justificatus, sanctificetur semper magis, salutem consequatur olimque gloriam adepturus sit, conf. Rom. 8: 29, 30; 1 Cor. 1: 30; coll. Gal. 1: 15; Phil. 3: 9; 1 Tim. 1: 15, 16.

Pauli Theologia.

Conversionem contemplatis nunc nobis tractanda est Pauli theologia; non tamen in universam hanc sumus inquisituri, sed tantum in ejus doctrinam de peccato deque gratia Divina, et hoc quidem consilio, ut simul fontem unde Apostolus hanc doctrinam hauserit cognoscamus.

---

das Bewusstsein der Schuld auf sein Gewissen fiel, so herrlich stand jetzt der Auferstandene vor ihm da, der ihn einer solchen Offenbarung würdigte, um ihn zu retten." — Conf. etiam quae LECHLER dicit, supra p. 21 sq. allata.

(1) Conf. v. c. Rom. 15: 18; 1 Cor. 3: 10; 4: 15; 2 Cor. 3: 5, 6; 12: 11; Gal. 2: 8; Col. 1: 29; 2 Tim. 3: 11; 4: 17.

Quo verius autem videamus, quaenam Pauli sit theologia, ea nobis consulenda erit ejus expositio, quae quam maxime est Paulina, id est, eas prae reliquis inspicere oportet epistolas, in quibus Apostolus, non adeo lectorum indigentiis et desideriis ductus, sed suum ipsius ingenium secutus, doctrinam suam de Christo deque universa religione Christiana liberius protulit. Tales autem sunt, prae aliis, epistolae ad Romanos atque ad Ephesios inscriptae, qua utraque suam Euangelii praedicandi rationem cum lectoribus ipsi adhuc ignotis communicare hisque commendare studuit. Has inspicientes epistolas tum maxime subjectivum deprehendemus Apostolum, tum totam ejus theologiam duplici ratione, et Romanis Judaeae et Asianis Graecae originis, expositam melius cognoscere poterimus, tum denique ex loco, quem singulis dogmatibus assignavit, quid ipsi Paulo gravioris, quid levioris ponderis fuerit, judicabimus.

Ex Pauli autem mente agere nobis videmur disquisitionem ita instituentes, ut priori loco de vita hominum antecedenti, altero de hominum ad Deum conversione agamus. Haec enim antithesis et in ipsius experientia est fundata et vero ubivis theologiae ipsius expositioni subjacet. Itaque, quo melius unum hujus disquisitionis consilium attingamus, statim post expositam Pauli de hominum vita antecedenti sententiam, inquiremus in vinculum, quo haec theologiae pars cum ipsius conversione cohaereat. Quibus expositis iterum ad Pauli theologiam revertemur, ut videamus, quaenam de hominum ad Deum conversione ejus sit doctrina, cui subjungemus denique disquisitionem, unde hanc quoque suam doctrinam hauserit.

HOMINUM VITA ANTECEDENS.

A. Pauli doctrina.

1. In contemplanda hominum nondum ad Christum conversorum vita Paulus animadvertit primo loco *peccatum*, *ἁμαρτίαν*, *ἀσεβείαν*, *ἀδικίαν*, quo homines a Deo se divellentes hujus sint hostes, Rom. 5: 8, 10. Variis peccatum hoc se manifestat *παραπτώμασι* sive *ἁμαρτίαις*, i. e. non tantum actionibus Dei legi contrariis sed etiam cupiditatibus atque studiis, *ἐπιθυμίαις*, *θελήμασι τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν*, Rom. 1: 24; Eph. 2: 3; 4: 22; in quibus enumerandis Rom. 1: 18—3: 20 longior est Apostolus, ut homi-

nes sceleris sui magnitudinis convincat. Neque in singulis tantum, hoc quod in se vidit, carpit peccatum; in universo etiam genere humano observat peccatum regnare, ita ut, nemine excepto, omnes magis minusve sub peccato versari asseveret, Rom. 5: 19, 23, coll. 2: 15. Est enim *βασιλεία τῆς ἁμαρτίας*, omnesque et Gentiles et Judaei eidem imperio subjecti, servorum instar, *δουλεύουσι τῇ ἁμαρτίᾳ*. Hujus autem conditionis sequela est, ut homines sint *νεκροὶ τοῖς παραπτώμασιν*, id est, ut vera vita veraque felicitate, qua frui iis liceat, sint destituti, Eph. 2: 1—4, sive dicto e theologia Judaica desumto, ut *δικαιοσύνην παρὰ τῷ Θεῷ*, ad quam quemque tendere oporteat hominem, non assequantur. Subsunt itaque Dei irae, *τῇ τοῦ Θεοῦ ὀργῇ*, Eph. 2: 3; 5. 6; Rom. 1: 18; 2: 5, in hoc praesertim se manifestanti, quod in peccatis eos versari sinat terribilesque eorum sequelas experiundas det Deus, Rom. 1: 24, 26, 28. Ergo est miserrima humani generis peccantis conditio, e qua servari èt debet èt per se ipsum nequit.

Uti autem in peccato tractando uberior est Paulus, ita nonnulla quoque protulit placita cum illo cohaerentia, quae nobis speciatim erunt contemplanda.

2. Et primum quidem in mentem venit id, quod coram Atheniensium corona aliquando protulit: *τοὺς οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεός*, Act. 17: 30, cujus sententiae, ibi non ulterius explicitae, veluti commentarium exhibent epistolae ad Ephesios et Romanos. — Etenim possunt homines Deum cognoscere. Nam quod de Deo cognosci potest, aeterna ejus vis et divinitas, haec in rerum natura inde a mundo condito mentis oculis adspicienda praebetur, Rom. 1: 19, 20. Itaque dicuntur esse *γνόντες τὸν Θεόν*, vs. 21, et *τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες*, vs. 32, qui potuerant *τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει*, vs. 28, quibusque *ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ* fuerat servanda Deusque laudandus et colendus, vs. 18, 21, 25. Attamen hanc, quam tenere poterant, veritatem neglexerunt ab eaque aberrarunt: *ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς, ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος καρδία, ἐμωράνθησαν*, vs. 21, 22, versantur *ἐν τῇ πλάνῃ*, vs. 27, toti quanti sunt perditi *κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης*, Eph. 4: 22, et obambulant *ἐν ματαιότητι τοῦ νοός, ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ*, Eph. 4: 17, 18. Hinc factum est, ut sint abalienati a vita Dei, nempe *διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς*, et, quod culmen est peccati, *διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν*, Eph. 4: 18, ita ut sit et *mentis* ignorantia et

animi obduratio (1). Pariter quoque de Judaeorum *ἀπιστίᾳ* locutus hanc adscribit errori in quo versantur, Rom. 10: 2, 3: *ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν· ἀγνοοῦντες γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην — — τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν*, similiterque 1 Cor. 2: 8 neminem ex principibus hujus mundi sapientiam Dei novisse dicit, *εἰ γὰρ ἔγνωσαν, οὐκ ἂν τὸν Κυρίον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν.* Est haec *ἄγνοια* illa, quam per Christum veritate patefaciendam tollere vult Deus (2). Hinc Christiani a Paulo monentur Rom. 12: 2: *μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον*, — Eph. 4: 23, 24: *ἀνανεοῦσθαι δὲ τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας* (3).

5. Juxta hanc *ἄγνοιαν* autem agnoscit Paulus quoque *praeparationem* ad salutem, divinitus Gentibus pariter atque Judaeis concessam. Inest hoc omnibus illis locis, supra allatis (Rom. 1: 19—32; Eph. 4: 17, 18), in quibus universalis laudatur patefactio, qua utentes ad unum verum Deum rite colendum adscendere potuissent homines. Cum his conferantur ad Lystrenses dicta: *καί τοι γε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν* [*ὁ Θεός*], *ἀγαθουργῶν οὐρανόθεν ὑετοὺς διδοὺς καὶ καιροὺς καρποφόρους, ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ὑμῶν*, Act. 14: 17, coll. 17: 26, 27. Rerum natura cuique adspectabilis homines docere potuisset, Deum esse benignum omnium creatorem, Act. 14: 16, aeterno potentem et divinum, Rom. 1: 20. — Similiter etiam laudat historiam, sive communem experientiam, homines docentem, Deum esse sanctum justumque. Legimus hoc item Rom. 1: 18, seqq., ubi Dei iram dicit patefieri, omnibus in hoc conspicuam, quod peccatores in pejora semper ruere Deus sinat: *διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεός* —

(1) Conf. omnino Hebr. 3: 13: *παρακαλεῖτε ἑαυτοὺς — — ἵνα μὴ σκληρυνθῇ τις ἐξ ὑμῶν ἀπάτῃ τῆς ἁμαρτίας.*

(2) In Christo Deum patefecisse, quis Ipse sit, quid vera felicitas, quid vera virtus, exposuit L. G. PAREAU, *Theol. Mor.* § XIX.

(3) Conf. Col. 3: 10: *τὸν ἀνακαινούμενον εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν*, et 2 Cor. 11: 3, ubi se vereri dicit, ne *φθαρῇ τὰ νοήματα* Corinthiorum *ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν Χριστόν.* Vidd. quoque Rom. 7: 11; Eph. 4: 14, 15; 1 Tim. 2: 14.

— εἰς ἀκαθαρσίαν· — — εἰς πάθη ἀτιμίας· — — εἰς ἀδόκιμον νοῦν, vs. 24, 26, 28, ad quem divinae justitiae actum attendere oporteat eos, non ignaros quippe divini judicii, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν, 1: 32. — Ad conscientiam denique provocat, vel ipsis Gentibus testantem quid jubeat lex Divina in ipsorum cordibus scripta, ipsosque secundum quod fecissent aut excusantem aut accusantem, Rom. 2: 14, 15. — Quae omnia etiam hunc habuerunt effectum, ut poëtae quoque Gentiles agnoverint: τοῦ (Θεοῦ) γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, Act. vs. 28.

Praeter hanc Gentibus datam praeparationem, qua vero Judaeis quoque frui licuit, specialem etiam laudat gentis Israëliticae institutionem. Haec enim habebat legem scriptam, qua Dei voluntatem clare discerneret, Rom. 2: 17—20; promissis praeterea fruebatur, quibus ad fidem Deo habendam adduceretur, Rom. 3: 1 sqq., quibusque revera multi eam assecuti erant probitatem, ut in recta cum Deo conjunctione certe jam quodammodo versarentur, Rom. 4: 3, 6, 16 sqq.; historiam denique habebat, in qua luculenter et Dei curam et ejus voluntatem dignoscere posset, Rom. 4, conf. Act. 13: 17—39.

Ita variis modis et Gentiles et Judaei a Deo sunt informati, neque tamen ita ut haec sufficeret institutio; peccant enim omnes, iraeque Divinae subjacent, quapropter alia meliore institutione opus est (1).

4. Et valet hoc vel de Judaeis, *lege* a Deo data gaudentibus. Nam *ne haec quidem* adeo *est perfecta*, ut per eam ad δικαιοσύνην Θεοῦ pervenire possint. Οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ecce thema variis modis enuntiatum et explicatum, ad quod quavis data opportunitate redit Apostolus, ita ut nulla sit epistola, inter cujus lectores essent Christiani Judaicae originis, quin plus minusve contineat ad hanc sententiam principalem explicandam aut confirmandam. Et nos quidem quum de universae Paulinae theologiae principiis deque horum fonte in Pauli conversione posito, non vero de uno hoc de lege loco scribendum nobis proposuimus, accuratam hujus loci expositionem aliis relinquentes (2), paucis tantum Apostoli mentem exponemus. Lege nemo

(1) Uberius hac de re egit H. VAN GESSELER, *Quomodo, ex Pauli sententia, ad religionem Christianam accipiendam praeparati sunt Gentiles et Judaei*, Gron. 1839.

(2) Vide A J. HAMERSTER, *De lege ex Pauli sententia*, Gron. 1838. Locus hic praeterea expositus est in variis de Paulina theologia scriptis, v. gr. a

justificatur coram Deo, hoc identidem lectoribus inculcat Apostolus Rom. 3: 20, Gal. 2: 16; 3: 11, coll. 2: 21. Valet quidem sententia: *οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται* Rom. 2: 13; at, omnibus sub peccato versantibus Rom. 3: 9, nemo est *ποιητὴς τοῦ νόμου*. In interius autem, quod, ex Pauli mente, peccatum inter ac legem intercedit vinculum, inquirentibus, plura passim nobis obveniunt effata, hanc necessitudinem explicantia. *Χωρὶς νόμου ἁμαρτία νεκρά*, Rom. 7: 8; peccatum, sive ad peccandum proclivitas, quae omnibus inde ab Adamo inest hominibus, primo veluti mortua latet neque vim suam in hominibus ostendit. Sed *ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς ἡ ἁμαρτία ἀνέζησεν*, Rom. 7: 9; nam praecepto cupiditates vetante, hae ipsae cupiditates, eo usque latentes, excitatae sunt, quum homines in vetitum nitentes per ipsam legem ad peccandum et sollicitentur et traducantur. Merito igitur dicitur a Paulo lex peccati esse vis, *ἡ δύναμις τῆς ἁμαρτίας ὁ νόμος* 1 Cor. 15: 56, quod enuntiatum egregie illustrat Rom 7: 5, ubi de peccatorum affectibus loquitur, *quos lex in vitam vocet*, *τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτίων τὰ διὰ τοῦ νόμου*. Causa vero, cur lex, peccata vetans, tam imbecillis sit ut haec cohibere parum valeat, imo contra ad vetita ipsa incitet, est *σάρξ*, i. e. sensibilitas, hominem ad peccandum incitans et facile pelliciens; hac sensibilitate lex vi sua privatur, ita ut *ἀσθενεῖν διὰ τῆς σαρκός* a Paulo dicatur, Rom. 8: 3. Hinc fit ut lex homini peccanti nil aliud boni afferat, nisi peccati sui cognitionem, *διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας*, Rom. 3: 20, dum homo peccato jam deditus hujus sequelas miserrimas experitur. Quos effectus, e *peccato* repetundos, ipsi *legi*, peccata quippe in lucem vocanti, adscribere interdum non dubitavit Apostolus. Hinc dicere potuit, *ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται* Rom. 4: 15, et, *εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν αὕτη εἰς θάνατον*, 7: 10; quam sententiam dein tamen explicat, asseverans *peccato* per *legem* esse tribuendum, quod mortis i. e. summae infelicitatis luere homo debeat poenas 7: 11 sqq. Summa tamen manet haec: legem minime posse *ζωοποιῆσαι*, veram ac

---

NEANDER, *Gesch. der Apost. kerk*, Gron. 1845, II, p. 95 sqq; USTERI, *Paulin. Lehrbegr.* ed. 3, p. 25 sqq; L. G. E. RAUWENHOFF, *De loco Paulino, qui est de δικαιώσει*, Lugd. Bat. 1852, p. 56 sqq. Prae caeteris autem citandus est R. A. LIPSIUS, *Die Paulinische Rechtfertigungslehre*, Leipz. 1853, accuratam exegeticam et psychologicam hujus loci expositionem exhibens, p. 53—85.

spiritualem hominibus indere vitam, Gal. 3: 21, omnesque, quotquot legis operibus salutem comparare conantur, versari *ὑπὸ κατάραν* Gal. 3: 10. — Quaerentibus autem, quo tandem consilio a Deo data sit lex, nobis respondet Paulus, legem intervenisse peccatorum gratia, Gal. 3: 19, i. e. ut cohiberetur, tanquam a puerorum institutore, peccandi libido in generis humani pueritia, Gal. 4: 1 sqq., sed et, si libidinem coërceri nollent homines, consilium Dei hoc erat, *ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα* Rom. 5: 20 (cf. Rom. 11: 32: *συνέκλεισεν ὁ Θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν* et Gal. 3: 22, 23); huic consilio peccata accumulandi alterum addit Rom. 6: 13, ut nempe patefieret peccatum omnisque ejus vis perniciosa appareret, *ἵνα φανῇ ἁμαρτία — ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς.* Sic exstitit lex *παιδαγωγὸς εἰς Χριστόν* Gal. 3: 24, i. e. qui paedagogi munere fungens homines peccantes cohibet (vide 1 Tim. 1: 9, 10), simul autem eos praeparat, ut apti sint, ad meliorem quam Christus praebet salutis acquirendae viam ineundam. Quo tempore autem hanc in vitam vocavit Christus, legis dominium finitur, *τέλος γὰρ νόμου Χριστός*, Rom. 10: 4(1).

B. Vinculum hujus doctrinae cum Pauli conversione.

Jam perspicientes, quid, in contemplanda hominis generisque humani nondum ad Christum perducti conditione, prae aliis animadverterit Paulus, ad ejus conversionem redeamus, ut vinculum, quod utramque et conversionem et theologiam conjungat, discernamus. Theologiam suam exponentem Apostolum quatuor praesertim placita tangere deprehendimus:

1. peccatum late regnare, quo fiat, ut irae Divinae subjaceant homines liberationeque indigeant;

---

(1) Quod hoc loco, ex nonnullorum interpretum sententia (quam retulit v. gr. THOLUCK, *Comm ad Rom.* ed nova, p 539 sq, non vero ipse amplectitur), dixit Paulus, legis consilium esse, ut ad Christum praepararemur, idem procul dubio scripsit Gal. 3: 24 Legem ibi dicit fuisse paedagogum ad Christum, *ἵνα ἐκ πίστεως δικαιωθῶμεν·* etenim lex, suam ipsius imbecillitatem Gal. 3: 10—23 hominibus experiundam praebendo, ad meliorem, qua justificentur, eos praeparat rationem. Hoc Dei, lege danda, fuisse consilium, indicat Paulus voce *ἵνα*.

2. *ἄγνοιαν* esse, divinitus tollendam, ut se convertant homines;
3. praeparationem divinitus omnibus esse concessam, hanc tamen non sufficere ad salutem afferendam;
4. legem etiam Judaeis datam salutem minime efficere.

Haec quatuor puto rerum capita, quae apud Paulum invenimus, ex ipsius conversione et universe e tota ejus experientia si repetuntur, magnam lucem accipiunt, quin ex hac unice explicari possunt. Quod probare conabor.

Est hoc Paulo cum Jesu reliquisque Apostolis commune, quod peccatum cernat ubivis regnans; hoc autem repeti nequit in ipso ex illorum institutione, qua nulla est usus. Neque ex anteriori quadam Rabbinorum aliorumve doctrinae communicatione aut vel ex accurata V. Foederis lectione hoc hausisse dicendus est, quum hic ipse *peccati sensus* ipsi deesset et uno hocce impediretur, quominus Jesum agnosceret sospitatorem. Imo, quod supra pag. 64 sq. probare conati sumus, ad hanc peccati agnitionem tum demum est adductus, quum in itinere Damasceno, gravissimo occupatus peccato, a Jesu vocaretur. Tum vidit et suum ipsius peccatum et peccatum quoque omnium eorum, quibuscum ipse hucusque in eodem mentis errore versatus erat. Neque tantum Pharisaeorum; vidit enim, docente S. scriptura, cujus *κάλυμμα* ipsi nunc devolvebatur, Judaeos quoque omnes, quamvis viderentur non culpandi, tamen legi Divinae non ab omni parte obsequi, ideoque omnes Dei judicio esse obnoxios; tantoque igitur magis homines reliquos, ab uno vero Deo penitus alienos.

Praeterea, quum in semet ipse, quam peccatum secum fert, infelicitatem esset expertus, eadem nunc animadvertebat caeteros quoque omnes adeo premi, ut miseriam suam sentientes liberationem a peccati jugo expeterent. Haec, quod ad Judaeos, post suam ipsius conversionem demum vidit; in Gentilibus vero, ipsi antea despectis, quodammodo jam prius animadverterat, postea tamen, mentis oculo illustrato, et melius et verius cernere potuit.

Quod autem de universo peccato valet, idem aeque de tribus iis quae nominabamus, de *ἀγνοίᾳ*, de omnium praeparatione et de lege non sufficiente ad salutem afferendam, dicendum est: Paulum ea, sua ipsius experientia edoctum, ita explicuisse, prouti nos eum facientem descripsimus. Et quidem similitudo, quae hac in re Pauli theologiae atque experientiae inest, cuivis facile in oculos incurrit; sunt enim haec, quae in genere humano videt, eadem quae post Jesu apparitionem in semet ipse vidit; etenim ipse *suam*

ἄγνοιαν, qua tantum peragere potuisset peccatum, deplorat 1 Tim. 1: 13, *se ipsum* divinitus praeparatum ad salutem agnovit Gal. 1: 15; Act. 26: 14; 9: 15, legis denique imbe illitatem, si quis unquam, ille profecto in *semet ipse* expertus est, cf. Phil. 3: 3 sqq. Eam autem, quam jam externa haec similitudo nobis digito quasi monstrat, viam esse ineundam, ut et integra similitudo explicetur et horum placitorum exploretur fons, varia eaque gravissima sunt quae suadeant. Et missis quidem omnibus iis, quibus cohaerentiam intimam inter Pauli conversionem et theologiam indicari hucusque jam observavimus, certissima hic quoque nobis praesto sunt indicia nova eandem probantes cohaerentiam.

Etenim quod Christianus factus vidit, se peccasse *ἀγνοοῦντα ἐν ἀπιστίᾳ*, 1 Tim. 1: 13, idem nunc omnes Judaeos facere perspexit non tantum, sed eadem quoque voce usus expressit, Rom 10: 2, 3: *ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν· ἀγνοοῦντες γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην κ. τ. λ.* Quod autem sua ipsius experientia edoctus in Judaeis vidit, id in Gentes, aeque peccantes, transferre non dubitabat. Philosopho enim praeditus ingenio peccati causam in aliis quoque quaesivit, hanc autem eandem facile agnovit, ac qua ipse peccator exstiterat: aberrationem a veritate Divina, Israëlitis in S. scripturis, Gentibus in rerum natura, patefacta. Quam porro nominat *πώρωσιν τῆς καρδίας*, Eph. 4: 18, qua obcoecati in omne pejus ruerant homines, eam sine dubio in semet ipso (conf. supra p. 68 sq.) observatam, in aliis quoque agnovit.

Similiter, quam primum se ad salutem in Christo propositam vidit a Deo praeparatum, non potuit non animadvertere, omnes alios itidem varia coelitus accepisse, quibus ad Christum amplectendum apti redderentur. Neque enim modo conversionem suam, sed etiam institutionem praeparantem gratiae Divinae adscribendam putabat. Gratiam autem hanc sibi datam nullis circumscriptam terminis videns, omnes Judaeos, quibus salus in Christo offerenda esset, aeque ac se ipsum, lege et Prophetis, promissis patribus datis, universâque institutione ad hanc accipiendam tendente, gratia Divina esse praeparatos vidit. Quam gratiam quum vel ad Gentes ad Euangelium vocandas extendendam videret, has quoque facile eâdem gratia jam praeparatas et auspicabatur et vero cernebat. Quid, quod vel in ipsa, qua Gentilium conscientiae vocem monentem describit ratione, nil aliud egisse videatur nisi referre *τοὺς λογισμοὺς κατηγορούντας ἢ καὶ ἀπολογουμένους* ipsius, cui medio in peccato durum erat contra conscientiae stimulos calcitrare.

Nec aliter se res habet in iis, quae de lege non sufficiente ad salutem afferendam protulit; quod ipsi prae reliquis Apostolis privum non aliunde accipere potuit. Habet autem fundamentum in conversione, estque totum quantum cum ipsius experientia conjunctissimum. Si quid enim, peccato suo agnito, vidit hoc: legem, qua una hucusque fretus erat, non valere ad veram δικαιοσύνην afferendam. Haec, ipsi olim maximum impedimentum quominus Christo, Mosem evertenti, se addiceret, nunc qualis sit et quam pauca valeat, popularibus suis explicare studet. Ipsum autem hoc fecisse sua experientia ductum, vel me non monente, a quovis intelligitur. Patet vero vel in via quam, eam sententiam explicans, sequitur: etenim èt praesertim negative legis vim describit, legis imbecillitatem, quam et ipse tantopere erat expertus quaque ipse deceptus erat, in luce ponens (1), èt ubi de industria legis naturam parum sufficientem exponit, ita suam, non aliunde ipsi cognitam, experientiam sequitur, ut, qui caeteroquin semper fere utatur plurali communicativo, hìc singularem numerum adhibens, quid *ipsi* acciderit, in lectorum emolumentum narret, Rom. 7: 7 sqq. (2). Quae autem hìc invenitur, non est Pauli nondum ad Christum conversi experientia tunc jam rite perspecta, sed descriptio hominis sub lege

---

(1) Observavit hoc HAMERSTER, *De lege ex P. sententia*, p. 76 sq. Idem verissime animadvertit, p. 75 sq., Paulum, ad se suamque experientiam appellantem, non tam de legis natura et consilio universe, quippe ratiocinii magis quam experientiae objecta, quam potissimum de ejusdem vi et imbecillitate exspatiari.

(2) FRITZSCHE, *Comm. ad Rom.* ad h. l. (II, p. 23 sqq.), putat Paulum figurâ, quam Rhetorici dicunt *ἰδίωσιν*, utentem, non tantum suam ipsius experientiam non descripsisse, sed vel hanc prorsus esse excludendam: »minus — in *Paulum* convenit hominum, quorum infelix conditio 7: 14 sq. describitur, lamentatio," l.l. p. 28; quod ut probet, provocat et ad aliorum et ad ipsius Pauli de se testimoniis et ad ejus ingenium, »qui quicquid ageret tota mente agere solebat. Itaque Judaeus Mosis disciplinam ita admiratus est, ut aliquid melius aut perfectius ne optandum quidem, nedum sperandum esse putaret; Christianus factus rem unam omnium praeclarissimam censuit divinam Christi doctrinam, etc." Quae omnia, *ratiocinando* inventa, quominus ut vera sint accipienda, impedit ipsa *verborum* propria significatio, quacum Pauli et historia et testimonium et ingenium optime in concordiam redigi potest, modo teneamus, quod vir doct. neglexit, Paulum ante conversionem peccatum suum non pernovisse quidem sed sensisse tamen; quod quantum fuerit, postea demum perspexit, quum ipse non amplius lege regeretur, sed quam Christus praebet spiritualem ageret vitam. Vid. quae supra disputavimus p. 67, ibique not. 1. Conf. omnino THOLUCK, *Comm.* ad h. l. p. 349 sqq., qui FRITZSCHIUM refellit; item NEANDER, *Ap. Kerk*, I, p. 129.

versantis infelicissimi, qualem nunc Christianus factus se olim fuisse cognovit Apostolus.

Praeter haec quatuor autem, quae ex ipsius Apostoli conversione universaque experientia repetunda esse vidimus, alia quoque sunt placita v. c. de *sensibilitate* peccati sede, de *culpa*, quam peccando sibi contraxerunt homines, caet. in Pauli epistolis obvia, quibus in accurata theologiae Paulinae expositione suus assignandus esset locus. Haec autem consulto intacta relinquimus, quum ad *principia* theologiae Paulinae non videantur referenda et ex his facile sint deducenda.

Unum tamen placitum huc pertinens silentio praetereundum non est, quod, etsi ab Apostolo non consulto propositum, ita tamen ejus menti inhaerebat, ut ejus tota generis humani ante Christum contemplandi ratio illi adstricta esse videatur. Vidit enim Apostolus peccatum non modo in singulis hominibus, vel omnibus, sed in *toto genere humano* quoque. Duo tantum sunt loca eaque notissima, quibus hanc suam sententiam prodit, Rom. 5: 12—14 sqq. et 1 Cor. 15: 21, 22, in quo utroque loco, comparatione instituta Christum inter et Adamum, hos hominum seriei facit principes, a quibus omnes pendeant, ita ut in genus humanum per Adamum sit introducta mors, per Christum vita. Quomodo autem mors sit introducta docet Rom. 5: 12: ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, *propterea quod omnes peccarunt*; quorum verborum, si cum sequentibus (vs. 15: τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, vs. 17: τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν διὰ τοῦ ἑνός, coll. vs. 18. 19; 1 Cor. 15: 21, 22) comparantur, hic esse debet sensus: mortem per Adami peccatum ad cunctos transiisse quia cuncti (sive conjuncti), Adamo peccante, peccarunt, i. e. mortem per Adami peccatum ad generis humani corpus sive universitatem transiisse, quia haec universitas, ex Adamo peccante nata, universitas peccans sit facta(1). Docet itaque Apostolus peccati Adamitici hanc fuisse se-

---

(1) Hac fere ratione locum hunc interpretatus est AUGUSTINUS, *Enchirid.* 26, Tom. VI, p. 151, Ed. Antw.: »Mundum quippe appellavit eo loco Apostolus universum genus humanum. Ita ergo se res habebat: jacebat in malis vel etiam volvebatur, et de malis in mala praecipitabatur totius humani generis massa." *Serm* CCXCIV, Tom. V, p. 830: »Propter imitationem dicis [peccatum regnare] quia primus peccavit Adam. Respondeo prorsus, Non primus peccavit Adam. Si primum peccatorem requiris, diabolum vide. Humani generis massam volens ostendere Apostolus de origine vene

quelam, ut tota hominum series, cujus caput et auctor est Adam, per hunc sit inquinata, mortique et Dei judicio subjecta. Quae quamvis a Paulo non hoc consilio sint dicta, ut haec tanquam ignota lectores doceret, sed tantum unde explicaret, quomodo fieri possit, ut per *unum* Christum toti mundo Deus largiatur vitam, tamen arctius cum universa ejus theologia cohaerent, quam ut quaestioni, unde haec hauserit, non respondendum videatur. Nec dubium est, quin ea, quae de *morte* ubivis grassante habet, ex sua ipsius omniumque experientia perceperit. Pariter etiam ipsius conscientia dictante et V. Foederis libris testantibus cognovit, *Dei judicio* peccatores omnes subesse, cf. Rom. 1: 32; 3: 19. Sed undenam hausit hoc: peccatum ubivis regnans ex Adami peccato esse repetendum? Provocant, qui in hujus placiti apud Paulum fontem inquisiverunt, ad V. Foedus et ad libros Apocryphos, in quibus sententia eadem, non tamen explicite exposita, inest(1), et vero ad Rabbinorum doctrinam, quae fertur, qua Paulus juvenis imbutus sit(2). Quorum sententia maxime commendatur hoc, quod Paulus non *nova* Romanos doceat, sed ex *cognitis* (de peccato et morte) *nova* (de vita per Christum in mundum introducta) derivet. — Ante omnia autem tenendum erit, Paulo sententiam de *peccato* et *morte* ubivis regnantibus arctissime conjunctam fuisse cum altero placito de vita, Jesu auctore, in genus humanum introducta; Jesum enim postquam agnovisset unum sospitatorem, a quo hominum veluti nova series originem suam ducat, jam huic plane oppositum vidit Adamum priorem generis humani conditorem, a quo posteri simili quadam ratione pendeant, qua Christiani a Christo.

---

natam, ideo eum posuit unde nati sumus, non eum quem imitati sumus." Item BENGEL: »πάντες, *cuncti* non agitur de peccato singulorum proprio, omnes peccarunt, Adamo peccante." Praecipue OLSHAUSEN, *Bibl. Comm.* ad h. l. p. 187 sqq., qui pluribus exponit Paulum, non *omnes individuos*, sed *horum corpus* sive *universitatem* ob oculos habuisse. Vid. quoque MEIJER, *Comm.* ed. 2, p. 161. — Praeter scriptores ibi citatos, conferatur etiam TIJSSEN, *Anthropol. Paulina*, p. 208 sqq.

(1) Hebraeorum et Judaeorum hac de re cogitandi rationem explicuit v. gr. HASE, *Ev. Dogm.* ed 4, § 80, 81. — Conf. item TIJSSEN, qui locos huc spectantes collegit et illustravit, l l p. 220.

(2) Videantur praeter alios MEIJER, *Comm. ad Rom.* ed. 2, p. 163, *Anmerk.* 1; THOLUCK, *ad Rom* ed. nov. p. 252—255; TIJSSEN, l. l. p. 219 sq , 268 sq.

Hucusque Pauli de hominum nondum per Christum ad Deum conversorum vita et conditione sententiam exposuimus ejusque fontem in Pauli conversione et experientia, verbo in *ipsius vita*, quaerendum esse ostendimus. Nunc jam videndum, quid docuerit de hominum ad Deum conversione. Quae Pauli doctrina ita nobis erit tractanda, ut tum ostendamus, eum universe hominum ad Deum conversionem e Dei gratia repetere, tum singula quae huc pertinent, ab ipso gratiae Divinae tributa, examinemus.

Agendum igitur I. de Dei gratia homines peccati regimine liberante et cum Deo iterum conjungente, p. 82—84.

II. de praedestinatione, electione et vocatione, — de Judaeis non tantum sed Gentibus quoque vocatis, — de venia peccatorum, — de fide, — de δικαιώσει, — de υἱοθεσία, pag. 84—120.

III. de Dei gratia, qua per totam deinceps vitam reguntur et ducuntur Christiani, p. 121, 122.

His singulis expositis, iterum redeundum erit ad Pauli conversionem, ut, pariter ac Pauli doctrinam de hominum vita antecedenti, ita quoque ejus de hominum ad Deum conversione sententiam, ipsius vitae et experientiae, imprimis autem conversioni, innixam esse ostendamus.

HOMINUM AD DEUM CONVERSIO.

A. Pauli doctrina.

I. Οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις, ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ, οὕτω καὶ ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον. His verbis ipse Paulus discrimen, quod inter utramque hominum seriem, ante et post Christum viventium intercedit, plenissime effatus est, Rom 5: 20, 21. Pro peccati regno, quod hucusque valuerat, novum jam introductum est gratiae regimen, quo homines per veram virtutem, Jesu Christo auctore, summam salutem assequantur. Neque hoc tantum loco gratiam peccato opponit, contra, ita omnem hominum Christianorum salutem gratiae Divinae adscribit, ut in utraque epistola, quae nostrae disquisitioni imprimis fundamento inservit, exponat, quid sit genus humanum sine Christo, et vero quale fiat quantaque, moderante gratia Divina, per Christum accipiat

beneficia. — Eph. 2: 1 sqq. exposita lectorum conditione antecedente miserrima, ex hac veluti morte eos suscitatos esse dicit Dei gratia, in qua celebranda tantus est, ut non modo bis idem hoc, *χάριτί ἐστε σεσωσμένοι*, 2: 5, 8, enuntiet, sed nunquam sibi satisfaciens eandem hanc sententiam variis modis efferre conetur, vs. 4: *ὁ Θεὸς πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει, διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ, ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς*, vs. 7: *ἵνα ἐνδείξηται — — τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος, — ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς*. Item in ejusdem epistolae prooemio beneficia, quibus nos Deus afficit enumerans: electionem inde a mundo condito ad vitam sanctam et inculpatam 1: 4, destinationem ad filiorum statum vs. 5, liberationem sive remissionem peccatorum vs. 7, *κληρονομίαν*, cujus utpote filii participes erunt Christiani, vs. 11, 14, 18: haec omnia e Dei gratia in homines redundare, asseverat vs. 6, 7. Quin idem, quod modo diximus, hîc observare licet, Paulum, variis praeterea formulis hanc gratiam Divinam celebrantem, eo ipso quanti eam faciat nobis indicare. Eph. 1: 3 Deus est *ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς*, vs. 4, 5 dicitur *ἐν ἀγάπῃ προορίσας*, idque *κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος* (cf. vs. 9, 11), quo gloria ejus celebretur, vs. 6, 14.

Neque minus in epistola ad Romanos, licet alia forma, Dei gratiae tribuit hominum ad Deum conversionem. Post expositam enim hominum miseriam Rom. 1: 18 — 3: 20, salutem a Deo generi humano largiendam, verbis apud Judaeo-Christianos usitatioribus *justificationis* et *vitae*, describens 3: 21 — 8: 39, hanc repetit e gratia Divina, *δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι*, quae Dei gratia tanta est, ut omnis hominis gloriatio de salute accepta exclusa sit, 3: 27. Et deinde per totam epistolam ita huic fundamento theologiae suae expositionem superstruit, ut et homines nunc sub gratia Divina, neque sub peccato aut lege Mosaica, vivere dicat, 6: 1 sqq., 14 sqq.; et omnes salutiferos *τῆς δικαιώσεως* effectus uni adscribat Dei gratiae, 5: 1—19; 8: 14—39, imprimis 28 sqq.; et ipsam eorum, qui nunc Christiani sunt, vocationem e gratia Dei libere eligentis repetendam ducat, cap. 9—11; cf. 11: 5, 6.

Haec omnia autem quum Deus per Christum hominibus largiatur, ipsa quoque Christi missio, vita, mors, in vitam reditus, vita coelestis, quibus singulis consilium suum salutiferum efficit Deus, ex ejus amore gratuito derivantur. Hinc dicitur Deus èt nos gratia affecisse *ἐν τῷ ἠγαπημένῳ*, Eph. 1: 6; 2: 7; 4: 32; èt secundum *τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ* consilium cepisse in Christo omnia

coelestia et terrena sub uno capite recolligendi, 1: 9, 10, quod ut efficeret, hunc e morte revocasse in vitam, ad suamque dextram in coelis collocasse 1: 20 sqq.; èt summum gratiae suae documentum in hoc praebuisse, quod Filio suo non pepercerit, sed hunc pro nobis peccatoribus et impiis morti tradiderit, Rom. 5: 6—8; 8: 32. Itaque pro antiquo peccati regno novus introductus est rerum ordo, in quo per Christum, Dei gratia ad hoc constitutum, salus summa gratuito Dei beneficio ad homines redundat. — Singula autem quae huc pertinent, ex ordine jam sunt explicanda.

II. 1. Et primum quidem ipsum hoc, quod ad salutem in Christo oblatam *vocentur* homines et *invitentur*, Dei gratiae adscribit Paulus. Est hic locus de electione et vocatione, quem praesertim Rom. 9—11 exposuit. Alterum hominem prae altero gentemque alteram prae altera beneficiis affici a Deo, hoc ab hujus libera eligendi voluntate derivat, Rom. 9: 6—21; de Judaeorum ἀπιστίᾳ deinde loquens, pro hoc, quod nonnulli tamen remanserint fideles, Deo gratias agit, Rom. 11: 5: λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν. Mox autem eâdem Dei gratiâ factum iri docens, ut, omnibus Gentibus ad Christum adductis, Judaei quoque universi salventur, rationem subjungit hanece: ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ, 11: 29, cf. 32. Ita Dei gratia vocandi sunt Judaei, vocati jam omnes, qui sunt Christiani; sunt hi οἱ κατὰ πρόθεσιν κλητοί, ἐκλεκτοὶ Θεοῦ, quos praenovit et praedestinavit et vocavit Deus ad salutem, 8: 28—30, 33; qui ideo a Paulo compellantur nomine κλητῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, κλητῶν ἁγίων, 1: 6, 7. — Similiter, tum in ep. ad Ephesios inscripta Christianos praedestinatos esse κατὰ πρόθεσιν et electos ad sanctitatem, et vocatos dicit gratia Divina Eph. 1: 3, 11, 18; 4: 1, 4, tum Corinthios κλητούς i. e a Deo vocatos appellat 1 Cor. 1: 2, 24, coll. 1: 26; 7: 20, tum Colossenses ἐκλεκτοὺς τοῦ Θεοῦ ἁγίους καὶ ἠγαπημένους nominat, Col. 3: 12, tum denique Thessalonicensibus ἐκλογήν ipsorum in memoriam revocat 1 Thess. 1: 4 (conf. 2: 12; 2 Thess. 2: 13, Gal. 1: 6). — Quae electio et vocatio quum sequelae sint consilii illius, quod ante saecula cepit Deus nos in Christo beandi, utramque cum *praedestinatione* conjunctam adscribit gratiae Dei, τοῦ σώσαντος ἡμᾶς καὶ καλέσαντος κλήσει ἁγίᾳ, οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν ἀλλὰ κατ' ἰδίαν πρόθεσιν καὶ χάριν

τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων, 2 Tim. 1: 9.

2. Cum hac Pauli doctrina de gratia arcte cohaeret ejus sententia de *Gentibus quoque ad Euangelium vocandis*, ipsi fere prae reliquis Apostolis propria. Explicatam hanc invenimus in utraque epistola ad Romanos et ad Ephesios, ita tamen ut in altera magis polemice, thetice magis in altera, hanc Gentium vocationem gratiae Divinae tribuendam explicuerit. — In ep. ad Rom. enim docet et acerrime defendit eandem gratiam, qua Judaei fruantur, Gentibus quoque, ad eam vocatis, a Deo offerri; hac autem ratione procedit, ut, utrâque humani generis parte juxta se invicem positâ, nil discriminis hac in causa interesse ostendat Gentes inter Judaeosque, utpote peccato aeque miseros et aeque gratia Divina salvandos Rom. 3: 21—25, 29, 30, eademque gratia pariter ad salutem vocatos 9: 24; 10: 12; 11: 17, 22.

Idem hoc, sed sublimiori ratione, in ep. ad Eph. expositum videmus. Hîc enim summum Dei consilium esse dicens omnia, coelestia aeque ac terrena, in Christo sub uno capite reducendi (1: 9, 10: *ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς*, coll. 1: 20—22; coll. 1: 20), coelestis hujus regni partem in terris jam adspectabilem docet esse Ecclesiam (1: 22), quae omnes quotquot in terris versantur una societate conjunctos complectatur. Hujus autem socii sunt Gentium omnium homines, ipsarum quoque illarum, quae antea fuerant procul abalienatae a civitate Israëlis, ita ut nunc ambae generis humanae partes, pariete quodam hucusque separatae, in unum coalescant unumque veluti corpus novum, sive unum aedificium cujus lapis angularis est ipse Christus, constituant, 2: 11—22. Haec omnia autem, et Dei sublime consilium et modum quo Deus id efficere constituit (ad quem ipsa Gentium vocatio pertinet), hujus voluntati et bene placito i. e. gratiae Divinae tribuit, 1: 5, 6, 9, et quamvis ipsis verbis Dei gratiam non laudet in hoc quod Gentes quoque ad Euangelium vocari jubeat Deus (vide vero Eph. 3: 3—5, coll. 1: 9, 10, 3: 9—11), tamen, quum in suo Gentibus Euangelium praedicandi munere apostolico describendo, Eph. 3: 2—8, semel iterumque *χάριν τοῦ Θεοῦ* et *δωρεὰν τῆς χάριτος* celebret, 3: 2, 7, 8, satis ostendit, se Gentium quoque vocationem ab una gratia Divina derivare.

Itaque gratia Divina omnes homines, Gentiles aeque ac Judaeos, vocat, vocat autem ad salutem, quae *salus* iterum donum est gratiae Divinae. Homines enim peccati jugo servientes eo ipso sunt miseri, a Deo abalienati, gloria Divina cui destinati sunt carentes Divinaeque irae subjecti. Ex hac autem miseria Deus infinito suo amore ductus humanum genus eximere vult; itaque praeterita illa ignorantiae tempora non respiciens, hominibus per Christum offert peccatorum remissionem, iisque aliam meliorem, qua, ab ipso avulsi, ei rursus conjungantur monstrat viam, fidei scilicet, ut ita, in veram justamque cum Deo relationem reducti, filiorum adinstar Deum Patrem venerentur, saluberrimosque hujus conditionis fructus, *εἰρήνην*, *ἁγιασμόν*, *κληρονομίαν*, *δόξαν*, verbo, vitam veram eamque sempiternam, una cum Christo hujus salutis mediatore consequantur. Sunt haec quae Paulus una *σωτηρίας* voce saepius complecti solet, v. c. Rom. 1: 16, Eph. 1: 13, quae et singula et conjuncta ab uno Dei amore gratuito accepta laudat.

3. In his autem singulis exponendis ordiamur a *peccatorum remissione*, in quam ipse Paulus constanter lectorum oculos primo loco convertit, Rom. 3: 21 sqq.; Eph. 1: 7; quibuscum conferri possunt Col. 1: 14; 2: 13; Gal. 1: 4; 2 Cor. 5: 19; 1 Cor. 15: 3.

Nihil est, quod hominem peccantem magis impedit, quominus resipiscens ad Deum revertatur, quam culpae sensus. Hic enim, agnito peccato statim ortus, efficit, ut et Deum sanctissimum peccatum certo puniturum metuat, et facile novis, quibus conscientiae vocem obtundat, peccatis perpetrandis longius sensim a resipiscentia et conversione abducatur (1). Huic misero rerum statui medelam attulit Deus veniam peccatorum offerendo, i. e. declarando, se hominum peccata hucusque perpetrata non respecturum, duminodo obsequantur ipsius amori, quo ductus vult Deus, ut homines in eam cum ipso veniant communionem, cui sunt destinati. Ab hac peccatorum venia nuncianda igitur, ad exemplum Johannis Baptistae, Jesu ipsius et reliquorum Apostolorum, suam quoque Paulus incepit praedicationem, Act. 13: 38, 39; 17: 30; coll. 14: 16, homines, ut se ad Deum convertant, invitans. Postea Eccle-

(1) Col. 2: 13; Luc. 15: 17 sqq. Vid. v. OORDT, *Over het verband tusschen vergeving van zonden en heiliging des menschen*, in *Waarh. in Liefde*, 1837, II, p. 246 sqq.

sias recens conditas, aut universa re Christiana aut ejus parte quadam explicanda, ulterius edocens et in fide confirmans, pariter hanc peccatorum remissionem a Deo in Christo oblatam identidem memorat. — Nec tantum memorat, sed ita primo loco nominat veniam peccatorum, ut haec fundamento inserviat toti rei Christianae expositioni. Videmus hoc èt in ep. ad Rom., ubi, postquam descripsit miserrimam humani generis peccato dediti conditionem 1: 18—3: 20, salutis in Christo oblatae expositionem incipit a memoranda Jesu morte, quae est *expiatio peccatorum*, 3: 21—25; èt in ep. ad Eph., ubi enumerans, quae in Christo jam assecuti sumus, 1: 7—14, primo loco nominat *τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων* 1: 7; quantum autem ei tribuerit pretium, patet insuper in locis Col. 1: 14; 2: 13, in quorum posteriori diserte affirmat, Deum nos e peccati morte in vitam traduxisse *condonando nobis peccata nostra.*

Varias autem adhibet formulas. Deum dicit peccata *χαρίζεσθαι condonare* Col. 2: 13, coll. 2 Cor. 12: 13; *μὴ λογίζεσθαι non reputare* 2 Cor. 5: 19; Rom, 4: 8, coll. 1 Cor. 13: 5; 2 Tim 4: 16; *ἀφαιρεῖν auferre* Rom. 11: 27; *ἀφίεναι remittere* Rom. 4: 7; *ἐπικαλύπτειν obtegere* Rom. 4: 7; *ἱλαστήριον προτίθεσθαι piaculo exhibendo obtegere* Rom. 3: 25; *ὑπερίδειν non respicere* Act. 17: 30; ita ut, temporibus ignorantiae elapsis, nunc sit peccatorum *ἄφεσις remissio* Eph. 1: 7; Col. 1: 14; coll. Act. 13: 38; 26: 18; quam remissionem interdum quoque *justificationis* voce simul includit Rom. 4: 5, 6, coll. 7, 8; 3: 24, coll. 23; 2 Cor. 3: 9. Quae omnia, tropice dicta, vario quidem modo Dei peccata non respicientis actum describunt, in hoc tamen conveniunt, hominibus concessam esse peccatorum veniam sive remissionem, qua certiores sunt, peccata antea peracta a Deo non respici, ideoque nullum esse obstaculum, quod ipsos a conversione ad Deum Patrem retinere debeat.

Hanc peccatorum veniam antea, sub veteri legis oeconomia, Deus saepe quidem obtulerat peccata dolentibus Deique benignitati confidentibus (1), quam Veteris Foederis praestantiam ipse Paulus agnovit

(1) Conferatur omnino VAN OORDT, *Over verzoening der zonden volgens het O. Testament*, in *Waarh. in Liefde*, 1846, III, p. 507 sqq., qui pluribus demonstrat, peccatorum expiationem locum habuisse èt ante legem datam, v. c. Exod. 32: 30, èt nulla legis aut sacrificiorum ratione habita, Deut. 32: 43; Num. 16: 46—48; 2 Sam. 12: 13, coll. 1—12; Jes. 6: 7, coll. 1—6,

afferendis Abrahami Davidisque exemplis et dictis nonnullis Rom. 4: 1—8; 11: 27; universe autem Deus non nisi Rex aut Judex severus, peccatorum poenas exigens, suspiciebatur. In Christi autem missione, persona tota, praesertim in ejus morte amor Dei patefiebat, Patris instar homines vel longissime ab ipso aversos amantis et ad se reducere volentis. Nec patefiebat tantum Dei amor ita ut nunc sciant homines, se veniam peccatorum acquirere posse, sed per eundem illum Christum ita ipsorum animis experiunda praebetur amoris Divini vis, ut, ad resipiscentiam fidemque Divinae gratiae habendam adducti, reapse habeant peccatorum remissionem. Itaque nunc homines, hunc Dei amorem percipientes et experientes, certi sunt, peccata ab ipsis perpetrata a Deo non respici, ipsorumque a Deo abalienationem non mutasse paternum animum Dei, vel nunc ipsos ad conjunctionem secum ad summamque salutem ducentis. Deus igitur remittendis peccatis manifestat amorem suum infinitum, sive potius, Dei amor summus atque constans, simulatque ab hominibus cognoscitur et experiundo percipitur, persuasionem praebet, peccata a Deo non respici. Haec peccatorum venia quum in Christo tantum plenissime hominum generi sit non modo cognita sed et revera concessa, dicimur in eo *habere* (Eph. 1: 7; Col. 1: 14 ἐν ᾧ ἔχομεν) peccatorum remissionem, qua antea nonnulli quidem quodammodo fruiti erant, sed quae tamen ab ipsa lege et Prophetis futura magis et aliquando penitus concedenda, quam praesens aut jam plene concessa erat laudata, Rom. 3: 21: μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, nunc autem et plenissime omnibus ut fidem habeant est patefacta, et largissime fidentibus omnibus concessa; cf. vs. 22 sqq.

Hoc loco discrimen quod inter utrumque tempus, ante et post Christum, intercedit, accurate expressit Paulus, vs. 25, 26: ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὴν ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως. Tempus, quo peccatorum nulla ratio haberi videbatur, est τῆς ἀνοχῆς

---

p. 518—528. Notissimum est, tum in Psalmis tum apud Prophetas saepissime sermonem esse de peccatis a Deo gratis aut remissis aut remittendis, v. gr. Ps. 25: 11; 32: 1—5; 51: 3, 11; 130: 3, 4; Jes. 38: 17; 43: 25; Jer. 31: 31—34; Ezech. 16: 60—63, rel.

τοῦ Θεοῦ (conf. 2: 4); huic opponitur tempus praesens, ὁ νῦν καιρός, in quo regnat Dei *gratia*, in eo conspicua, quod peccata non tantum praetermittat, sed etiam prorsus remittat. Hoc quoque indicat Paulus, dicens ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ fuisse peccatorum πάρεσιν, *praetermissionem* (1), nunc vero nobis contingere *remissionem* plenam in Christo, quippe qui, morte subeunda, exstiterit ἱλαστήριον. Hoc nomine ἱλαστηρίου, quod nobis a Deo adspectandum exhibitum est, Christum designat, alludens ad operculum arcae foederis, in quod, ut notissimum est, victimae sanguis, quotannis a summo Pontifice sparsus, populo adstanti signum erat, Deum leviores legis transgressiones imprudenter perpetratas non respicere, sed expiatas sive tectas habere, Levit. 16: 13—17 (2). Pariter magisque etiam Christi sanguis unicuique fidem habenti (διὰ πίστεως) peccatorum veniam a Deo oblatam affert (3). Quod

(1) Discrimen inter πάρεσιν et ἄφεσιν accurate exposuit FRITZSCHE, *Comm.* ad h. l. I, p. 199.

(2) Non video, cur in vertenda voce ἱλαστήριον recedendum sit a communi loquendi usu, qualis nobis in LXX, Philone et auctore ad Hebr. 9: 5 *notus* est, praesertim quum ad commendandam aliam ejus vocis significationem ad profanos scriptores recurrere necesse sit (vidd. FRITZSCHE, MEYER, VAN HENGEL, in *Comm.* ad h. l.). Litem de hac voce diremisse videtur PHILIPPI in *Comm.* ad h. l. I, p. 92 sqq., cujus argumentis nihil habeo quod addam, nisi quod προέθετο, *adspectandum exhibuit* (vertente RITZSCHIO), melius de arcae operculo, quam de expiatione quadam indefinita dictum videatur (conf. ἄρτοι προθέσεως).

(3) Quae Paulus his addit, illius ἱλαστηρίου proponendi consilium fuisse *manifestationem justitiae Divinae*, haec ita intelligenda puto. In Christi morte Paulus dicit *quemque fidentem* habere peccatorum veniam. Jam vero in hoc elucet Dei justitia, i. e. non ea, qua nos judicem punientem aut absolventem justum dicimus, sed virtus omnis, qua et erga se ipse et erga homines est, quem esse ipsum decet; qua ratione etiam in N. T. δίκαιοι dicuntur homines quique pii et religiosi (vidd. RAUWENHOFF, *De δικαιώσει*, p. 114, et LIPSIUS, *Paulin. Rechtfert.* p. 147 sqq.). Haec Dei perfectio, quae propter indulgentiam et patientiam, qua hucusque peccata non respexerat, videri posset obscurata, jam patefit in Christo proponendo ἱλαστηρίῳ διὰ πίστεως, quum nunc pateat, omnia Deum sic ordinasse, ut neminem nisi *fidentem*, sed vero etiam *fidentem quemque*, vs. 26—30, peccatis absolveret et justum tractaret, quippe *fide* aptum nunc dignumque qui ita a Deo tractetur, vid. infra p. 107; quae Dei perfectio in hoc praeterea elucet quod, exhibendo istius modi ἱλαστηρίῳ, simul ad fidem ipsi habendam homines perducat, peccataque ergo remittat iis, qui apti ad id facti sunt, ipso eos ad hoc informante Deo. — Quod autem interpretes fere omnes hoc loco satisfactionem justitiae Divinae poenas exigenti praestitam aut mortem Christi vicariam doceri putent, inde explicandum videtur, quod nec tam ad verba διὰ πίστεως, ἐκ πίστεως, πίστει vs. 25—30 quinquies repetita, quam potissimum

Paulus hic improprie dicit, Christum esse veluti arcae foederis operculum, a Deo exhibitum peccatorum expiandorum gratia, idem propriis verbis enuntiat tum Eph. 1: 7 dicens, nos habere *in Christi sanguine* peccatorum remissionem, tum aliis locis, ubi Christum *mortuum* dicit *περί* aut *ὑπὲρ τῶν ἁμαρτίων ἡμῶν* Gal. 1: 4; 1 Cor. 15: 3, aut *διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν* Rom. 4: 25. Etenim mors Jesu, utpote summum amoris Dei documentum, Rom. 5: 8, non potest non hominibus persuadere, Deum paterno amore erga genus humanum esse animatum, nullamque peccatorum rationem amplius habere, ita ut his a conversione ad Deum retineri aut absterreri non amplius ipsis liceat; imo per hunc infinitum Dei amorem ad se Deo tradendos incitentur.

Haec autem hominum conversio, quum sit consilium veniae peccatorum oblatae, ipsa quoque locum habere debet. Hoc jam Athenis protulit Paulus, Act. 17: 30, dicens Deum, *ignorantiae temporibus non respectis*, i. e. peccatorum oblata venia, nunc omnibus hominibus annuntiare Euangelium, *ut resipiscant*. Nullibi autem disertius hoc enuntiavit quam 2 Cor. 5: 19—21, ubi Deum dicit in Christo mundum secum reconciliasse, peccatis ei condonandis, se autem, in quem ipse Deus hoc munus transtulerit, omnes nunc hortari et deprecari, ut Deo Christoque obsequentes cum Deo reconcilientur. Haec vero *καταλλαγὴ τῷ Θεῷ*, initium omnis vitae vere Christianae, non revera oritur nisi in iis, qui veniam peccatorum accipiunt, 2 Cor. 5: 19 sqq., quam in Christi morte oblatam vident homines; hinc *καταλλαγή* quoque Rom. 5: 10, 11, praetermissa hac peccatorum venia, cum Christi supplicio et Dei in hoc conspicuo amore vs. 8 directe conjungitur.

Hic etiam omnino monendum est, nullum esse posse hominibus peccatorum remissionis a Deo oblatae fructum, nisi quando eam in suum convertant usum, fide eam accipientes. Quatenus ante Christi tempora aderat fides, eatenus venia peccatorum quoque fruebantur homines nonnulli Rom. 4: 2—12; similiter autem neque sub Novo Foedere peccatorum venia frui licet nisi fidenti. Imprimis hoc exposuit Paulus Rom. 3: 21—30, ubi identidem *legi* et *operibus* opponit *fidem* qua justificetur homo; quin hanc tam parum neglexit, ut non scripserit, Deum Jesum exhibuisse *ἱλαστήριον*

---

ad unum illud *ἐν τῷ αἵματι* attenderint, et in explicanda notione voci *ἱλαστήριον* tributa gentilium Graecorum potius quam ipsorum Hebraeorum cogitandi rationem secuti sint.

τήριον ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, nisi interpositis verbis *διὰ πίστεως*, quibus veniae peccatorum oblatae fructum cum fide, quam in homine exigit Deus, indivulso conjunxit vinculo.

Hanc autem peccatorum remissionem, quam unice ex Dei amore repetendam esse vidimus, gratiae Divinae adscribit Paulus: Rom. 3: 24, 25: *δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον — ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι*, imprimis Eph. 1: 7, ubi *secundum gratiae suae divitias* Deum nobis eam largitum esse dicit: *ἐν ᾧ ἔχομεν — τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτώματων, κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ.*

Animadvertendum praeterea, Paulum non tantum peccatorum remissionem gratiae tribuere Divinae, sed ipsam quoque peccati cognitionem. Quod quamvis diserte non elocutus sit Paulus, facili tamen opera ex ejus sentiendi ratione et verbis etiam nonnullis deduci potest. Etenim ex ejus sententia genus humanum peccat, versans quippe *ἐν ἀγνοίᾳ*, vid. supra p. 70; hac vero *ἀγνοίᾳ* sublata, videt homo se peccare, cujus peccati hucusque fuerat nescius. Quum autem *per Christum* demum hoc suum peccatum cognoverit, Eph. 4: 20, coll. 17—19, et sic vitae Divinae particeps sit factus, quare hanc vitam gratiae Divinae attribuit auctori, 2: 1—4, coll. 4: 17, illam quoque cognitionem peccati gratiae Divinae adscribere debuit. Hinc quoque factum, ut in enumerandis iis quae Deo debemus in Christo accepta, *δικαιοσύνην, ἁγιασμόν, ἀπολύτρωσιν*, primo loco nominet *σοφίαν*, 1 Cor. 1: 30.

4. Deus, quod jam ex antecedentibus quodammodo liquet, non temere peccata remittit, ut peccatores manere possimus; imo unum remissionis consilium est hoc, ut ad ipsum conversi, 2 Cor. 5: 20; Rom. 5: 9, 10, peccatis in posterum abstineamus, Rom. 6: 1 sqq. Atque tantum abest, ut peccatorum venia promulgata homines ad peccandum ulterius incitentur, ut nemo nisi a peccatis abstinere ad Deumque se convertere et sanctitati studere velit, ea frui possit. Hoc vult Paulus dicens, *fidenti* tantum obtingere peccatorum remissionem in Christi morte oblatam.

De hac *fide* pluribus nobis est agendum. *Πίστις* et *πιστεύειν* varianti quodammodo significatione uti apud reliquos N. Foederis scriptores, sic apud Paulum occurrit. Has omnes variationes autem hic recensere longum est, cui operi eo facilius supersedere possumus, quo certior *πίστεως* significatio etymologica, ex unanimi fere

omnium consensu (1) definita est duplex haec, altera *mentis confidentia* sive *persuasio*, Rom. 6: 8; 10: 9; 14: 1, 14, 23; Phil. 1: 6; 1 Thess. 4: 14; altera *animi fiducia*, Act. 16: 31; 22: 19; Rom. 4: 3, 5, 17, 24; 9: 33; 10: 10; 2 Cor. 4: 13; Gal. 3: 6; 1 Thess. 3: 2, 3; Tit. 3: 8; quae utraque significatio ex hoc uno fluxit fonte, quod non tantum *mentis* aut *animi* tantum, sed *totius hominis* designet fiduciam, in alio, i. e. Deo Christoque, repositam. Hanc utramque *τῆς πίστεως* faciem imprimis conspicimus in iis, quae Paulus de Abrahamo refert, Rom. 4: 18—22: *ὅς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν — — καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, — — εἰς τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλ' ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει, δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ· καὶ πληροφορηθεὶς ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι καὶ ποιῆσαι.* His vero, quamvis luculenter doceant, quod pluribus etiam locis confirmari potest, Paulo fidem esse animi conditionem hanc, qua non sibi sed Deo confidat homo, nulla mentis dubitatione impeditus, nostram tamen de fide disquisitionem superstruere non volumus, in ipsius Pauli exemplo conspicere cupientes fidem, quam ipse se fovere profitetur, et in aliis excitare studet; hanc enim certiorem ineuntibus viam de fide Christiana, e Pauli mente, prorsus nobis constabit.

Supra jam vidimus, Paulum, quum in via Damascena a Jesu vocatus sibi persuasisset, Jesum, quem hucusque persecutus erat, Dei esse Filium, totum se statim Jesu huic tradidisse verbis illis memorabilibus: *Κύριε, τί ποιήσω*; simulque observavimus, Paulum eo ipso, quod ita mentem animumque totum Christo traderet, fidem suam eamque inconcussam et plenam esse professum. In epistolis postea hic illic de sua fide locutus ejus naturam lucidissime exponit. Evolvamus modo epistolam ad Galatas, ubi in lite cum Petro describenda, discrimine quod Judaicam inter et Christianam religionem intercedit exposito, suam ipse fidem profitetur, Gal. 2: 19, 20: *ἐγὼ γὰρ διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον ἵνα Θεῷ ζήσω. Χριστῷ συνεσταύρωμαι· ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγώ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός· ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκί, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ.* Christi

(1) Vidd. inter recentiores, SCHUMANN, *Christus*, II, p. 643—652; RAUWENHOFF, *De δικαιώσει*, p. 73—78; LIPSIUS, *Paulin. Rechtfert.* p. 94—105; REUSS, *Hist.* II, p. 123 sqq.; conf. etiam USTERI, *Paulin. Lehrbegr.* ed. 3, p. 82 sq., ed. 4, p. 93 sqq.

amore incensum se nunc non amplius legi, sed Deo Christoque vivere dicit, imo se ita omnia anteriora oblitum esse, ut non amplius ipse, sed Christus in ipso unice vivat. Constat haec vita duabus partibus, altera negativa q. d., qua anterior vitae ratio cessat, Gal. 2: 19: *νόμῳ ἀπέθανον*, 20: *Χριστῷ συνεσταύρωμαι*, coll. 6: 14: *ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ*, — positiva altera, qua nova ineatur vita Deo Christoque consecrata: *ἵνα Θεῷ ζήσω, ζῇ ἐν ἐμοὶ Χριστός*, ita ut sit *καινὴ κτίσις*, 6: 15, coll. 5: 6. Hujus vero vitae novae principium est *fides*, qua se totum tradit Christo, ita ut ipse quasi pereat, vivat Christus in ipso solus: *ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγώ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός, ὃ δὲ νῦν ζῶ — ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ*. — Cum his, quod ad rei summam, conveniunt quae postea senex Philippensibus 3: 4—14 profitetur Apostolus, antea se fuisse legis studiosum, ex suis ipsius operibus meritisque salutem sibi comparare cupientem, nunc vero se opposita prorsus ratione, rejectis et vilipensis iis, quibus hucusque gloriatus esset, omnibus, Christum unum appetere atque in fide sola omnia sua et studia et vota collocasse. Ergo fides hic quoque est principium novae vitae illius, quam se agere dicit, talis autem vitae, in qua omnia tendant ad Christum cognoscendum, amandum, sequendum et in Christi communione vivendum, 3: 8—10: *ἵνα Χριστὸν κερδήσω καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ, — τοῦ γνῶναι αὐτὸν καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ, συμμορφιζόμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ*. Quae autem sequuntur, vs. 12—14, multum faciunt ad naturam fidei, qualis in Paulo vigebat accuratius definiendam: *οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον ἢ ἤδη τετελείωμαι, διώκω δὲ εἰ καὶ καταλάβω, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην ὑπὸ Χριστοῦ· ἀδελφοί, ἐγὼ ἐμαυτὸν οὐ λογίζομαι κατειληφέναι· ἓν δέ, τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐκτεινόμενος, κατὰ σκοπὸν διώκω εἰς το βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ*. His non tantum docet Apostolus, fidem suam novamque vitam Christianam minime esse perfectam aut uno actu absolutam, ita ut in iis, quae jam assecutus esset, acquiescere liceret, sed etiam ostendit, se, missa omni in suis ipsius operibus fiducia, omnem in Christo reponere spem. Etenim non modo quae ipsi Judaeo gloriationis praebuissent causam, sed ea quoque quae per viginti et quod excurrit annos pro Christi causa perfecit pertulitque, alia opportunitate ad suam vindicandam auctoritatem longa serie enumerata

(2 Cor. 11: 22—33, coll. 1 Cor. 15: 10), haec omnia senex nunc et in carcerem delatus oblivioni se tradere dicit (*τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος*), ut fide Christo habenda semper majore id plene attingat, ad quod erat vocatus (1).

Ex iis, quae hucusque de Pauli fide attulimus, abunde, ut nobis videtur, liquet, fidem ei esse habitum religiosum, quo sui oblitus Christo se tradit, ut in communione cum Christo vivat, non suum quidquam nec se, sed Christi omnia et Christum quaerat, salutem suam non a se suisve operibus, sed a Christo speret, Christum amplectatur, Christum amet, Christo soli vivat. — Causa vero, qua ad hanc cum Christo ineundam vitae communionem adduceretur, Christi erat amor, in morte praesertim conspicuus, ut ipse Paulus dicit, Gal. 2: 20: *ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ.*

Jam vero eadem fides, quae in ipso Paulo viguit, in iis omnibus, qui Christo se addicere volunt, ab eo exigitur. Patet hoc jam in variis, quibus utitur imaginibus ad Christianos incitandos, ut antiquis sordibus purgati novam prorsus eamque plane oppositam Christo Deoque consecratam vitam agere instituant, v. c. Eph. 4: 22, 24; Gal. 3: 27; 6: 15. Clarissime vero elucet in classico loco Rom. 6: 1 sqq., ubi quid iis, qui baptismo subeundo fidem suam professi sunt, sit faciendum exponit. Est enim idem illud *ἀποθάνεσθαι τῇ ἁμαρτίᾳ*, cujus symbolum fuerat baptismi ritus, quod iis tanquam officium, quod subterfugere ipsis non esset licitum, imponit. Baptizati fidem in Christum professi erant; itaque, aquâ submersi, una cum Christo veluti sepulti, mortuos se reputare debebant peccato, Rom. 6: 3 sqq., 11, sive veterem hominem peccato servientem una cum Christo cruci affixum habere, vs. 6 (2). Simul autem lectoribus inculcat, ipsos una cum Christo revixisse, ut *ἐν καινότητι τῆς ζωῆς* ambulent, qua totius vitae immutatione

(1) Uberius exposuit hoc NEANDER, *Der Brief Pauli an die Philipper*, p. 42—46.

(2) Qui peccato emortuus est Rom. 6: 2, 11, is peccati regimini se substraxit nec amplius ei servum se praebet vs. 6, 12, 14, ut Christo Deoque et justitiae serviat vs. 11, 13 sqq. Idem vult dicens, Christianis non esse vivendum sibi sed Christo, qui pro iis mortuus est et revixit 2 Cor. 5: 15, coll. Rom. 14: 7—9. Conf. HEEMSKERK, *Het verband tusschen den dood van Christus en dien der Christenen*, in *Jaarb. voor Wetensch. Theol.* 1854, 2, p. 271 sqq.

efficiatur, ne amplius regnet peccatum in corpore morti obnoxio, neque hujus membra sint injustitiae instrumenta ad serviendum peccato, sed ut peccati imperio fracto totos quantos se, cum omnibus corporis membris, tradant ac consecrent τῷ Θεῷ ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας, Rom. 6: 12: 13. Hujus vitae principium prouti in semet ipse agnovit, ita etiam in Christianis vidit unum, *fidem*, quam in baptismo antea erant professi, vs. 3, quamque, licet hic non diserte memoratam, in simili loco, Col. 2: 12, nominavit: συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι, ἐν ᾧ καὶ συνηγέρθητε διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ. Universe totus hic locus Col. 2: 12—14, 20—23; 3: 1—11 est conferendus, eandem quippe rem uberiore etiam ratione describens. Christiani enim, una cum Christo mortui et resuscitati 2: 12, 13, monentur non amplius nunc ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθαι, 2: 20, coll. 2: 8, sed τὰ ἄνω ζητεῖν, 3: 1, occisisque terrenis cupiditatibus omnibus, exutoque veteri homine, 3: 5—9, novum induere hominem Christi spiritu unice animatum, 3: 10, 11, ita ut intus spiritu Divino pleni vitam agant, absconditam quidem neque intellectam mundo, Deo autem notam acceptamque, 3: 3 (1).

Fidem vero, quae et hic spiritualis hujus vitae laudatur principium, effecit amor Dei in Christo demonstratus. Discimus hoc tum Col. 2: 12—14, ubi Deus dicitur resuscitasse Christianos fidem ipsi habentes, χαρισάμενος πάντα τὰ παραπτώματα, ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον — — προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ· quibus verbis Dei amor, in remittendis peccatis conspicuus, et fidei et vitae novae perhibetur causa efficiens, — tum in iis quae in epistolae exordio scripsit de fidei Euangeliique progressibus atque fructibus ab eo inde tempore conspicuis, quo audivissent cognitamque habuissent τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ, Col. 1: 4—6, coll. 20—23.

Videmus et vitam Christianam et hujus principium fidem et vero vim, quae homines ad fidem habendam impellat, Dei nempe Christique dilectionem, a Paulo tum in semet ipso observari, tum in Christianis omnibus agnosci plane easdem.

Vim, quae ad τὸ πιστεύειν impellit, diximus Dei amorem infinitum in Christo manifestatum; fundamentum vero si quaerimus

---

(1) Conf. 1 Joh. 3: 1, 2; Rom 2: 28, 29, quos locos ad nostrum explicandum affert DOUWES, *Het nieuwe leven van Christus en de Christenen*, in *Waarh. in Liefde*, 1853, IV, p. 655 seq.

quo nixi certam inconcussamque habemus fidem, hoc in Deo positum agnoscimus et quidem ejus et potentiam et amorem. Potentiae autem Divinae, quum in Jesu resurrectione documentum datum sit illustrissimum, πιστεύειν dicimur ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν — ἐκ νεκρῶν Rom. 4. 24 (conf. 1 Cor. 15: 14, 17; 2 Cor. 4: 13, 14; Act. 17: 31 et quae supra disputata sunt cap. 1, pag. 41 sqq.). — Quantum autem Dei amor valeat ad servandam, vel in mediis calamitatibus, adque perficiendam fidem, nusquam plenius forte expositum est, quam ab ipso Paulo Rom. 8: 18—39, ubi enumeratis iis omnibus, quae homini in hoc rerum imperfectarum statu adhuc versanti diffidentiam aut metum injicere possint, in amore Dei Christique unum quaerit praesidium, quod spem nostram fulcire fidemque corroborare queat, 8: 28, 31, 32, 34, 35, 37—39. Conf. Rom. 5: 5—9.

Ad fidei naturam illustrandam multum facit comparatio instituta fidei nostrae et fidei Abrahami, qua Judaeos omnesque ad Judaismum vergentes convincere studuit, eodem, quo nunc Deus per Christum secum conjungere vellet studio, sub Veteri quoque Foedere optimum quemque jam esse ductum. Galatas itaque monet, ut, ad exemplum ipsorum patris Abrahami, *fide* neque operibus aut lege observanda justitiam coram Deo quaerant, Gal. 3: 6 sqq.; pariter Romanis ex Davidis atque Abrahami historia comprobat justificationem, vel in ipso Veteri Foedere non ex hominis quodam merito, sed ex una fide repeti Rom. 3: 31 — 4: 8, itemque Abrahamum non ex circumcisione justificationem neque ex lege promissionem a Deo accepisse, sed ex sola fide i. e. pia fiducia qua, nullo suo operum merito fretus Rom. 4: 4, 5, 20, totum se Deo traderet omnemque suam et cogitandi et volendi et agendi rationem ad Dei voluntatem componeret, certa persuasione ductus, Deum ea quae promittat, etsi omnem humanam superent cogitationem, et vel ipsius naturae legibus videantur contraria, tamen et posse et velle efficere, Rom. 4: 17—21.

Hanc Abrahami fidem lectoribus suis exhibet exemplum, naturâ suâ quippe eandem ac Christianorum fidem; differt vero haec, quatenus Christianis ipse Christus exsistit auctor et mediator fidei, quare Christiani fidem habere dicuntur in ejus communione, ἐν αὐτῷ, Gal. 3: 26; Eph. 1: 15; Col. 1: 4; 1 Tim. 1: 14; 3: 13; 2 Tim. 3: 15, coll. 1: 13, ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν X. I., Eph. 1: 13 ἐν ᾧ (εὐαγγελίῳ τῆς σωτηρίας) πιστεύσαντες, 1 Cor. 2: 5. Quin fides ad Christum aeque refertur atque ad ipsum Deum, ita ut

dicatur et πιστεύειν τῷ Θεῷ Tit. 3: 8 et τῷ Χριστῷ 2 Tim. 1: 12(1), et πίστις πρὸς τὸν Θεόν 1 Thess. 1: 8 et πρὸς τὸν Κυρίον Phil. 5, et πιστεύειν ἐπὶ τὸν Θεόν Rom. 4: 5, 24, et ἐπὶ τὸν Κυρίον I. X. Act. 16: 31; 22: 9, sive ἐπὶ Χριστῷ 1 Tim. 1: 16; Rom. 10: 11; 9: 33, et passim quoque πίστις εἰς Χριστόν Act. 19: 4; 20: 21; Rom. 10: 14; Gal. 2: 16; Phil. 1: 29; Col. 2: 5, atque πίστις Ἰησοῦ Rom. 3: 22; Gal. 2: 16, 20; 3: 22; Eph. 3: 12; Phil. 3: 9(2), quae proponendi ratio in ipsa re Christiana est fundata, in qua quippe nemo nisi per Christum, i. e. per

(1) Verba quae hic occurrunt: οἶδα ᾧ πεπίστευκα de fiducia in Christum reposita esse accipienda, patet imprimis in iis, quae Paulus deinde, haec explicans, affert de Christo, qui sit πιστός, isque maneat, etiamsi nos ἀπιστῶμεν 2: 10—31.

(2) Varias has formulas accurate lustravit RAUWENHOFF, in *Disq. de δικαιώσει*, p. 88 sqq., in conclusione p. 96 discrimen inter illas obtinere dicens hoc, ut πιστεύειν εἰς Χριστόν sit »Jesum agnoscere Messiam atque promissum Servatorem," ut homo »in Christi communione ἐν αὐτῷ ὤν [πίστιν ἐν Χριστῷ habens] hac fide cum Deo conjungatur, quam Jesus summam homini legem proposuit, qua gratus esse Deo possit, cujusque ipse auctor vivendo et moriendo fuit (πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ)." Subtilius autem quam verius ita ad nostram accuratiorem cogitandi scribendique rationem Pauli quoque reduci loquendi usum, uti *omnium* quae occurrunt formularum diversissimarum comparatio sponte jam docet, ita speciali cura ostendit nuperrime LIPSIUS, *Paulin. Rechtfertigungslehre*, Leipzig 1853, p. 106 sqq., impr. 109—112. — Quod praeterea ad formulam πίστις Ἰησοῦ attinet, haec nil aliud significat, nisi *fidem Jesu habitam;* neque enim leges grammaticae, quod et ipse largitur RAUWENHOFF, l. l. p. 89, huic interpretationi obstant (Marc. 11: 22 πίστις Θεοῦ, 2 Thess. 2: 13 πίστις ἀληθείας i. e. τῇ ἀληθείᾳ coll. versu praecedenti μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ), neque verborum sententiaeve ubi occurrunt ratio; imo ipse contextus eam interdum postulat, v. c. Gal. 2: 16 ubi dicendi varietas (πίστις Χριστοῦ et τὸ πιστεύειν εἰς Χριστόν) ex euphoniae studio unice videtur explicanda, — impr. autem 2: 20: ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ, quae valde frigent, nisi explicentur de *fide Jesu habita propter hujus insignem amoris demonstrationem.* – Si vero ex Apocalypseos auctoris usu ad Paulinum concludere liceat, verba Apoc. 14: 12: ὧδε οἱ τηροῦντες τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν πίστιν Ἰησοῦ, cum similibus paulo antea dictis 12: 17: τῶν τηρούντων τὰς ἐντολας τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ comparata, probare videntur, formulâ illâ πίστις Ἰησοῦ ad normam *status constructi*, qui apud Hebraeos est in usu, indicari relationem intimam quae fidentem inter et Christum intercedit, ita ut fides Christo habita eâ significari videatur. Vide REUSS, *Hist. de la Theol.* II, p. 130. Conf. tamen quoque VAN HENGEL, *Interpretatio ep. ad Rom.* fasc. II, p. 313—318, qui formulam πίστις Ἰησοῦ *de fide cujus auctor est Jesus* explicandam censet.

fidem in Christo repositam, ad fidem Patri habendam pervenire potest (1).

Hujus autem πίστεως auctor est Deus, cui igitur gratiae sunt referendae maximae. Etenim Paulus et omnium quae sunt bona et eorum quoque, quibus Christiani gaudent, Deum agnoscens auctorem, ad hunc saepe lectorum oculos dirigere studet, 2 Cor. 5: 18: τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, Rom. 11: 36: ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Sed et specialiter fidei salutisque quam ex ea consequimur donum diserte adscribit gratiae Divinae. Ita v. c. Philippenses, ut summo studio suam ipsi beatitatem perficiant, adhortatus, Dei laudat εὐδοκίαν, i. e. benignitatem, e qua hoc sit derivandum, quod hujus officii peragendi et studium et vim suis acceperint animis, Phil. 2: 12, 13. — Multo magis etiam Dei gratiam hac in re celebrat in ep. ad Eph. 2: 8—10, ubi licet primum non ipsam πίστιν sed σωτηρίαν, quam διὰ τῆς πίστεως assequimur, appellet Θεοῦ δῶρον, tamen deinde, nos Θεοῦ dicit ποίημα, quos ipse Deus in Jesu Christo creaverit novosque veluti homines condiderit, ut jam (qui fidei essent fructus) bona opera perficeremus in iisque perficiendis ageremus vitam novam. Deus itaque uti universe τῆς κτίσεως, ita et spiritualis hujus quae in Christo exstat creationis, cujus initium est fides, unus est auctor. — Idem efficimus ex iis quae Paulus dicit Rom. 5: 1, 2: δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως, εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην ἐν ᾗ ἑστήκαμεν (2); his enim significat, nos Deo unice debere, quod fide adducti simus ad salutem hanc, qua δικαιωθέντες ἐκ πίστεως nunc fruimur. — Omnium autem luculentissime Pauli hac de re sententia conspicitur e loco Phil. 1: 29: ὑμῖν ἐχαρίσθη — — τὸ εἰς αὐτὸν (Χρίστον) πιστεύειν, quibus ipsis verbis gra-

(1) Ita et ipse Jesus de fide loquens hanc tum sibi tum Patri habitam postulabat. Vide Joh. 14: 1 et locos allatos a clar. VAN HENGEL ad Rom. 3: 22, *Interpret.* II, p. 314.

(2) Retinenda esse verba τῇ πίστει a TISCHENDORF aliisque deleta, probat MEYER, *Comm.* ad h. l. ed. 2, p. 143. Si quis autem ea omittenda censeat, teneat is, tum quoque eandem sententiam ab Apostolo esse prolatam, *nos per Christum adductos esse*, justificatos quippe ex fide, *ad gratiam hanc, in qua stamus*, caet. — Eadem praeterea sententia inest Rom. 12: 3, ubi sermo est de Deo, qui cuique ἐμέρισεν μέτρον πίστεως, quam fidem ipse Paulus a gratia Divina repetit vs. 4—6.

tiae Divinae deberi affirmat, quod fidem habeant in Christum. — Hinc quoque èt pro Christianorum fide gratias agit Deo, Col. 1: 3 sq.; 2 Thess. 1: 3, èt a Deo petit, ut πληρώσῃ ἐργὸν πίστεως, 2 Thess. 1: 11.

Ita fidem donum habens e gratia Divina repetendum, eandem tamen non physica aut irresistibili *vi* Divina effectam in homine docet, contra, ut spiritualia omnia, ita etiam fidem Paulus agnoscit libere ab homine in semet susceptam. Neque pluribus opus erit hoc probare, quum cuivis sponte in oculos incurrat, idque semel animadversum vel sine ulla peculiari demonstratione intelligatur. Liberam enim nisi habuerit fidem, quomodo praedicatione sua ad eam incitare Ephesios, Romanos propter fidem laudare, aliis ipsorum ἀπιστίαν vitio vertere et poena Divina quam maxime severa plectendam esse docere potuit? Unum tantum afferre lubet locum, in quo Dei curam circa gentem suam describens hanc tamen, Prophetae verbis, tanquam populum ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα vituperat, Rom. 10: 21, qui locus, cum ipsius de semet testimonio se οὐκ ἀπειθοῦντα fuisse τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ Act. 26: 19 comparatus, illud quod statuimus, liberam et in ipso fuisse et in aliis excitatam esse fidem, omni dubio superius esse docet.

Jam vero haec fides e mente Pauli initium est et fons, ex quo bona omnia spiritualia homini affluunt. Discimus hoc jam ex eo, quod nil nisi unam hanc fidem in homine Christiano requirat, rite perspiciens, hanc vere adesse non posse, quin et novam vitam anteriori oppositam et virtutes reliquas omnes gignat. Hinc Euangelium dicit vim Divinam salutiferam ἐκ πίστεως εἰς πίστιν Rom. 1: 17, — Thessalonicensibus et Corinthiis apprecatur, ut fides ipsorum augeatur et increscat 2 Cor. 10: 15; 2 Thess. 1: 3, coll. 1 Thess. 3: 2, 3, — Colossensibus se gaudere scribit propter τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, quod in iis vidit, eos monens ut fiant ἐρριζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ (Χριστῷ) καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει, Col. 2: 5—7, — quin et eos antea abalienatos et hostes, nunc vero ad Deum reductos, dicit sanctos fore et inculpatos et irreprehensos coram Deo, modo maneant firmi et constantes in fide (εἴ γε ἐπιμένετε τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι), Col. 1: 21—23, conf. 1 Tim. 1: 5, 18; 3: 9. — Ita vitae novae fons et initium est fides, quae et ipsa augeri potest ac debet, et ad omnem virtutem et perfectionem ducit Christianos, donec tandem summum ejus vitae culmen attingimus, ita ut in nobis Christus μορφώθῃ et in nostris animis habitet

(κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις), Gal. 4: 19; Eph. 3: 17.

In his locis omnibus, quorum numerus facile etiam augeri possit, patet fidem Paulo esse in homine principium firmum, quod valeat ad homines totos quantos ad Dei Christique voluntatem transformandos. Eandem autem quoque laudat fontem unum, ex quo, Dei gratia moderante, bona omnia ad homines emanent. Nec tantum universe σωτηρίαν Eph. 2: 8—10 sive ζωὴν αἰωνίον 1 Tim. 1: 16 sequelam dicit ex fide profluentem, sed passim quoque singula enumerat, quibus per fidem homo Christianus fruatur: δικαιοσύνην ἐκ (διὰ) πίστεως s. ἐπὶ τῇ πίστει Rom. 1: 17; 3: 22; 5: 1; Phil. 3: 9, — ἐλπίδα δικαιοσύνης Gal. 5: 5, — πνεῦμα Gal. 3: 2, 5, 14; Eph. 1: 13; 2 Cor. 4: 13, — παρρησίαν Eph. 3: 12, peccatorum remissionem 1 Cor. 15: 17, — προσαγωγὴν πρὸς τὸν Πατέρα Eph. 2: 18; 3: 12, — υἱοθεσίαν Gal. 3: 26; Rom. 8: 15; Eph. 1: 5, conjunctamque cum hac κληρονομίαν Gal. 3: 29; 4: 7; Eph. 1: 14, — εἰρήνην πρὸς τὸν Θεόν, ἐλπίδα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ἀγάπην τοῦ Θεοῦ in cordibus nostris effusam Rom. 5: 1—5. — Singula haec, quae uno salutis sive vitae aeternae nomine comprehendere solet Paulus, nobis nunc accuratius erunt contemplanda.

In describenda salute, quam per fidem nanciscuntur Christiani, ordiamur ab ipsa gratia Divina, suprema totius salutis origine: ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσεν· — τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα· — τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ ζωὴ αἰώνιος, Rom. 5, 15, 16; 6: 23.

Similiter ad Ephesios scribens Deum dicit benedixisse nobis, electis ante mundum conditum, ut sancti et inculpati evaderemus nosque praedestinasse ἐν ἀγάπῃ εἰς υἱοθεσίαν — — εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, 1: 3—6, coll. 2: 4—9; plenissime autem Tito suo summam, qua gaudent Christiani, beatitatem describens, hanc excluso hominis merito quocunque, ex uno Dei amore gratuito derivat, Tit. 3: 4 sqq: ὅτε δὲ ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ, οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸ αὐ-

τοῦ ἔλεος ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, ἵνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι κληρονόμοι γενηθῶμεν κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου.

Quod autem ad salutem ipsam attinet, hanc Paulus pro eorum, ad quos dicit scribitve ingenio, conditione, moribus saepe admodum variis, varia quoque ratione variisque undique desumtis dictionibus exponit. Etenim qui Judaeum se Judaeis Graecisque Graecum praebebat omnibusque se ita accommodabat, ut, vel in maxima formarum et rituum discrepantia, omnes tamen Christo se addicerent unamque efficerent Ecclesiam Christianam, idem ille optime noverat, se in exponenda doctrina Christiana, nisi ad lectorum auditorumve cogitandi sentiendique rationem respiceret, fructus omnino nullos posse sperare. Hinc diversitatem observare licet in Paulo, aliter dicente ad Judaeos Act. 13, aliter ad Graecos Act. 17, eandemque rem varia admodum ratione coram Synedrio Act. 22 ac coram Festo Act. 26 narrante; nec tantum in argumentandi ratione, quod diu jam observatum est, sed in ipsis quoque, quae profert, placitis, non semper manet idem. Exempla praebent epp. ad Rom. et ad Eph. Illa ad Judaeos et Judaeo-Christianos imprimis scripta ad horum argumentandi et cogitandi rationem est redacta, ita ut omnia theologice magis explicentur, quare religiosa et theocratica forma, Judaeis usitata, servatur; at in ep. ad Eph. Paulus licet, Dei summum in Christo mittendo consilium exponens 1: 3—10, 21—23, sublimior etiam sit quam in quavis alia ulla, omnia hîc tamen magis anthropologice sive a parte hominis explicat, quo melius a lectoribus Graecis, philosophiâ maxime excultis, intelligatur. Ita v. c. de peccato loquens Romanis scribit, *Deum* homines, ea quae ipsis *Deus* patefecisset non servantes, *tradidisse*, ut in pejora omnia ruerent (Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσεν 1: 19, διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς κ. τ. λ. 1: 24, 26, 28), eandem autem rem Ephesiis explicans dicit, Gentiles, abalienatos a vita Dei propter *ipsorum* ἄγνοιαν et πώρωσιν τῆς καρδίας, se *ipsos* obdurasse atque peccato *tradidisse* (ἑαυτοὺς παρέδωκαν Eph. 4: 17—19, coll. 4: 22 ἀποθέσθαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης). Quos porro in ep. ad. Eph. peccatis suis dicit esse νεκρούς quorumque statum describit ut ἐλπίδα μὴ ἐχόντων et ἀθέων ἐν τῷ κόσμῳ Eph. 2: 1, 5, 12, eosdem in ep. ad Rom.

ita peccato suo infelices describit, ut carere eos affirmet *Dei* gloria, *Dei*que judicio eos subesse dicat Rom. 3: 19, 24. Hinc quoque *Dei* justas peccatorum poenas minitantis ὀργή, quae in ep. ad Eph. uno tantum loco occurrit (5: 6, conf. tamen 2: 3 τέκνα φύσει ὀργῆς), in ep. ad Rom. saepius memoratur coelitus punitura, veluti Rom. 1: 18: ἀποκαλύπτεται ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ, 2: 5: θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, 5: 9: σωθησώμεθα ἀπὸ τῆς ὀργῆς, coll. 8: 1: οὐδὲν νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν X. I. Haec de peccato et homine peccante. — Ubi autem religionem Christianam describit, non minus in oculos incurrit discrimen. Ubivis enim in ep. ad Romanos *Deus* non modo salutis est auctor, quippe qui nos praenovit, praedestinavit, vocavit, justificavit, gloriam nobis praebuit, sed idem ille *Deus* est, qui homines ad μετανοίαν *ducat*, eosque ad se ipse reducat, καταλλάσσῃ, τὴν καταλλαγήν iis *praebens* 2: 9; 5: 10, 11; *Deus* est, qui spiritum Sanctum nobis *dederit* 5: 5, quem spiritum nos *accepisse* dicimur 8: 15, quin universe in toto hoc capite πνεῦμα, licet in nobis habitans 8: 9, proponitur tanquam aliquid a Deo procedens, quod liberet nos peccato 8: 2, ad cujus normam nobis sit vivendum 8: 4—6, quo duci nos oporteat 8: 14, quod una cum nostro ipsorum spiritu testetur, nos esse Dei filios 8: 16, cujus primitias tantum acceperimus 8: 23, quod precantibus nobis opitulet pro nobisque intercedat 8: 26, 27. Alia prorsus est ratio in ep. ad Ephesios. A Deo quidem ib iquoque omnia repetit Paulus, quin, quod modo jam monuimus, sublimius etiam de Deo speculatur; agit tamen philosophum, qui, et quid *homini* insit etquid, *homini* sit agendum, in lucem protrahit. Conversionem, cujus Rom 2: 9; 5: 10 *Deus* effector supremus dicitur, hîc *homini* perficiendam proponit, lectores monens, ut, qua ratione vixissent, nunc non amplius vitam agant, sed exuto veteri homine novum induant Eph. 4: 22—24. Spiritum autem a Deo Ephesiis apprecans 1: 17, aut tanquam donum Divinum laudans 1: 13, aut quem ne contristentur Ephesios monens 4: 30, tamen hunc multo magis et saepius, ut intus *in homine* ipso viventem et agentem commemorat quo interior homo fortiter corroboretur 3: 16, quo uno spiritu utrique et Judaei et Graeci animati unum efficiant corpus conjunctimque ad unum eant Patrem 2: 18, 22; 3: 3, 4, cujus in iis agentis fructus proferant ipsi 5: 9, quo ducti semper et ubivis precentur 6: 18, quo denique toti quanti impleantur 5: 15. — Quanta autem sit diversitas in utraque epistola observanda in nulla re clarius

patet, quam in hac, quod, quae et in ep. ad Rom. et in reliquis fere omnibus saepissime laudatur δικαίωσις, δικαιοσύνη παρὰ τῷ Θεῷ, haec coram Ephesiis ne memoretur quidem. Illae enim formulae, actum Dei, hominem qui fidem habet justum agnoscentis, statumque felicissimum illum, quo gaudet homo, ad quem probans hoc Dei judicium est perlatum, indicantes, in theologia Judaica originem habent, salutemque hominis Christiani ratione religiosa sive theologica aut potius theocratica delineant. Haec vero *contemplandi ratio* in ep. ad Eph. prorsus desideratur, etsi *res* sine dubio occurrat; etenim philosophice magis, *hominis* ratione habita, salutem in Christo acceptam describens, dicit homines fidem habentes accepisse πνεῦμα, quo ad Deum *Patrem* adducti (προσαγωγή) in *filiorum* statum (υἱοθεσίαν) perveniant.

Itaque, quum constet, ipsum Paulum, pro varia eorum quos ob oculos habet animi mentisque conditione, duplici ratione salutem, quae ex fide profluit, exponere, aut Dei magis ratione habita (theologice, religiose s. theocratice, impr. in ep. ad Rom.), aut hominis potius (anthropologice s. philosophice in ep. ad Eph.), nos quoque, in Pauli doctrina explicanda hujus ipsius vestigia sequentes, duplicem hunc proponendi modum servabimus, et prius de δικαιώσει, deinde de προσαγωγῇ et υἱοθεσίᾳ et quae cum utrisque cohaerent singillatim agemus.

5. Supra jam de fide scribentes, hanc vitae novae Deo Christoque dicatae vidimus esse principium, ex quo veluti fonte et virtutes reliquae omnes et ipsa Christianorum salus sponte profluant. Vidimus item, Deum voluisse, ut homines fide ipsius amorem in Christo demonstratum amplecterentur eaque perducerentur ad totos se ipsi tradendos. Ex his jure efficimus, fidem unum esse principium unamque vim in nobis sitam, qua in rectam q. d. relationem cum Deo pervenire possimus. Hoc ipsum Paulus enuntiavit, dicens hominem sola fide habita *justificari coram Deo*, δικαιοῦσθαι διὰ τῆς πίστεως Rom. 3: 21, 30; Gal. 2: 16; ἐκ πίστεως Rom. 3: 26, 30; 9: 30, 32; 10: 6; Gal. 2: 16; 3: 8, 11, 24; 5: 5; πίστει Rom. 3: 28; ἐπὶ τῇ πίστει Phil. 3: 9; ὁ πιστεύων δικαιοῦται Act. 13: 39; Rom. 10: 4, 9; Gal. 3: 6; δικαιοσύνη πίστεως Rom. 4: 11, 13; ἡ πίστις λογίζεται εἰς δικαιοσύνην Rom. 4: 3, 5, 9, 22—24. Δικαιοσύνη haec Israëlitis jam erat indicata tanquam summum, ad quod tenderent bonum, legisque cultoribus propositum praemium, quod ὁ ποιητὴς τοῦ νόμου acciperet, Rom. 10: 5;

Gal. 3: 12, coll. Rom. 2: 13; 8: 3. Scilicet prouti in civitate is justus censetur, qui omnia legis praecepta officiaque praestanda et erga civitatem et erga singulos accurate servat perficitque, ita quicunque civis regni Israëlitici legi, a Deo summo rege constitutae, in omnibus obediebat, is justus erat, rectamque ad quam tendere civem oportebat relationem erga Deum regem erat assecutus privilegiisque omnibus civitatis theocraticae fruebatur. Qui legi non obsequebatur, his privilegiis destituebatur, poenas luebat aut e civitate adeo mortis supplicio erat delendus, nisi mature resipisceret, ad Jehovam rediret et per hujus clementiam denuo justus pronuntiaretur, quippe ad justam cum Jehova ipsiusque regno theocratico relationem reversus: quo facto Dei favore et civitatis Divinae privilegiis omnibus denuo ei frui licebat. Pauli autem tempore Judaei in externis paene unice haerentes superbe gloriabantur, se legi obtemperando penitus justos se praestare posse, imo Dei mereri favorem. Paulus vero, sua ipsius experientia et imprimis Christiana institutione edoctus et ad magis excultum virtutis et pietatis sensum adductus, aperte nunc praedicabat: *neminem veram justitiam sibi acquirere posse ex lege*, excitante quippe magis quam cohibente peccata; hanc autem, patribus promissam a Prophetisque exspectatam et praedicatam, Deum nunc hominibus offerre per Christum, iis nempe qui *fidem* habeant, *τοῖς ἐκ πίστεως* Rom. 3: 26.

Erit itaque *δικαίωσις* accipienda sensu theocratico de Dei actione, qua peccator fidem Deo Christoque habens justus agnoscitur a Deo, quia in eam per fidem pervenit cum Deo relationem quam ipse Deus vult, quae igitur non potest non esse recta hominis ad Deum relatio. Congruit haec formulae illius interpretatio tum fidei notioni tum Dei agendi rationi quam apud Paulum invenimus. Ita autem de ea statuendum esse cogimur tam vocabulorum quae huc pertinent germana significatione (1), quam, qui ante omnia consulendus est, usu Paulino. Ipse autem Paulus, unus ex omnibus Apostolis hoc jus-

(1) Hanc et e Graecis scriptoribus classicis et ex usu LXX interpretum accurate eruit RAUWENHOFF, *De δικαιώσει* p. 6—21. Quin et LIPSIUS, quamvis in multis se huic opponat, fatetur tamen formulae *δικαιοῦσθαι παρὰ τῷ Θεῷ* Gal. 3: 11 (coll. Rom. 3: 20 *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ*, 2: 11 *δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ*, 4: 2 *πρὸς τὸν Θεόν*), nihil inesse nisi *a Deo justum agnosci;* » in den Augen Gottes als ein Gerechter erscheinen oder durch den Richterspruch Gottes fur rechtbeschaffen erklärt werden." — »Sonach ist allerdings in diesem Zusatze *παρὰ τῷ Θεῷ das Verhältniss* ausgedrückt, *in welchem der δίκαιος zu Gott steht*," *Paulin. Rechtfert.* p. 11, 12.

tificationis placitum adhibens, et tamen non semper (v. c. Eph. et Col.) in rei Christianae expositione aliquem huic placito locum assignans, satis ostendit, se Judaeorum et Judaeo-Christianorum tantum gratia hac *forma*, e theocratia desumta, ipsis cognita esse usum.

Ulterius autem explorantibus, quae sit δικαιοσύνη παρὰ τῷ Θεῷ sive quid τὸ δικαιοῦσθαι, primum in oculos incurrit, Paulum varia admodum ratione de ea loqui, ita ut ėt dicat, praesente tempore adhibito, hominem fide *justificari* (Rom. 3: 28 λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, 3: 24 δικαιούμενοι, conf. 3: 21, 26; Gal. 3: 8; Phil. 3: 9), ėt praeterito tempore *justificatos* nos dicat (Rom. 5: 1 δικαιωθέντες ἐκ πίστεως, conf. 5: 9; 8: 30; 9: 30; 1 Cor. 6: 11; Tit. 3: 7), ėt vero *acquirendam* proponat *justificationem* tempore futuro, loquens de spe nostra fore, ut justitiam, scil. coram Deo, assequamur (Gal. 5: 5 ἡμεῖς πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα, conf. Rom. 3: 30; 5: 19; Gal. 2: 17). In his patet, Paulum non unum quendam ob oculos habere Dei actum, quo semel justos nos declaret Deus, sed δικαιοσύνην παρὰ τῷ Θεῷ ipsi esse *statum illum hominis*, *quo* et jam aliquamdiu et nunc et semper *in recta ad Deum relatione versetur* (1).

Justificatio porro arcte cohaeret cum peccatorum remissione, quin in locis nonnullis hac ipsa constare videtur, Rom. 4: 6—8; 3: 23, 24. Vinculum si quaerimus quod inter utramque intercedit, dicendum videtur justificationem sumere peccatorum remissionem a Deo exhibitam et ab homine acceptam, sive hominem nullum a Deo justificari, nisi qui, persuasione accepta Deum velle peccata non respicere, fide Deo adhaereat, quam fidem sine spe remissionis peccatorum in homine oriri non posse vicissimque ipsam remissionem reapse per fidem acquiri supra vidimus, p. 88 sqq. Enuntiavit hoc Paulus Rom. 3: 23—25: πάντες γὰρ ἥμαρτον — δικαιούμενοι δωρεὰν

(1) Uberius hac de re egit LIPSIUS, *Paulin. Rechtfert.* p. 43 sqq., quorum summa huc redit, p. 48: »Die δικαίωσις als Herstellung und Versicherung der göttlichen Wohlgefälligkeit kann einmal als eine bloss vorläufige, ideell vollendete, und so dann wiederum als eine auch definitive, reell vollendete gefasst werden.“ His se opposuit DÜSTERDIECK (*Allgem. Repertorium von* REUTER, Nov. 1854 p. 133 sqq.), distinguens inter δικαίωσιν quam *unum* dicit Dei actum, qui statim fidem sequitur neque unquam a Paulo futuro tempore proponitur, et inter δικαιοσύνην, quae, ubi futuro tempore *acquirenda* a Paulo dicitur Gal. 5: 5, ipsi est »die noch zu hoffende δικαιοσύνη, welche im Gerichte von Gott zuerkannt wird.“

τῇ αὐτοῦ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, » quotquot peccaverunt justificantur διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, quae est in Christo Jesu", quae liberatio hac re constat, quod in Jesu αἵματι data sit peccatorum nostrorum expiatio, quam fide suscipiamus.

Haec autem fides necesse est ut adsit: λογιζόμεθα οὖν δικαιοῦσθαι πίστει ἄνθρωπον. Qui fidem non habet, is in recta cum Deo relatione non versatur, neque justus a Deo agnosci aut tractari potest. Judaei gratiam Divinam nescientes aut negligentes, uti et ipse Paulus ante conversionem, suam sibi salutem mereri, adeoque suis ipsorum operibus, lege praescriptis, perficiendis δικαιοσύνην sibi comparare conabantur. Haec est ἡ ἐμή, ἡ ἰδία δικαιοσύνη, Phil. 3: 9, Rom. 10: 3; δικ. ἐκ νόμου, ἐξ ἔργων νόμου, ἐξ ἔργων, Rom. et Gal. passim. Sed suis ipsorum viribus freti, non potuerunt non misere proposito excidere, quum nemo voluntati Divinae, ex lege aut Mosaica aut morali cognitae, in omnibus possit respondere, nullaque operum series, quantumvis bonorum, talis esse queat ut Deo, ad animum non ad opera externa attendenti, placeat. Itaque opera non sufficiunt, quibus in rectam ad Deum relationem perveniat homo, Rom. 3: 20: ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ, Rom. 3: 28: λογιζόμεθα οὖν δικαιοῦσθαι πίστει ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. Πίστις autem una valet, eaque prorsus sufficit. Neque enim haec est *conditio* quaedam, Dei arbitrio sic proposita, ut sine causa idonea promulgaverit, velle se praebere δικαιοσύνην, modo homines fidem habeant; neque meritum est, ob quod Deus nunc homini, conditionem hanc accipienti, justitiam aut largiri *debeat* aut benevole *imputet*; — imo vero est *causa* una moralis ac spiritualis, δικαιοσύνην sponte secum ferens. Docemur hoc innumeris illis locis ubi de justificatione *ex fide* sermo est(1), in quibus ipsa structurae varietas vinculum indicat arctissimum, quo δικαιοσύνη et πίστις sic conjunctae sunt, ut ex altera, tanquam causa nascatur sponte, tanquam effectus, altera. Unum tamen expromemus Pauli effatum ipsius experientiam exprimens. Phil. 3: 9 se, Christo addictum, unum hoc nunc sperare dicit, fore, ut in Christo vivere comperiatur, μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου, ἀλλὰ

(1) Vide quos attuli p. 103.

τὴν ἐκ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει, quae posteriora diserte docent, justitiam a Deo Paulo datam esse super fide sive propter fidem, huic fidei adstrictam(1), quae explicatio praesidium etiam accipit ex comparata conversionis ad quam alludit historia: tunc enim, sola fide declarata, statim a Jesu tanquam justus erat tractatus Apostolusque creatus (2).

Itaque homo *δικαιοῦται* fide sua, *ἐκ πίστεως*. in quo ipso autem Dei quoque elucet *δικαιοσύνη*. Etenim non tantum est Deus, qualem multi volunt, non *ἄδικος*, imo est *δίκαιος* et *δικαιότατος*, quando justum habet *τὸν ἐκ πίστεως*. Discimus hoc Rom. 3: 25, 26: *ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι — — πρὸς τὴν ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ....* Deus, Christum tanquam *ἱλαστήριον*, quod homines *διὰ πίστεως* susciperent, exhibens, hoc ipso, quod *fidem*, qua justos eos agnoscere possit, ab hominibus exigit, summam suam justitiam i. e. sanctitatem omnemque perfectionem manifestat. Quocunque enim alio officio hominibus quo justificarentur mandato, aut quavis alia conditione posita, justus sanctusque non fuisset Deus, quum veram justitiam, sive justam cum Deo relationem gignere possit nihil, nisi ipsa fides, quam unam itaque in homine postulans justus est Deus. Haec fides

---

(1) Ita VAN HENGEL, *Comm.* ad h. l. Conf. Act. 3: 16: *ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, τοῦτον — — ἐστερέωσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ*. Accuratius Paulus fortasse scripsisset *τὴν ἐπὶ τῇ πίστει* non tamen opus erit propter hanc articuli omissionem verba *ἐπὶ τ. π.* referre ad verbum *ἔχων*, similiter omissum, sed, ut praecipit MEYER ad h. l., post *ἀλλὰ* cogitatione repetendum.

(2) Cum his, quae de justificationis cum fide vinculo exposuimus, conveniunt fere quae RAUWENHOFF habet, v. c. p. 93: »Habitu scilicet religioso illo, cujus auctor Christus vivendo et moriendo factus est, illa continetur hominis conditio, in qua justus a Deo haberi possit." Imprimis autem cap. V doctrinam de justificatione per fidem vindicans, multa profert, quibus hanc nec ethices indoli, neque Dei sanctitati repugnare ostendit. Ibi inter alia, postquam in memoriam revocavit, fidem Paulo virtutis verae esse principium ac fontem, ita pergit: »Quo circa justificari ex fide in systemate Paulino idem est atque justificari propterea, quod justus es [coram Deo], quippe cum fide omnis contineatur perfectionis humanae principium et fons," p. 106. Haec viri doct. verba ideo potissimum allegamus, quum p. 51 sententiam improbet eorum, qui statuunt »hominem, per fidem Jesu habendam, in hanc vitae conditionem et relationem cum Deo pervenire, qua Deo acceptus esse possit;" quod sane non multum differt a conditione, in qua justus a Deo possit haberi.

enim eo valet non tantum, ut *justos habere* nos possit Deus benevolus, sed ut vere *justi fiamus* coram Deo justo, ut et ipse Paulus dicit: *τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γενώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ*, 2 Cor. 5: 21 (1). — Haec si comparantur cum iis quae supra de fide diximus, existimandus est Deus, qui salva sua justitia neminem injustum declarare potest justum, ex Pauli sententia peccatorem justum agnoscere et tractare, quia, fidei suae vi, èt jam coram Deo revera justus *est*, i. e. *in justa cum Deo, relatione jam vivens*, èt *fit* huic Deo justissimo sanctissimoque sensim magis simillimus atque adeo *Dei judicio comprobandus*. Homo enim fidem in Christo Deoque reponens eo ipso principium in se habet, quod virtutes omnes veramque justitiam sponte sua gignet. De hac fide homines reliqui judicium ferre nequeunt, nisi ex operibus inde profluentibus ex totiusque vitae ratione immutata, quamvis et haec certam normam nullo modo praebeant; Deo autem internum hominem pernoscenti talibus externis signis, quibus homo ipsi acceptus fiat, non opus est; ad hoc Illi jam sufficit illud principium, quod videns judicare potest, num satis firmum sit ac sincerum, ut vitam totam immutet fructusque ferat bonos. Ita Christus latroni in cruce pendenti, etiamsi nullum dederat specimen, quo conversionem suam veram esse ostenderet, sola fidei professione, introitum in paradisum promisit, cernens quippe eum esse hac animi conditione, ut sive his in terris sive in coelis, externis quoque operibus fidei suae sinceritatem esset manifestaturus. Ita Paulum quoque, antequam quidquam perfecerat, Christus, quia in ipsius animo eam jam locum habuisse videret conversionem, qua tota mox vita esset immutanda, justum eum habebat, i. e. èt nunc jam in recta cum Deo relatione viventem, èt propter id ipsum magis magisque sanctum futurum. Ut autem Christus ita etiam Deus, fidem in interno homine conspiciens, hunc justum agnoscit tractatque antequam vel unum externum animi ad Deum conversi dederit documentum; hinc vel ipsum *ἀσεβῆ* Deus dici potest justum agnoscere, Rom. 4: 5, i. e. vel eum, qui et fuit et ex hominum judicio etiamnum habetur injustus et improbissimus, Deus, modo fide habenda animum conversum ipsi Deo significaverit, justum habet. Verissime

(1) A nemine hoc plenius, alienis tamen quoque multis permixtis, expositum est, quoad scio, quam a LIPSIO, *Paul. Rechtfert.* p. 146—151. Conferantur etiam quae supra p. 89 de loco Rom 3: 25, 26 dicta sunt, imprimisque quae mox de re ipsa afferentur.

itaque cum Paulo dicendus est Deus δίκαιος, quippe δικαιῶν τὸν ἐκ πίστεως (2).

Hanc autem agendi rationem Dei naturae prorsus consentaneam esse, ex hoc insuper liquet, quod illa persuasio se ἐκ πίστεως δικαιωθῆναι peccatorem ad bona quaevis sectanda incitet. Est hoc in hominis natura fundatum. Ut enim peccati conscientia culpaeque sensus hominem a Deo abalienant resipiscentiamque in dies reddunt difficiliorem, ita nihil est quod peccatori majorem indat vim ad Deum redeundi Deoque obsequendi quam persuasio, olim perpetrata peccata a Deo non respici Deumque amore erga ipsum duci eumque in agendis bonis, quae conversus facit studetque, esse adjuturum. Quam duplicem persuasionem cum teneat ille, qui δικαιωθέντα se cognovit ἐκ πίστεως, εἰρήνην nunc habet πρὸς τὸν Θεόν, simulque vel mediis in calamitatibus servat ἐλπίδα constantem, amoremque a Deo in corde suo effusum sentit, Rom. 5: 1—5. Hinc Paulus saepius δικαιοσύνην, quam coram Deo habent homines, etiam cum ἁγιάσμῳ ita conjungit, ut pateat necessitudinem inter utramque, justificationem et sanctificationem, obtinere arctissimam, 1 Cor. 1: 30; 6: 11; Tit. 3: 5 coll. 7. Hoc Dei quoque in δικαιώσει esse consilium, ut homines justificatione accepta sanctitati studeant, Paulus effert dicens Rom. 1: 17, Deum patefecisse δικαιοσύνην ἐκ πίστεως, ut sic ad pleniorem perfectioremque fidem duceretur homo, εἰς πίστιν, ut fides majorem in dies pareret fidem(1). — Jam in eo sumus, ut sponte intelligamus,

(1) Egregie hoc etiam illustratur iis, quae IMM. KANT, *Rel. innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft*, Erstes Stück, Allgem. Anmerkung, Werke VI, p. 208 sqq., ed. 1839, dicit: in homine, qui a peccato se avertit sanctitatique studet, duo adesse oportere: èt *revolutionem*, qua internus homo mutatur et veluti regeneratur, èt, qua haec patefit, morum emendationem sive *reformationem* sensim progredientem; mentis illam animique et voluntatis revolutionem principium esse, ex quo externa actionum morumque reformatio non possit non oriri; hac quidem opus esse hominibus, ut de alicujus virtute judicium ferant qualecunque, Deum autem, intimum hominem pernoscentem, spectare tantum revolutionem illam, cujus sequelae, etsi longo temporis successu demum prodituraе, jam statim Ipsi omniscio pateant, Deumque igitur ex hac sola revolutione sive regeneratione, morale de quovis homine ferre judicium.

(2) Conf. etiam locus supra jam excitatus 2 Cor. 5: 21: ἵνα ἡμεῖς γενώμεθα δικαιοσύνη ἐν αὐτῷ, in quibus etsi δικαίωσις reticetur, ita tamen haec intelligenda est, ut Pauli sententiam his verbis circumscribere liceat: Jesum morte sua pro nobis peccatoribus peccatorum tulisse sortem, ut nos, fidem ei habentes et sic δικαιωθέντες, ipsi fiamus sancti. — Ad locum Rom. 1: 17 vid. RAUWENHOFF p. 108.

quid de eorum, qui justificationem et sanctificationem inter se permutent, sententia sit statuendum. Hîc enim est inter utramque finis, quem Reformatores universe recte servarunt, dicentes, Deum peccatorem ex fide *justum habere* non *facere*, ultra quem finem Romano-Catholici progredientes δικαίωσιν dixerunt Dei actum, quo justus et *habeatur* et *reddatur* peccator. Quid in utrorumque sententia insit veri, exposuimus. *Deus justum agnoscit peccatorem fidentem, quia* (Dei ratione habita) *justus est*, quippe ad justam cum Deo relationem reversus, eoque ipso eum incitat Deus, *ut magis fiat* vita omni moribusque erga Deum hominesque *justus sanctusque:* ἀποκαλύπτεται δικαιοσύνη Θεοῦ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν.

Unum tamen tenendum est idque gravissimum, δικαιοσύνην παρὰ τῷ Θεῷ homini non contingere nisi gratia Divina. Et hoc duplici ratione. Non tantum enim, ut omnia, quibus homo fruitur, ita hoc quoque beneficium, quod fide cum Deo conjungi *possit*, Dei adscribendum est gratiae, sed et hoc quod per fidem a Deo justus *agnoscatur*. Fides enim quamdiu in his terris versamur, imperfecta admodum est et vacillans, ita ut homo vel optimus saepe eam non constanter servet, inque antiquam peccati sordem saepius relabatur. Attamen Deus sciens, quid ab homine imperfecto, peccatis infecto semperque ad peccandum incitato, exspectare possit, infinita sua gratia fidem, etsi imperfectam et debilem, tanquam melioris perfectaeque fidei primitias accipere hominemque fidentem justum agnoscere vult, imo vero etiam ipse per Christum constanter eum corroborare et perfectiorem reddere vult, et sine dubio reddet, dummodo in fide perseverant homines, conf. Col. 1: 23. Quam fidem si homines non servant, ab illa δικαιοσύνῃ sive a Dei χρηστότητι decidunt, Rom. 11: 22. Sin vero cavent ne a fide desciscant atque amori Divino obsequentes Deo Christoque sese confidere perseverant, hujus ipsius fidei vis omnino valet sufficitque ad hominem totum nisi hac in terra, in altera saltem vita (conf. 1 Cor. 13: 13: νυνὶ δὲ μένει πίστις), ita transformandum, ut Christus isque unus in ipso vivat. Quod Deus respiciens, salva sua justitia et sanctitate, quae in homine peccante desiderat clementer ferre fideique, perfectae olim, quae excitavit initia probare potest.

Hanc autem gratiam Divinam Paulus in justificatione agnoscens loquitur et de δικαιοσύνῃ Θεοῦ s. ἐκ τοῦ Θεοῦ, Deo auctori tribuens justitiam ex fide in Christo nunc patefactam Rom. 1: 17; 3: 21; 10: 3; Phil. 3: 9, et vero omnem fidei vim merentem abnegans celebrat τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς

τῆς δικαιοσύνης Rom. 5: 17, nosque dicit δικαιουμένους δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι Rom. 3: 24; conff. insuper 5: 21: 8: 30, 33; Gal. 5: 4; Tit. 3: 7.

6. Juxta hanc de δικαιώσει doctrinam, qua salus hominibus per Christum oblata theologice sive a parte Dei imprimis spectatur, alia quoque, ut jam monebamus, exstat apud Paulum ejusdem fere, saltem proxime conjunctae, rei explicatio anthropologice magis procedens; ita ut Apostolus, non tam Deum δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως ob oculos habeat, sed potius hominem Christianum contempletur, spiritu Divino, quem fide habenda in se suscepit, actum inque Christi communione sic cum ipso Deo junctum, ut *Dei filius* et dicatur et magis magisque fiat. Hic Christianorum status felicissimus, quem voce e Paulo desumta υἱοθεσίας comprehendere solemus, in epp. ad Rom. et Gal. pariter ac illa Dei δικαιώσις uberius exponitur; in ep. autem ad Ephesios inscripta ita unus Apostolo in dictanda epistola ob oculos versatus esse dicendus est, ut summum Dei consilium omnia sub Christo veluti capite recolligendi, et quae in coelis et quae in terris sunt, agnoscens, jam qua ratione homines in hujus regni sociorum numero adsciscantur, describat, hac scilicet ut *fide habita*, *per Christum ad Deum redeant Patrem germanosque et adultos se praebeant Dei filios.* Haec υἱοθεσία quomodo oriatur, qua re constet, quid secum ferat, nunc erit contemplandum.

Et hîc quoque, prouti supra, in exponenda Pauli de justificatione doctrina, initium petimus ab ea, quae una in homine postulatur eumque cum Christo conjungit, fide; haec omnium bonorum est fons; hac homo ad eam pervenit conditionem, quam, Dei Regis ratione habita, *justitiam*, Deum Patrem spectantes *filiorum statum* dicere possumus. Hinc Paulus omnes nos dicit esse Dei filios per fidem, πάντες υἱοὶ Θεοῦ ἐστε διὰ τῆς πίστεως, Gal. 3: 26.

Ut autem rite intelligamus, quid hac formula sibi voluerit Paulus, ante alia opus est, ut in memoriam revocemus populorum Orientis et imprimis Israëlitarum usum notionesque varias, quas illi, aliter quam recentioris aetatis gentes, *filii* voci tribuere consueverant. Etenim ab iis vox haec non modo adhibetur, ut indicetur origo corporea, sed etiam spiritualis, quae est magistri institutio, item quae inde profluunt dependentia, animorum consensus, amor mutuus bonorumque, haereditatis instar, commu-

nio (1). Jam vero Paulus ex popularium suorum usu, eandem hanc vocem, cui lectores sponte bona quaevis annectebant, adhibuit ad statum conditionemque Christianorum, in quam per Christum essent ingressi, significandam. Hanc autem vocabulo *υἱοθεσίας*, ipsi prae reliquis N. T. scriptoribus proprio, neque Graecis quoad scimus cognito, exprimere solet. Quaerentibus autem quid hac voce sibi velit Apostolus, duae nobis obveniunt significationes, quarum utraque suos nacta est patronos; alii enim, *primam* significationem tenentes, Paulum *actum adoptionis* cogitasse perhibent, quo nos *φύσει τέκνα ὀργῆς*, nunc adoptione *Θεοῦ τέκνα* factos esse statuunt; cui sententiae alii se opponentes *derivatam* unice Paulo ob oculos fuisse dicunt significationem, provocantes èt ad similium vocabulorum, *ὁροθεσία* (*terminus fixus*), *νομοθεσία* (*legum systema*) significationem, èt ad ipsos locos, ubi *υἱοθεσία* non Dei *actum*, sed hominum *conditionem* designat, adeoque verti jubentes: *statum filiorum*. Utraque significatio voci quidem inest; loca autem, quibus haec vox occurrit, inspicientibus patet *υἱοθεσίαν*, ubi opponitur *τῇ δουλείᾳ servorum statui*, necessario designare *filiorum statum*, Rom. 8: 15; Gal. 4: 5, 6, pariter Rom. 8: 23, coll. 19; contra Eph. 1: 5 *υἱοθεσία* a parte Dei magis spectatur, ita ut sit *status filiorum*, ad quem *Deus homines ducit;* nec tamen hîc cogitandum esse de *adoptione*, liquet ex comparatione loci similis Rom. 8: 29: *προώρισεν συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*. Denique locus Rom. 9: 4 nihil ad vocis significationem stabiliendam affert. — Est ergo *υἱοθεσία status filii*, ad quem Deus hominem *ducit*, mox magis subjective in homine, mox magis objective a Deo procedens (2).

(1) Videatur omnino J. G. DE HOOP SCHEFFER, *Onderzoek naar de beteekenis der zegswijze kinderen Gods*, *bij* Jezus, *bij* Johannes *en bij* Paulus, in *Waarh. in Liefde*, 1849, IV, p. 714 sqq., qui loca huc spectantia e V. et N. Foedere citavit.

(2) De verbis illis conff. lexicographi, v. c. BRETSCHNEIDER in voce. Υἱοθεσίαν significare *filiorum statum*, non adoptionem, agnovit etiam G. VISSERING, in nova N. T. versione Nederlandica eam vertens *zoonschap*, addensque ad Rom 8: 15: »*Zoonschap*, letterlijk *zoon-stelling*, aanneming tot zonen. Dat evenwel de Ap met dit woord niet de *daad* van aanneming wil aanduiden, maar den *toestand*, die de *vrucht* is der aanneming, blijkt daaruit, dat hij het verbindt met *geest*, en als tegenstelling laat voorafgaan: *geest van dienstbaarheid*." Pariter DE HOOP SCHEFFER, l. l. p. 736, qui insuper ad discrimen attendit, quod inter Graecorum *adoptionem* et Pauli *υἱοθεσίαν* intercedit; est hoc triplex: 1°. *υἱοθεσία* apud Paulum refertur ad eos, qui antea jam erant *liberi*, non vero ad *alienos;* 2°. non est *actio* sed *conditio*, uti patet in iis quae

Pertinet *υἱοθεσία* ad summum illud consilium, quod ab aeterno cepit Deus, nos in Christo beandi: hinc Paulus Deum dicit amore infinito ductum nos praedestinasse, ut ipsius fieremus filii, *ἐν ἀγάπῃ προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ* Eph. 1: 15, coll. 3: 11, 12; Rom. 8: 29; quod quum per gentem Israëliticam toti generi humano impertiri statuisset Deus, illius prae aliis, etsi hoc priviligo uti asperneret, jure tamen esse dicit *υἱοθεσίαν* gloriamque ex ea profluentem Rom. 9: 4, quam nunc ex Prophetarum vaticiniis ad Gentes translatam esse monet 9: 26: *ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐρρέθη αὐτοῖς· οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ Θεοῦ ζῶντος* (1). Sed ante Christum eo non pervenerant homines, ut Dei dici possent filii. Gentium, in maxima ignorantia versantium nullisque non peccatis deditarum, statum infelicissimum describit Paulus Eph. 2: 1—3, 5, 12—19. Erant sine Christo, privilegiis omnibus quibus Israëlitae gaudebant destituti, longe a Deo abalienati, *ξένοι* et *πάροικοι*, verbo *ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ* et *τέκνα ὀργῆς*. — Et vel ipse Dei populus, quamquam caeteris longe praestans pluribusque beneficiis excellens, Rom. 9: 4, 5, ad eam nondum provectus erat maturitatem, quae est filiorum Dei. Versabatur enim hic in statu minorennium, servorum ad-

---

τῇ υἱοθεσίᾳ opponuntur, *νηπιότης* et *δουλεία;* 3°. Paulum loqui de *υἱοθεσίᾳ*, non de adoptione *puerorum*. Conff. praeterea F. J. J. A. JUNIUS, *Over het zoonschap der Christenen, naar de voorstelling van* PAULUS, in *Waarh. in Liefde*, 1845, II, p. 246 sq. REUSS, *Hist. de la Theol.* II, p. 157. — Mirandum omnino Doct. VAN BELL in censura versionis N. T. quam dedit VISSERING (*Godgel. Bijdragen*, 1855, IV, p. 267 sqq.) post omnia, quae exposuerunt JUNIUS et DE HOOP SCHEFFER, l. l. et monuit quoque A. NIERMEYER, *Verh. over de echtheid van den brief aan de Efeziërs*, p 51, etiamnum dicere potuisse p. 279, *υἱοθεσία* non vertendum esse *zoonschap*, sed *aanneming tot kinderen of zonen*, itemque p. 280, quia non ubivis discrimen inter *υἱοὺς* et *τέκνα* servatur, atque ne feminae Christianae excludantur, »om den wil der *zusters*," versioni *aanneming tot kinderen* favendum esse.

(1) Plerique interpretes locum illum, Rom. 9: 4, aliter explicant, ut non de dignitate et gloria filiorum, quae jure Israëlitarum (non Judaeorum) esset, qua vero repudiata hucusque non essent gavisi, sit sermo, sed de illa *υἱοθεσίᾳ* et *δόξᾳ*, quae facto jam aliquatenus sub Veteris legis oeconomia exstabat, quod ut probent plurimi afferunt loca; cf. v. c. PHILIPPI ad h. l. Non video autem, cur alio vox *υἱοθεσία* sumenda sit sensu, quam qui in praecedentibus Rom. 8: 15, 19, 23, 29 obtinet. Hanc enim significationem si tenemus, intelligimus dolorem Apostoli, quod maxima illa beneficia *υἱοθεσίαν* et *δόξαν*, quorum cap. 8 meminerat, quorumque participes jure suo esse potuissent Israëlitae, negligerent nunc prorsusque respuerent, 9: 1—4. Conf. etiam JUNIUS, l. l. p. 254 sq.

instar legis jugo serviens. Νήπιοι erant, infantes, paedagogo subjecti, adeoque imbecilles, ut opus esset custode, qui maxima cum severitate Dei Regis, non Patris, voluntatem consiliaque cum ipsis communicaret, Gal. cap. 3, 4. Hinc, amorem qualis est puerorum erga patrem non noscentes, spiritu servitutis regebantur, et non quae lex juberet, sed ad quae carnis cupiditatibus incitarentur perpetrantes, peccati carnisque erant servi, Deo inimici, miserrimi, Rom. 5: 10; 7: 24; 8: 3, 7, 15. Judaei pariter atque Gentes erant ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου (τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ) δεδουλωμένοι, Gal. 4: 3, 9; Col. 2: 8, 20.

Ex his humanum genus duxit Christus, a Deo missus ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν, Gal. 4: 5. Is enim est Dei ille Filius, ad cujus imaginem nos transformare vult Deus, ut sit ille primogenitus ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς Rom. 8: 29. Ille, per quem nobis υἱοθεσίαν donare constituerat Deus, Eph. 1: 5, mediator est, παρρησίαν et πεποιθήσιν nobis praebens, qua Deum *Patrem* adire possimus (προσαγωγὴ πρὸς τὸν Πατέρα) 2: 18; 3: 12.

Quanam autem via in hunc filiorum statum pervenimus? — A Theologis quibusdam υἱοθεσία ita saepe est proposita, ut ad normam adoptionis, quae apud Graecos Romanosque obtinebat, Deus diceretur, Christi sacrificio ad id adactus, hominem indignissimum quoque et sceleratissimum, modo crederet i. e. dogmatibus nonnullis assentiri se profiteretur, justum nunc considerare, filii instar tractare bonisque omnibus et haereditatis spe donare. Quae cogitandi ratio etsi multum jam evanuerit, sunt tamen plures, qui, a Deo omnia repetentes, υἱοθεσίαν quoque ita ad unum referant Deum, ut haec externe cum homine communicata videatur nullaeque fere ipsius hominis in ea sint partes. Contraria omnino est Pauli ratio. Deus Paulo quidem est is, a quo omnia hominibus contingant, ex cujus voluntate et beneplacito υἱοθεσία nobis paretur, quo auctore Christus coelitus sit missus, ut filii nos fieremus, quo adjutore denique tantum hoc attingere possumus: — homini autem ab altera parte non pauca incumbunt perficienda, ut, quae Deus praebet, arripiat in suumque usum convertat. Hominis est τὸ πιστεύειν, quod quanta involvat, supra vidimus; tanta autem rursus secum fert, ut homo eâ unâ ductus, dici non tantum possit, sed re ipsa quoque fiat Dei filius. Universe hoc enuntiat Paulus Gal. 3: 26: πάντες υἱοὶ Θεοῦ ἐστε διὰ τῆς πίστεως, Eph. 3: 12: ἔχομεν — — τὴν προσαγωγὴν (sc. πρὸς τὸν Πατέρα 2: 18) — — διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ. Aliis autem locis uberius exponit viam qua,

fide habenda, Dei filii evadamus. Etenim qui fidem habet, i. e. qui totum se mente animoque Deo tradit, is spiritum Dei agnovit, hunc in cor suum recipit, hoc se in omnibus duci patitur. Divinam illam spiritus communicationem attingit Paulus v. c. Eph. 1: 13: *ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν, ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ.* Disertius etiam Galatas, quos ad legis obsequium antiquumque pueritiae statum iterum regresssos audiverat, ut ab hoc incepto retineat, prima illa Euangelii annuntiati tempora in memoriam revocat, rogatque *ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε, ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως;* Gal. 3: 2, 5, quam eandem sententiam deinde positive enuntiat 3: 14: *ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος λάβωμεν διὰ τῆς πίστεως*, coll. 5: 5; 2 Cor. 11: 4; Rom. 5: 5.

Spiritus hic, quem omnes qui fidem habent in semet recipiunt, est ipsius Dei spiritus, qui, quum plenissime quoque in hujus Filio habitet et per hunc in Christianis excitari atque ali debeat, Christi interdum dicitur spiritus, Rom. 8: 8, 11, 14; 2 Cor. 3: 17, 18; Gal. 4: 6. Hoc *πνεύματι* (*τῷ ἐκ Θεοῦ, Θεοῦ, ἁγίῳ*) Christus ita est animatus, ut totus quantus eo ducatur eumque in sectatoribus omni sua vita excitet; quam ob rem Paulus Christum etiam dicere potuit *τὸ πνεῦμα*, *ipsum spiritum* 2 Cor. 3: 17. Quin hic Dei spiritus, in Christo habitans et per ipsum alios sanctificans, huic est causa, ut sit Dei *Filius*, Rom. 1: 4: *τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ — κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης.* Eodem autem quotquot animati sunt et ducuntur spiritu Dei, ii Dei sunt filii, *ὅσοι γὰρ πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοι υἱοί εἰσιν Θεοῦ* Rom. 8: 15. Etenim *πνεῦμα* hoc est novum principium per Christum in homine excitatum, quo totus quantus immutatur renovaturque (*ἀνακαινώσις πνεύματος ἁγίου* Tit. 3: 6); hoc spiritu ductus carnem, quae ad quodvis peccatum sollicitat et impellit, superare potest. Haec enim duo *πνεῦμα* et *σάρξ* sibi invicem sunt opposita Gal. 5: 17; *σάρξ*, si ei obtemperatur, ad peccatum mortemque ducit, *πνεῦμα*, si regnat, virtutem omnem sanctitatemque et vitam aeternam parit Gal. 5: 19sqq.; 6: 8. Quamdiu *σάρξ* regnat, homo Dei legem non curat, imo ejus fit inimicus Rom. 8: 7, neque igitur ejus dici potest filius; Christiano autem est enitendum, ut *πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος* interimat Rom. 8: 12, spiritumque Dei in se acquirat habitantem atque vigentem, ita ut sit ipse in Christo atque Christus in ipso, sitque simillimus Christo Dei filius. Christianos tanquam Dei filios cum Christo

Dei Filio solet componere Paulus. Gal. 4: 4—6: ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱον αὐτοῦ — — ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν. ὅτι δέ ἐστε υἱοὶ, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν κράζον· Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Rom. 8: 17: εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι· κληρονόμοι μὲν Θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ. Quin Dei Filius perfectum est vitae cum Deo conjunctae exemplum, ad cujus imaginem nos transformare vult Deus, ut et ipsi simus Dei filii. Rom. 8: 29: προώρισεν (αὐτοὺς ὁ Θεὸς) συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, 2 Cor. 3: 18: ἡμεῖς πάντες -- — τὴν αὐτὴν εἰκόνα (τοῦ Κυρίου) μεταμορφούμεθα — — καθάπερ ἀπὸ Κυρίου πνεύματος.

Videmus itaque, ex Pauli sententia Christianos Christi adinstar Dei fieri filios; hoc vero non obtinere adoptione quadam externa, nullo conditionis eorum, qui fiant filii, moralis habito respectu, sed vere spiritum Dei Christique in iis habitare debere, hunc autem sufficere, ut et habeantur a Deo et magis magisque fiant germani Dei filii.

Jam filiorum status quanta involvat, qua re constet, quae secum ferat, est explorandum. — Loca varia, ubi de hoc filiorum statu sermo est inspicientes, videmus, Paulum Christianos habere non infantes, minorennes, quibus paedagogo opus est, sed adultos Dei filios. Omnium luculentissime hoc patet in ep. ad Gal., ubi ipsis verbis identidem opponuntur νήπιοι, *infantes*, servis non dissimiles 3: 23, 24; 4: 1—3, et υἱοί, *filii*, majorennes, pro legis jugo libertate spirituali nunc gaudentes 3: 26; 4: 5, 6; 5: 1 Quae antithesis licet in ep. ad Rom. Apostoli mentem minus videatur tenuisse, in reliquis tamen ejus epistolis fere omnibus aut expressa est aut saltem ratiociniis subjacet. Sic v. c. Corinthios dicit νηπίους 1 Cor. 3: 1, qui nondum ad eam τῶν τελείων maturitatem, quae germanorum est Christianorum, pervenerant, 2: 6 sqq. coll. 13: 11. Philippenses adhortatur, ut, quotquot sint τελείοι, *adulti*, ipsius exemplum sequantur neque se Judaeorum commentis in errorem duci patiantur, 3: 15. Pluribus etiam in ep. ad Col hoc cernitur. Ibi enim Euangelii praedicationem suam hoc spectare affirmat, ut homo quique fiat adultus, 1: 28: νουθετοῦντες πάντα ἄνθρωπον καὶ διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον — — ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ. Epaphram narrat pro ipsis precantem, ut stent τέλειοι καὶ πεπληροφορημένοι ἐν παντὶ θελήματι τοῦ Θεοῦ, 4: 12 (conf. ipsius

Pauli preces 1: 9—12). Qua in re autem illa τελειότης consistat, dicit 3: 10, 11, adhortans lectores ut novum induant hominem, τὸν ἀνακαινούμενον εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν, qui ita sit comparatus ut Christus, isque unus, in iis sit omnia. — Omnium autem maxime hoc enuntiavit Paulus in ep. ad Eph. Hîc enim, memorato primum Dei consilio summo nobis υἱοθεσίαν praeparantis, 1: 5, et exposita tum ratione, qua et Gentiles et Judaei per Christum acceperant τὴν προσαγωγὴν πρὸς τὸν Πατέρα, 2: 18; 3: 12, in altera deinde parte paraenetica lectoribus ideam pingit, ad quam tendere ipsos oporteat. Alias aliis in Ecclesia datas esse dicit partes a summo omnium moderatore, eo consilio ut illa aedificetur et nos perveniamus omnes εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, ἀληθεύοντες δὲ ἐν ἀγάπῃ αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλή, Χριστός, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα — — τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ ἐν ἀγάπῃ, 4: 11—16. Non opus erit hunc in locum interius inquirere, ut, quantum Paulo υἱούς inter et νηπίους intersit, pluribus exponamus.

Idem tamen locus aliud nos docet, quod filiorum Dei signum est peculiare, ἀλήθεια et ἀγάπη. Qui adhuc in pueritiae statu versantur erroribus tenentur; circumferuntur hi quovis doctrinae vento, adultorum vero est ἡ ἐπιγνώσις τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Neque hoc tantum loco, sed ubivis fere (Eph. 1: 13, 17, 18; 4: 23, 24; 5: 17, 18, coll. 1 Cor. 2: 6—16; 10: 15; Col. 1: 9, 10; 3: 10; 4: 12) maximam mentis cognitionem Dei filiis adscribit. Similiter amorem a quovis germano Dei filio exigit (Eph. 4: 15, 16; 3: 17, 18, coll. 12; 4: 32—5: 2), in quibus locis omnibus de eo, quod Dei filium deceat, est sermo(1). Quin hoc ipso quod sectetur veritatem et amorem, spiritu Illius, qui est et amor et veritas summa, ductus, est homo Dei filius adultus, cui non

(1) Conf. omnino JUNIUS, *Over het zoonschap*, l. l. p. 274 sqq., 284 sq., ubi vir ven. respondet quaestionibus: *welk standpunt moet de Christen naar het* verstand, *welk naar het* gemoed *zoeken te bereiken, om een zoon Gods genoemd te mogen worden?*

opus est paedagogo aut lege externa, Deum quippe cognoscenti (Gal. 4: 9) inque omnibus sua sponte Dei voluntatem perficere studenti, Gal. 5: 18, coll. Hebr. 8: 10, 11.

Efficere hinc jam licet, libertatem propriam esse Dei filiis; spiritus enim, quo ducuntur, est *πνεῦμα υἱοθεσίας*, oppositus spiritui *δουλείας*, Rom. 8: 15, cf. 21. Qua in re autem constet *ἐλευθερία* illa, discimus imprimis in ep. ad Gal. Legem enim ibi describit paedagogum eumque severum, e cujus imperio nos redemit Christus. Liberi itaque sumus lege, ut quovis alio hominum jugo, quam libertatem, donum Dei praestantissimum, servare atque tueri oportet, Gal. 4: 9; 5: 1, 13; 2 Cor. 3: 17, coll. Gal. 2: 4 (1).

Haec omnia pertinent ad rationem, qua quisque Dei filius externe factis etiam se prodere potest ab aliisque dignosci; sed et interiorem plane et cum Deo junctam *τῆς υἱοθεσίας* naturam describit Paulus. In Christo nobis datam esse dicit *τὴν παρρησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει*, Eph. 3: 12. Quam eandem sententiam aliis alibi profert verbis: *ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας ἐν ᾧ κράζομεν· Ἀββᾶ, ὁ πατήρ*, Rom. 8: 15; Gal. 4: 6. Illi itaque, qui in filiorum statu versatur, cum Deo conjunctio est intima, quam ipse sentiens homo ad Deum accedit, tanquam Patrem, eumque summa caritate filios suos complectentem. Talem antea non noverat Deum, sed in servitute versans metu agitabatur a Deoque aversus erat (*πνεῦμα δουλείας — εἰς φόβον* Rom. 8: 15, Eph. 2: 11 sqq.), nunc vero Deum cognoscens, qualem se in Filio mittendo manifestavit (*γνόντες τὸν Θεόν*, Gal. 4: 9), omni qui ex peccato oritur timore abjecto, summa cum *παρρησίᾳ* et *πεποιθήσει* ad Patris sinum se convertit, peccatorum remissionis certissimus; Patris nomine Deum compellat omniaque a Deo, Patre amantissimo, fidenter petit et impetrat. Nec dubium ipsi est, num ita liceat agere; nam *τὸ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα*, in ejus cor effusum id jubet et ad id impellit (*κράζει* Gal. 4: 6), idemque probat et una cum ipsius spiritu testatur, ipsum esse *Θεοῦ τέκνον*, Rom. 8: 16. Duo itaque ex hoc spiritu communicato profluunt: *nobis constare Dei amorem*, imprimis in peccatis condonandis conspicuum, *nosque vicissim Deum amare*. Dei amor (quem fide jam complexi

(1) Quaenam sit hominis Christiani libertas, exposuit PAREAU, *Instit. theol. mor.* § XXXVIII, 3, 4, p. 197 sqq.

eramus) omni dubio major fit per spiritum Sanctum sive Divinum nobis datum, Rom. 5: 5, Eph 1: 13, 14, coll. vs. 11, 18; ita evanescit metus, Rom. 8: 15, oriturque *παρρησία* et summa fiducia, Eph. 3: 12; — eo ipso autem incitamur ad Deum amandum, ita ut, qui hucusque fueramus *ἔχθροι τοῦ Θεοῦ*, nunc convertamur in *ἀγαπῶντας τὸν Θεόν*, Rom. 8: 28. Ita amore mutuo cum Deo conjunctus revera homo dici potest Dei filius.

Hic vero filiorum status, per se nunc jam maximam beatitatem involvens, plura etiam secum fert. Audiamus Paulum: *εἰ δὲ υἱὸς, καὶ κληρονόμος*, Gal. 4: 7; Rom. 8: 17; Eph. 1: 14, 18; 3: 6 cf. 4: 30; 5: 5. Haeres est filius, suo jure, haeres autem bonorum paternorum, quorum una cum Christo Filio primogenito fit particeps, Rom. 8: 17: *κληρονόμοι μὲν Θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ*, coll. Gal. 4: 7. Bona autem paterna illa, quibus Christiano utpote filio germano frui licet, sunt *δόξα* et *ζωή*, quibus Deus gaudet: Rom. 8: 17: *ἵνα συνδοξασθῶμεν*, 18: *μέλλουσα δόξα*, 30: *τούτους ἐδόξασεν*, coll. 2 Tim. 2: 10; — Rom. 8: 13: *ζήσεσθε*, coll. 23; Tit. 3: 7: *κληρονόμοι — — ζωῆς αἰωνίου*, coll. Gal. 6: 8; 2 Tim. 2: 11. His enim Christus jam nunc fruitur; eadem autem per ipsum ad omnes Dei filios transferentur, Rom. 8: 29: *(τούτους) προώρισεν (ὁ Θεὸς) συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, 2 Cor. 3: 18, coll. Eph. 1: 18.

Haec omnia autem non ita sunt comparata, ut absoluta jam statim Christianis plenissimo modo contingant. Ut conditio moralis, a qua una pendet *υἱοθεσία*, in homine Christiano admodum est imperfecta, quam ob rem progredi semper et increscere debet, ita et *υἱοθεσία* incrementi est capax, atque pro Christianorum cultu et statu magis minusve adulto aut est debilior aut magis perfecta, Eph. 4: 12—16. Quin post absolutum demum vitae terminum homo, exuto corpore ad peccandum semper incitante, ea gaudebit perfectione, ut revera in omnibus et libertatem et perfectionem moralem eam assequatur, quae filium Dei decet. Hinc Paulus *tum* de eo, qui nunc jam obtinet, filiorum statu loquitur, Gal 3: 26; 4: 6; Rom. 8: 15 sq.; *tum* vero, hanc rerum terrenarum debilitatem agnoscens, posteriori demum aevo *τὴν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀποκάλυψιν* adjudicat, Rom. 8: 19 sqq., a sapientique Ecclesiae regimine tantum exspectat, fore ut *καταντήσωμεν εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ*, Eph. 4: 13; *tum* denique omnia, quae vel maxima spiritus dona

hîc acceperimus, primitias tantum habens, perfectam absolutamque *υἱοθεσίαν* post corporis mortalis demum interitum affore sperat Rom. 8: 11, 23. Erit autem haec consummata felicitas, vita ac gloria, Christi felicitati simillima, quam omnibus, fidem servantibus, gratia sua paraturus est Deus.

Denique omnino tenendum est, Paulum haec explicantem semper recurrere ad gratiam Divinam, quâ unâ tanta hominibus praebeantur beneficia. Etenim prouti ab una Dei gratia repetit consilium illud sublime nos in Christo secum iterum conjungendi, omniaque quae ad hoc consilium exsequendum ducunt, Christum missum, nostram vocationem, fidem, spiritus dona, justificationem uni gratiae tribuit, ita et hoc, quod *Dei* possimus fieri et vero fiamus *filii*, Deo adscribit auctori, infinito suo amore hominibus tanta largienti. Pertinent huc omnes illi loci, ubi sermo est de *σωτηρίᾳ*, cujus Christiani participes fiunt, quam autem constanter gratiae tribuit, Eph. 2:4 sq.; specialiter autem *υἱοθεσίαν* exponens, hujus quoque Deum laudat auctorem, qui omnia ita moderatus est, ut nos fieremus filii, Eph. 1: 5; 3: 10—12; Gal. 4: 3 sqq. Rom. 8: 29, qui nobis eum in finem suum dedit spiritum antea jam promissum, Eph. 1: 13; Gal. 3: 14; 4: 6; Rom. 8: 15, coll. 2—14, olimque largiturus est excellentissimam haereditatem, Eph. 1: 11, 14, 18; Rom. 8: 17; Gal. 3: 29; 4: 7. — Haec omnia, uti repetenda sunt ex Dei amore (Eph. 1: 5: *ἐν ἀγάπῃ προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν*), ita inserviunt ad infinitam Dei gratiam extollendam et celebrandam, *εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ*, Eph. 1: 6.

Haec vero omnia, quae hucusque de electione et vocatione, de peccatorum remissione, de fide deque justificatione et *υἱοθεσίᾳ* ex Pauli mente exponere conati sumus, non ita sunt accipienda, ac si, nobis judicibus, haec omnem Apostoli sententiam eamque hac tantum, qua nos usi sumus, forma expressam referant. Imo tantum principia nonnulla, Paulo prae aliis propria, ex primariis ejus epistolis ita eruere volebamus, ut privam ejus cogitandi rationem forma quam maxime ipsi consueta, exhiberemus, probe nobis conscii, omnes, quas summus vir animo volvit ideas, in unum systema omnino redigi non posse. Neque tale ipse dedit. Varie admodum pro varia opportunitate, quae ipse de Christo, de Deo, de homine deque universa re Christiana cogitaret, nunc ab hac, nunc ab illa

parte lectoribus tradidit, hoc uno consilio, non ut theologiae conderet systema, sed ut, quam in nonnullis excitaverat religionem, hanc commendaret, aleret, confirmaret, illustraret, ad perfectionem duceret. Hinc autem eorum, quae nunc exposuimus, aliud saepe in lucem trahit, praetermittit aut silet aliud; ita ut, quod in alia epistola primarium ipsi sit, in alia prorsus videatur neglectum. Gratia tamen Divina, cui omnia debemus, una est ad quam semper et ubivis recurrit. Hanc autem agnoscens liberrime saepe in reliquis agit, lectorum cultum statumque religiosum singularem ob oculos habens, cujus rei luculentissimum vidimus exemplum in ep. ad Ephesios, ubi *τῆς δικαιώσεως* nulla fit mentio

Itaque praeter eam, quam nos ex hac et epistola ad Romanos exhibuimus rei Christianae expositionem, aliam interdum quoque invenimus primo adspectu diversam. Quam diversitatem vel in una ad Rom. epistola observare poterimus. Etenim in priore parte gratiam Dei extollit in homine justificando conspicuam, Rom. 3: 21 sqq., quam deinde ita explicat, ut vitam humano generi per Christum a Deo datam celebret, 5: 16 sq. Postea autem Dei amorem summum hac in re consistere affirmat, quod *οὓς προέγνω καὶ προώρισεν συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ· — — — οὓς δὲ προώρισεν τούτους καὶ ἐκάλεσεν· καὶ οὓς ἐκάλεσεν τούτους καὶ ἐδικαίωσεν· οὓς δὲ ἐδικαίωσεν τούτους καὶ ἐδόξασεν*, 8: 29, 30, quae ipsa proponendi ratio diversissima est ab iis, tum quae Eph. 1: 3—6, tum quae Eph. 2: 5—9 gratiae Divinae attribuuntur consilia ad hominum salutem. Alia rursus est ratio loci Tit. 3: 4—7, ubi salus in Christo proposita est *ζωὴ αἰώνιος*, cujus moderante gratia Divina participes fimus *διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου*, praetermissa prorsus *fidei* commemoratione, quae fides ceteroquin primas et secundas et tertias tenet partes. Eandem salutem alio denuo modo Corinthiis describit dicens (*Χριστὸς*) *ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ Θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις*, 1 Cor. 1: 30. — Ita accurata et ad logices regulas redacta dicendi ratio apud Paulum prorsus non invenitur; sunt autem omnia vigore et vita plena, scripta quippe non in scholae sed in vitae usum.

III. In exponendis quae Paulus de Dei gratia docuit unum nobis reliquum est, paucis etiam attingendum. Etenim gratiam Divinam non in hoc tantum agnovit, quod infinito suo amore ductus

salutem nobis Deus et praeparavit et praebuit: imo vero eandem vidit semper agentem in hominibus instituendis, ducendis, servandis, praesertim autem in confirmanda perficiendaque fide eorum qui Christo nomen dederant. Hinc nullam non scripsit epistolam, quin et in exordio et in fine gratiam hanc lectoribus suis apprecetur, Rom. 1: 7; 16: 24; 1 Cor. 1: 3; 16: 23, rell., quam aeque a Deo omnium rerum moderatore summo atque a Christo Ecclesiae rectore huic affore exspectat (Gal. Eph. Philipp. Col. 2 Thess. 1 ac 2 Tim. Tit. Phil. init.). Quid autem hac Dei Christique gratia apprecanda sibi voluerit, significavit tum in locis ubi de semet ipso saepissime loquens, quam ipse semper expertus erat providentiam curamque Divinam celebrat, tum ubi, quid gratiae Divinae debeatur, quidque ab ea etiam sit exoptandum, aliis exponit.

Ut suam ipsius *ἱκανότητα* ad Euangelium annuntiandum uni Deo acceptam refert, 2 Cor. 3: 5, 6, ita et universe eas, quibus quisque excellit dotibus, e Dei gratia repetit (Rom. 12: 6: *ἔχοντες χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διάφορα.* Eph. 4: 7: *ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ*), et Corinthiis profitetur se Deo gratias agere *ἐπὶ τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ τῇ δοθείσῃ ὑμῖν ἐν* X. I, *ὅτι ἐν παντὶ ἐπλουτίσθητε ἐν αὐτῷ, ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἐν πάσῃ γνώσει* — *ὥστε ὑμᾶς μὴ ὑστερεῖσθαι ἐν μηδενὶ χαρίσματι*, 1 Cor. 1: 5—7; cf. 2 Thess. 1: 11. Pro his autem gratias agens eâdem ipsis etiam in posterum opus esse opitulatione Divina, nunquam non indicat precibus memorandis, quas pro ipsorum salute se effundere identidem profitetur, imprimis autem ad suum ipsius exemplum provocando, qui una gratia sit qui est, 1 Cor. 15: 10; 1 Tim. 1: 12(1); se enim Dei Christique actionem efficacem experiri et hac una omnia valere (2 Cor. 13: 3; Phil. 4: 13), spiritus opitulationem agnoscere (Phil 1: 19) inque Christi communione omnibus vitae calamitatibus superiorem reddi (2 Cor. 2: 14), semperque se ab una Christi gratia omnia sibi exspectare affirmat (2 Cor. 12: 9). — Idem autem hoc quod ipse experiretur omnibus exoptans, et universae Ecclesiae (Eph. 4: 3—16; 5: 23 sqq.) et singulorum Christianorum perfectionem a Dei gratia sperat imploratque.

---

(1) Conf. CALVIN. ad h. l. ad verba *τῷ ἐνδυναμώσαντί με* observans: „Neque enim satis fuisset, semel fidelem esse declaratum, nisi eum perpetuo auxilio confirmasset Christus."

B. Vinculum hujus doctrinae cum Pauli conversione.

Itaque exposita Pauli sententia de gratia Divina nunc ex operis proposito ad ejus conversionem oculos iterum convertamus, ut quomodo utraque, conversio et doctrina, hîc quoque cohaereat, videamus. Quae autem hactenus invenimus, ut paucis comprehendamus, huc fere redeunt:

I. Humanum genus peccati regimine esse liberatum ad Deumque per Christum reductum, quod uni gratiae Divinae est attribuendum.
II. Hanc gratiam in his conspicuam esse:
1. quod ad salutem praedestinati eligantur homines et vocentur;
2. nec tantum natio Judaica, sed ipsae quoque Gentes quaecunque;
3. quod peccatorum praebeatur remissio;
4. quod ad fidem invitentur et adducantur homines;
5. quod justificentur;
6. quod in filiorum veniant statum.
III. Eadem gratia Christianos duci per totam deinceps vitam.

Jam vero cum his componamus ea, quae Jesu apparitione in via Damascena Paulum animo volvisse supra exposuimus. Peccati sui conscientia excitata vidimus, Paulum

I. Gratiam agnovisse Divinam, qua factum sit, ut ipse e tanto servaretur peccato.
II. Hanc autem ipsi constitisse eo:
1. quod esset a Deo praedestinatus, electus, praeparatus, vocatus;
2. quod mandatum audiret Gentibus Euangelium annuntiandi;
3. quod non puniretur, sed peccatorum acciperet veniam et ita Deo reconciliaretur;
4. quod fidem profiteretur, qua libere ipse gratiae Divinae responderet;
5. maximum porro gratiae Divinae ipsi fuisse documentum tum quod, etsi nihil adhuc praestitisset, crearetur Apostolus, tum quod multa ipsi patienda proponerentur Christi causa.

III. Per totam denique insequentem vitam eum agnovisse eandem Dei Christique gratiam ipsi consulentem (1).

Haec invicem comparanti nemini non, ob permagnam, quae inter utramque idearum seriem obtinet, convenientiam suspicio orietur praeter externam hanc similitudinem internum quoque esse vinculum, quo Pauli theologia cum ipsius experientia sit conjuncta. Talis autem cohaerentia interna, utut verosimillima propter ea quoque, quae hucusque jam Apostolum ex conversione sua in theologiam transtulisse vidimus, vel maxima externa similitudine tamen non satis probatur. Hac enim docemur, nullam esse inter vitam et theologiam pugnam, vinculumque adesse *potuisse* et probabiliter fuisse internum; quod *revera obtinuisse* etiamnum est demonstrandum. Duae nobis hunc in finem patent viae: altera, qua Paulum neque a Jesu caeterisque Apostolis theologiam suam petivisse, neque utpote ab eorum doctrina diversam petere potuisse, ostendamus, altera, qua positive progredientes ad ipsius Apostoli attendamus vestigia, quae nobis indicio esse possint, quomodo ex sua experientia ipse sibi theologiam informaverit.

Quod ad alterum attinet: Paulo neque a Jesu neque ab ullo Apostolo doctrinam qualemcunque esse traditam, antea jam ex ipsius, tum historia, tum effatis, tum agendi ratione demonstrare conati sumus (2); idem autem nobis omni dubio superius fit attendentibus ad magnum, quod illorum inter ac nostri Apostoli theologiam obtinet discrimen, quo constat, Paulum, qua forma suam tradidit theologiam, hanc ab illis accipere ne potuisse quidem.

Et Jesu quidem doctrinam, si hoc nomine omnia quae parabolis et colloquiis cum discipulis aliisque communicavit comprehendere licet, silentio praetermittere possumus; non enim Dei gratiam (ne voce quidem hac unquam usus) praedicavit, qua homines electi sint ad δικαίωσιν aut υἱοθεσίαν, sed in se unice oculos direxit, coelitus missum ad Dei regnum condendum, cujus socius fieret quisque μετανοίᾳ et πίστει. — Neque ea, quam Apostoli reliqui dederunt, theologia Paulinae similis est. Nam et voces Paulo usitatissimae: χάρις, πρόθεσις, ἐκλογή, κλῆσις, δικαίωσις, υἱοθε-

(1) Singula haec fuisse Pauli, quo tempore apparitione coelesti converteretur, cogitata sensaque, supra p. 63—70 probavimus; hic eadem repetimus, ordine tantum mutato, quo facilior sit utriusque, theologiae et experientiae, nunc instituenda comparatio.

(2) Vid. Introitus, p. 2—18.

σία, κληρονομία, ab illis aut omnino non, aut alio sensu adhibentur, et vero intacta relinquuntur, partim omnino partim eâ certe formâ singulari, ipsa placita, quae Paulinae theologiae principia dici merentur, v. c. de gratia Divina omnium causa, de praedestinatione, de Euangelio cum Gentibus communicando, de fide et operibus, de justificatione, de salute filiorum Dei, alia. Quantum Jacobus a Paulo distet, scimus ex indefessa opera eorum, quibus fuit propositum, ostendere utrumque Apostolum secum invicem pugnantia non tradidisse. Johannes quidem amat loqui de Dei *amore* deque hominibus Dei τέκνοις· diu autem jam observatum est, his non eundem omnino tribuendum esse sensum ac iis quae Paulus de *gratia* et υἱοθεσίᾳ profert. Petrum vero quantumvis diversum, ubi similia interdum aut non omnino discrepantia a Paulo dicentem deprehendimus, dubitare vix licet, quin non tam sua quam quae a nostro mutuatus sit, tradiderit (1).

Itaque tum ex ipsius Apostoli historia, tum ex ejus effatis et agendi ratione, tum vero ex ejus cum aliorum Apostolorum comparata theologia, satis liquet, eum hanc ab iis minime petiisse, sed, eodem fundamento nixum, suam sibi suo marte exstruxisse theologiam. Hanc autem talem sibi informavit ex iis quae Jesu apparitione didicit et suâ ipsius conversione insequente ipse expertus est, comparatis cum iis, quae aut antea aut postea de Jesu accepit; sive ut Pauli verba afferamus: γνωρίζω — ὑμῖν, ἀδελφοί, τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ ὅτι οὐκ ἔστιν κατὰ ἄνθρωπον· οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ οὔτε ἐδιδάχθην, ἀλλὰ δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, Gal. 1: 12, coll. 1: 16 (2). —

(1) Omnem qua, servata spiritus unitate, distincti sunt Apostoli exponere diversitatem testimoniisque probare, ut hujus loci non videtur, ita superfluum fere est post multorum hoc spectantium aut saltem tangentium operam. Nominasse sufficiat NEANDRUM, *Gesch. der Ap. Kerk*, II, p. 250 sq., 268 sqq., 280 sq., et qui nuperrime prodierunt, SCHUMANN, *Christus, oder die Lehre des A. und N. Testamentes von der Person des Erlösers*, I, p. 272 sqq., II, p. 475, 514, 701 sq., 821 sqq.; REUSS, *Histoire de la Théol. Chrét. au siècle Apostol.* II, p. 474 sqq., 524 sqq., 584—586.

(2) Videantur quae supra pag. 4 sqq. de hoc loco exposuimus. Conf. quoque Eph. 3: 3, ubi pariter ἀποκάλυψιν (non vero ἀποκ. Ἰησοῦ Χριστοῦ) laudat, qua cognoverit rei Christianae mysterium. Hic autem cogitandum non esse de speciali quadam patefactione Paulo concessa, patet vs. 6 ubi ipse Paulus dicit, idem Christi mysterium patefactum esse sanctis Apostolis

Quomodo ex illa Ἰησοῦ Χριστοῦ *ἀποκαλύψει suam* didicerit Euangelii praedicationem nunc videamus.

I. In iis quae Pauli, quo tempore Jesu apparitione in via Damascena retinebatur, mentem animumque percellebant, imprimis nominanda est conscientia, se esse peccatorem, qui tanta et tamdiu contra Deum ipsum molitus esset. Hoc peccati sensu excitato agnovit etiam in aliis omnibus idem aut simile ac quod in se vidit peccatum; agnovit autem quoque infinitam miseriam illud insequentem liberationisque desiderium, quo optimi quique ducebantur (1). Jam vero quum ipse tantam Dei gratiam experiretur, e peccato miseriaque omni ipsum eximentem, non potuit non, philosophico quo praeditus erat ingenio ductus, videre omnibus aeque peccati jugo servientibus et opus esse g r a t i a D i v i n a illos liberante, et revera hanc iis praeberi. — Gratia Divina *opus esse*, ipse erat expertus: neque enim sua voluntate aut operâ peccato abstinuerat i p s e, sed, totus peccato perpetrando occupatus, divinitus ab hoc detractus erat; simili modo nunc vidit singulos non sua vi neque ex sua ipsorum voluntate peccatis abstinere, imprimis autem totum genus humanum peccatis deditum, Dei unice vi et voluntate iis liberari posse. Simul autem vidit, hoc *revera fieri* per Christum, quo, ut i p s e, ita omnes ex peccati morte in vitam transferuntur, gratia moderante Divina, Eph. 2: 1 sqq., Rom. 5: 15 sqq.

II. 1. Eum autem non tantum Dei gratiam celebrasse propter Christum missum, sed eidem quoque adscripsisse consilia ante mundum conditum ad hominum salutem capta, nunc vero in Christo ad finem perducta (*πρόθεσις*, *ἐκλογή*), nemini mirum esse potest reputanti Paulum i p s u m, conversione sua, didicisse, s e ad munus suum esse praedestinatum, praenotum, praeparatum et electum. Etenim quod Ananiam dicentem audivit, se Christo esse *σκεῦος ἐκλογῆς* (Act. 9: 15), id mox ipse persensit; simulatque autem hoc

---

et Prophetis. His singulis enim datam esse singularem patefactionem, vix possumus statuere; contra dicendum erit, ipsos, Sancto quippe spiritu animatos, vidisse, coll. 1 Cor. 2: 6—10, quae alios, quibus mentis oculus eodem spiritu non esset illustratus, etsi aperta, laterent. Conf. omnino v. OORDT, *Waarh. in L.* 1844, II, p. 269, not. (1); videantur quoque quae idem animadvertit p. 240 sqq. de quavis patefactione omnibus aperta, qua tamen nemo fruatur, nisi cujus mens ad eam percipiendam sit apta, Matth. 16: 13—17; Luc. 10: 21; 2 Cor. 4: 3, 4, 6; 1 Cor. 2: 10.

(1) Hic tantum paucis in memoriam revocare potuimus quae supra p. 63—65, 77 sq. pluribus ad hanc rem exponendam et probandam allata sunt.

de se verum esse compertum habuit, eandem Dei curam aliis etiam affuisse suspicari debuit ac, tanta informatus eruditione, perspicere tum in Judaeorum tum in Gentium historia fatisque, imprimis vero ditissimâ suâ apostolici numeris experientiâ non potuit non cernere idem in infinitis numero hominibus per Christum adductis ad id ipsum, ad quod ingenio suo nati factique erant. Praeparatione hac agnita, facillime adscendit ad Deum, qui hanc det et vero dare constituerit ab aeterno, videns quippe omnia inde a mundo condito ad hunc finem assequendum directa esse.

Prouti autem se unum minime hoc merentem ex tanto peccantium numero electum et audivit et agnovit, ita etiam non suo merito suave voluntate hominibus gentibusque aliis offerri salutem vidit, praetermissis aliis.

2. Quae valent de fonte doctrinae Paulinae de Dei gratia salutem hominibus praedestinante eosque ad hanc eligente et vocante, ea non minus quadrant in ejusdem sententiam, *omnibus* omnino *Gentibus Euangelium esse annuntiandum*, qua quam maxime a reliquis Apostolis est distinctus, quae autem tam intime cum tota Pauli cogitandi ratione cohaeret, ut fuerint, qui ex hac una ejus theologiam deducerent omnem(1). Rogantibus autem, unde hoc tulerit, prompta est responsio, eum a nullo alio hoc esse edoctum quam ab ipso Jesu, qui, et per Ananiam et immediate, Paulo mandavit, ut Gentibus Euangelium annuntiaret. Etenim et in omnibus, quae Lucas habet apparitionis illius relationibus (Act. 9: 15; 22: 21; 26: 17, 18), idem Jesu memoratur mandatum, et in epistolis saepius provocat Paulus ad munus apostolicum inter Gentiles sibi divinitus delatum, Gal. 1: 16; 2: 7—9; Eph. 3: 2—8; 1 Tim. 2: 7; 2 Tim. 1: 11; Rom. 1: 5; Coll. 1: 25.

Igitur dubium non est, quin in his, utpote fontem indicantibus unde Pauli et cogitandi et agendi ratio fluxerit, subsistere possimus; interius autem in Pauli animum inquirentibus varia nobis se offerunt, quibus èt placitum illud èt Jesu jussum de Euangelio cum omnibus communicando explicentur. Prouti enim verum est, quod

---

(1) Ita v. c. HUG, *Einl. in das N. T.* II, § 90 (ed. 3, p. 337), omnia quae in Paulo videt derivat ex vi »den die Idee einer Universalreligion auf seinen Geist gemacht hat." Nec multum ab hoc dissentit SCHWEGLER, *Gesch. des nach-Apost. Zeitalters*, I, 152, Paulinae theologiae principium habens hoc: religionem Christianam esse καινὴν κτίσιν, cui sententiae annexum sit utrumque placitum fundamentale: legem Mosaicam esse abrogatam et salutem Messianam omnibus patere.

a quovis agnoscitur, nullam divinitus fieri patefactionem nisi ad quam suscipiendam et intelligendam homo sit praeparatus, ita neque jubet quid quemquam Dominus, quin antea jam sic ejus informaverit mentem animumque, ut apta sit mens pronaque facile voluntas ad id, quod vult Deus, perficiendum. Nec Cajaphae contigit apparitio, quali Paulus gavisus est, neque Jacobo legi Mosaicae addictissimo imposuit Christus mandatum, quod Paulo dedit exsequendum. Hic enim, ut in multis aliis ad Christum amplectendum praeparatus, imprimis hunc religionis Christianae characterem recte animadverterat: eam Judaismo plane esse oppositam institutaque Mosaica abolituram. Post ipsum Jesum primus hoc docuerat unus Stephanus, ut et in iis de quibus reus agebatur Act. 6: 11, 13 sq., et in ipsius defensione Act. 7, et in Judaeorum furore violentaque ejus nece et persecutione hanc insequente patet, explicatu autem facile est ex institutione qua gavisus erat Hellenistica (1). Jam vero Paulus ex iis, quae èt cum Stephano disputans (Act. 6: 8—10), èt hunc dicentem coram Synedrio aut de hac oratione alios saltem referentes audiens percepérat, recte vidit, rem Christianam non esse, qualem multi putabant, Judaismi sectam, sed Jesum Nazarenum interitum spectasse institutorum Mosaicorum, ut in ruderibus hisce novam conderet religionem suam. Hoc Jesu consilio nunc per Stephani praedicationem plene perspecto, Paulus Pharisaeorum alumnus antiquae exstitit religionis defensor acerrimus, legem Mosaicam a Deo datam vindicaturus contra hominum conamina hanc evertere studentium. Neque in Ecclesia vexanda a Jesu *statim* retinetur, ut nunc radices in ipsius animo infigerentur altissime hujus, quam per totam deinceps vitam esset defensurus persuasionis: sibi invicem oppositas esse Mosaicam religionem et Christianam. Igitur *tandem* a Jesu vocatus, non didicit suam rei Christianae aestimationem esse falsam, sed Jesum Nazarenum esse Dei Filium ideoque summo jure, a Deo quippe missum, sustulisse ea quae Deus antea per Mosen Israëlitis dederat instituta. Itaque, ut quae jam observavimus colligamus, persuasissimum nunc erat Paulo: *Deum Christo mittendo novam condidisse religionem, quae Mosaicae teneret vices.* Mox autem in semet ipse respiciens agnovit, subliniorem esse Jesu religionem longeque

(1) Haec omnia accurate exposuit v. OORDT, *Over Stephanus als voorlooper van Paulus*, in *Waarh. in Liefde*, 1842, III, p. 426—448. Conf. quoque REUSS, *Hist. de la Théol. Chret.* II, p. 3 sqq.

praestare Mosis aut Pharisaeorum institutis, vidit jure tolli legem, quippe *non sufficientem ad salutem praebendam*. Quod quamvis multis demum annis postea dilucide exposuerit, tribus illis diebus, quibus, ab omnium commercio exclusus, suis unice cogitationibus sensisque relinquebatur, animo certe intus volvit. Huic utrique: religionem Christianam esse novi quid, legemque nec valere amplius neque homini unquam sufficere, accessit jussum illud per Ananiam cum ipso communicatum et postea a Jesu repetitum, Act. 22: 18—21: *Gentibus ab ipso Euangelium esse annuntiandum.*

Et vel ipsi Paulo, providentia Divina curante, tam egregie praeparato ad mandatum illud intelligendum perficiendumque (Gal. 1: 15; 2: 7—9), longa tamen postea etiam opus erat experientia, ut in omnibus suam agendi rationem ad illud componeret. Neque enim est dubium, quin, Judaeis Euangelium accipere recusantibus, hoc ad Gentes laete illud amplectentes transferre coactus, ita demum omnem Jesu verborum vim intellexerit, vid. Rom. 11: 10 sqq.

3. Tertia quae nobis nunc est exploranda, Pauli est doctrina de *peccatorum remissione*. Neque diu dubii haeremus, undenam hanc repetamus, quum ipsius et historia et verba diserta ad eundem nos sponte ducant fontem. Ut nobis tota Pauli conversionis historia maximum Dei amoris peccata remittentis est documentum, ita non minus ipsi Paulo Dei misericordia hoc nomine etiam conspicua fuit, quod ipsum peccatorem insignem non modo non puniret Deus, sed ne ullam quidem peccatorum rationem haberet. Supra hoc ex ipsius mente ita exposuimus, p. 65, ut diceremus eum, venia peccatorum accepta, cum Deo esse reconciliatum. Jam vero ubi eandem gratiam Dei in Christo omnibus peccatorum veniam offerentis laudat, cum iis quae ipse erat expertus procul dubio comparavit tum promissiones patribus jam datas, tum quae ab aliis, Anania, Barnaba audivit, v. c. de Jesu S. coenam instituente, remissionemque peccatorum unicuique offerente. Suae autem experientiae innixam fuisse ejus veniae oblatae praedicationem, Pauli verba nonnulla diserta omni dubio majus reddunt. Etenim et Timotheo suo scribit, *sibi*, *peccatorum maximo*, *gratiam esse datam*, *ut in ipso*, *omnium primo*, *omnem suam ostenderet Christus misericordiam*, *exemplo eorum*, *qui* ipsius adinstar *Christo fidem essent habituri*, *πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ* 1 Tim. 1: 16, — et vero 2 Cor. 5: 18—21 ita suam conversionem munusque apostolicum in ipsum delatum cum omnium ad Deum conversione conjungit, ut sibi *καταλλαγέντι τῷ*

Θεῷ datam esse dicat τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς, qua homines invitentur, ut omnes reconcilientur cum Deo, qui μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν in Christo esset κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ. Quibus verbis Paulum ad suae conversionis normam totius mundi exegisse ad Deum conversionem, hanc vero superstruxisse peccatorum remissioni, nemo non videt.

Haec autem si ita se habent, Pauli conversio vicissim multum affert ad intelligendum, quid ipse voluerit ubi de peccatorum venia loquitur. Ut enim Paulus, nisi compertum habuisset, Deum ipsius non respicere peccatum, hoc ipso fuisset impeditus, quominus ad Deum reverteretur, ita universe hominum cum Deo reconciliationem non affore putat, nisi antea certiores sint facti, Deum peccata μὴ λογίζεσθαι, ideoque in his peccatis nullum esse posse obstaculum, quod eos amplius a Deo arceat. Videmus autem quoque, hanc veniam hoc constare, quod Deus hominem non pro merito tractet tanquam peccatorem, sed gratuito amore huic ostendat, se nullam habere anteriorum peccatorum rationem, quae impediat, quominus homo cum Deo se conjungens aliam melioremque instituat vitam. Deus itaque ὑπερίδει τοὺς χρόνους τῆς ἀγνοίας, μὴ λογίζεται τὰς ἁμαρτίας, sibi ἐπικεκαλυμμένας has esse in amoris sui beneficiis exhibendis promulgat; quo ipso in hominum conscientiis oritur persuasio ipsorum peccata esse remissa, sive veniam (ἄφεσιν) peccatorum esse datam. Nullus igitur sermo est de poenis sublatis, quae, utpote sequelae naturales et necessariae, non nisi cum ipso peccato, cujus sunt medicina, auferri possunt (1); neque eo sensu est accipienda remissio, ut tanquam sanctos et inculpandos Deus homines tractet; sed remissio est demonstratio Dei amoris hominibus concessa, ut in veram cum Deo relationem perveniant. Quam ineptum autem sit hac in re de aliquo Christi merito penes Deum aut satisfactione justitiae Divinae praestita cogitare, vel ex hoc quoque liquet, et quod *Christus* ipse, non vero Deus, Paulum vocaverit eique peccatorum veniam dederit, et quod ipse Apostolus, ubi hanc sibi datam memo-

(1) Vel ipsum Paulum ubi »non punitum" dicimus, non volumus eum nullam peccati sui poenam luisse. Naturalem tulit persecutionis sequelam, quum Apostoli reliqui illum agnoscere nollent, quumque illi prae aliis insidias struerent Judaei conversionem ejus aegre ferentes; praesertim autem hoc, quod per totam deinceps vitam anterius suum peccatum lugere et respuere debuit, maximam expendit poenam. Hoc vero sensu non punitus est, quod graviori non affligeretur poena, cujus se sceleratissimum dignum habebat quamque Dominus ei imponere potuisset, vid. supra p. 65.

rat, loquatur de misericordia et gratia *Christi*, 1 Tim. 1: 12—16. Quam peccatorum veniam si Christus suo sacrificio hominibus meruisset, eam Paulo certe Christus morte sua a se ipse impetrasse dicendus esset.

4. Pervenimus ad locum de *fide*, in quo tractando brevioribus esse licet. Etenim et in Pauli conversione contemplanda vidimus, eandem, qua eo tempore Christo se addiceret, esse fidem Christianam, quam ab omnibus exigit (p. 65 sq.), et in ejusdem theologia tractanda ad fidei naturam rite intelligendam ipsius Pauli exemplum exhibere debuimus, quippe in quod ipse ubivis lectorum suorum oculos dirigat, Phil. 3: 15. Neque hoc est mirandum; nam simulac fidem suam, i. e. totam mentem, animum voluntatemque Jesu traditam, huic acceptam esse vidit, et vero in semet ipse ita demum animi quietem eo usque ignotam omnemque salutem, ex fide profluentem, tum statim expertus est, tum permanere et augeri agnovit, — non potuit non omnibus eandem commendare fidem, Deo acceptam, hominibus vero omnium bonorum fontem. Quum itaque eandem, quam ipsis conversus foveret, omnibus commendaret fidem, facile intelligimus, cum reliqua quoque, quae de fide docuit, ex sua derivasse experientia. Prouti enim fidem suam contemplatus, hanc et a Deo acceptam et tamen libere ab ipso genitam agnovit, ita pariter utrique et gratiae Divinae et homini libere hanc recipienti, in theologia sua locum dedit (vid. supra p. 98, 99). Denique observare licet, quum ex Pauli mente salutis opus ita procedat, ut, promulgatâ veniâ peccatorum, homo Dei amore motus ad Deum revertatur eique fidem nunc habeat, qua et justus agnoscatur et Dei fiat filius, eandem pariter antea in ipso ad Christum se convertente obtinuisse rationem.

5. Nec tantum eadem in utraque obtinet ratio, sed et illae, quas in theologia exponenda tractavimus, δικαίωσις et υἱοθεσία, ex nulla alia quam ex eadem conversione sunt repetendae et explicandae.

Quod ad δικαίωσιν attinet: quamvis neque in Jesu apparitione neque in ipsius Pauli conversione disertis verbis haec memoretur, ipse tamen Apostolus certissimum dedit indicium, historia comprobatum, ipsum jam tunc semet cognovisse justificatum, et vero ex una sua ipsius experientia suam de justificatione e fide derivasse doctrinam. Etenim Phil. 3: 4 sqq. vitae et anterioris suae et posterioris describens rationem, se propter τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ omnia parvi habuisse et rejecisse, dicit, ut

ipsum Christum assequatur in ejusque communione vivere deprehendatur, *μὴ ἔχων*, inquiens, *ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει.* Itaque non legis operibus, sed fide justificatum se sentit, et quidem sola fide, quam, postea quidem factis probatam, a Jesu in via Damascena vocatus unice corde fovebat, ore autem professus erat. Hanc eandem et fidem et justificationem Philippensibus commendat 3: 15, in suo ipsius exemplo ostendens, quid Christianum deceat, nobis vero simul vinculum indicans arctissimum, quo ejus theologia cum conversione conjuncta est. — Quod autem e Pauli verbis eruimus, idem historiâ comprobatur. Supra vidimus, eum, Jesu agnito Dei Filio, perspexisse, et divinitus sublatam esse legem, et hanc hominibus salutem minime potuisse afferre; hoc autem quid est, nisi placitum illud: neminem ex lege coram Deo justificari? Simulatque autem fidem suam ita Christo acceptam esse vidit, ut, hac sola, animo suscepta verbisque declarata, dignus haberetur, cui munus mandaretur apostolicum et multa Christi causa patienda proponerentur, agnovit se ideo a Deo tanquam justum tractari, et per rectam suam cum Deo relationem aptum esse, cui summa in Divino regno bona atque munera concederentur; itaque utrumque didicit, èt l e g e m non afferre *δικαιοσύνην*, èt hanc ex una f i d e homini contingere. Utrumque autem transtulit in theologiam. Quod quamvis superioribus jam satis superque demonstratum sit, his praeterea fulcitur, quod, uti ipse gratia Divina se justificatum agnovit, ita quoque *χάριτι δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον* semper docet, et vero prorsus convenienter suae ipsius experientiae semper in lucem profert utrumque: *πίστει* justificari hominem, *χωρὶς ἔργων νόμου*, Rom. 3: 24, 28.

6. Quod hucusque facili opera probavimus, theologiam Paulinam ex ejus conversione esse repetendam et explicandam, hoc minus quadrare videtur, primo saltem obtutu, in ejusdem doctrinam de *υἱοθεσίᾳ*. Neque hujus tamen fons alibi videtur quaerendus. Etenim si accurate perpendimus, unde noster suam hac in re sententiam haurire potuerit, omnino statuendum videtur, Paulum ne hanc maxime sublimem quidem doctrinam ab aliis accepisse(1), sed in experientia

(1) Paulum ab aliis Apostolis, J e s u hac de re effata cum ipso communicantibus, aut a J o h a n n e, multum de Dei liberis loqui amante, doctrinam hanc accepisse, etiam ideo minus probabile est, quum nonnihil discriminis obtineat inter Jesu et Johannis atque inter Pauli loquendi usum. Vid. DE H OOP SCHEFFER, *De zegswijze, kinderen Gods, Waarh. in Liefde*, 1849, IV,

sua fundatam sibi ipsum exstruxisse. Quam quomodo sensim sensimque in se ipse explicuerit, licet difficilius sit accurate investigare, certissimum tamen est, doctrinam de filiorum Dei statu totam quantam innixam esse notioni de Jesu Dei Filio, cujus initia in via Damascena in se suscepit. Quo magis Jesum cognovit Dei Filium κατ' ἐξοχήν, et cum hoc, fide semper perfectiore fovenda, conjunctus fuit, atque tum se ipse, tum optimum quemque eodem Dei spiritu repletum et ductum sensit et vidit, eo certior in ipso fiebat persuasio, per illum omnes adscendere et posse et debere ad υἱοθεσίαν illam, quam in V. Foedere Deum jam promisisse nunc vidit, Gal. capp. 3 et 4. Ita tandem hoc Dei in Christo fuisse consilium perspexit, ut omnes Christi adinstar transformentur in Dei filios (1).

III. Quod denique attinet ad Pauli sententiam de gratia Divina, omnes per totam vitam curante, hanc, cum universa de Dei gratia doctrina cohaerere inque ipsius experientia unice fundatam esse, supra jam exposuimus p. 121 sq.

Quod autem hoc in loco imprimis videmus, id in superioribus omnibus probe tenendum est: praeter ipsam conversionem multas Paulo fuisse opportunitates, quibus antea praepararetur ad Jesu apparitionem in semet recipiendam, ac deinde, quas ex hac tulerat, notiones ei confirmarentur et explicarentur. Est hoc jam in hujus

---

p. 741 sqq. Conf. etiam PHILIPPI, *Comm.* ad Rom. 8: 15, II, p. 79, qui inter alia haec habet: »Es bezeichnet also das τέκνον, der υἱὸς Θεοῦ, bei Paulus den Stand und das Recht, bei Johannes den Ursprung und die Wesensähnlichkeit, bei den Synoptikern die Gesinnungsgleichheit des Kindes mit dem Vater."

(1) Uberius haec exponere supervacuum est post accuratam disquisitionem viri doctissimi JUNIUS, *Het zoonschap der Christenen volgens Paulus*, in *Waarh. in Liefde*, 1845, II, p. 221 sqq., qui, Pauli doctrinâ expositâ, deinde quaestioni »quomodo notio *υἱοθεσίας* in Apostoli mente sit orta et explicata" p. 315 sqq. pluribus respondet. Suam ipse sententiam ita enuntiat p. 319: »Dit (bedoelen wij), dat wij niet geheel zonder grond ons dien gang (der ontwikkeling van het begrip *zoonschap* in Paulus) aldus mogen voorstellen: dat het in den geest des Apostels *ontkiemde* door het gebeurde op den weg naar Damaskus en door de overlevering aangaande Jezus persoonlijkheid vergeleken met het leven en den geest der Christenen; dat het (in hem) tot *bewustheid* kwam door innerlijke ervaring; en hem *bevestigd* werd door de schriften des O. V. en door een vergelijkenden blik op het leven en den geest van Christenen en on-Christenen." Conferantur autem omnino, quae deinde affert vir doct. ad hanc sententiam explicandam omnique dubio superiorem reddendam p. 319—322.

opusculi Introitu indicatum (1); quod autem ibi pluribus exponi non poterat, id nunc jam sponte intelligitur. Nullum enim omnium quae attigimus est placitum, ad quod concipiendum non sit praeparatus, ad quod confirmandum et exponendum ex experientia insequenti non hauserit multa. Ingenio praeditus acutissimo multaque eruditione instructus, recte intelligere potuit et apte conjungere quas rerum Divinarum conceperat ideas. Institutione porro usus est tum Hellenistica, tum Judaica et Pharisaea. Illa multum valuit ad cultum philosophiamque Graecorum aestimandam, quam reliqui Judaei alto supercilio despicere solebant, eoque ipso eum aptiorem reddidit, qui Gentibus Euangelium annuntiaret; hac vero ea imbuebatur tum librorum Sacrorum tum Rabbinorum doctrinae cognitione, qua et praeparatus est qui alios Judaeos de rei Christianae veritate convincere posset, et vero etiam ipse postea multum profecit ad Christi religionem melius intelligendam et explicandam. Nec negligendum est commercium, quod jam ante conversionem cum Christianis habuit. Etenim quam ex iis, quae inter Judaeorum proceres de Jesu Nazareno circumferebantur, acceperat notitiam rei Christianae, haec purior multo facta est disputationibus cum Stephano aliisque Christianis doctioribus. Imprimis ex Stephani praedicatione tulit multa, quorum primarium supra jam nominavimus, persuasionem Jesu fuisse consilium legem Mosaicam evertendi. Denique observandum, Paulum et in Stephani martyrio et in iis, quae Christianos vexans vidit et audivit, vim adspexisse religionis Christianae hanc, qua vel mediis in calamitatibus gloriari possent. — Post Jesu apparitionem trium dierum spatio cibo potuque abstinens, et ipso oculorum usu destitutus, in magna solitudine sibi uni relictus, quae Jesum dicentem audiverat cum iis, quae antea vidisset, legisset aut quoquomodo percepisset, componere potuit; cogitata et sensa, quae ipsum obruebant, quum Jesu ipsi apparente humi prosterneretur, nunc redierunt, inque ejus animum alte infixerunt persuasionem duplicem: se esse *peccatorem*, seque *gratiae Divinae* unice debere quod servaretur et *fide* habenda coram Deo *justificaretur*. Sed haec supra p. 63—70 uberius exposita, hic mittenda sunt.

Nec tamen eo conversio valuit, ut nunc jam, nulla acce-

(1) Vid. p. 22, 23. item p. 68 sq.; praeter scriptores ibi allatos nominandus etiam N. BEETS, *Paulus, in de gewichtigste oogenblikken zijns levens voorgesteld*, qui de Pauli conversione agens (*Saulus en Jezus*, p. 10 sqq.), egregie exponit, quibusnam rebus ad conversionem suam praeparatus sit Paulus.

dente aut hominum Christianorum aut ipsius Christi institutione, omnem suam theologiam eamque omnibus numeris absolutam teneret. Quod ut verum sit, tantum abest, ut progressus adsit theologiae Paulinae nobis etiamnum conspiciendus (1), et docente historia variae fuerint Paulo opportunitates vitaeque vicissitudines, quibus suam de re Christiana aut confirmaret sententiam aut explicaret. In his primo loco nominandum est tempus, quod Damasci commoratus est, ubi procul dubio multa Ananiam et rogavit et dicentem audivit de Jesu fatis factisque, deque universa re Christiana; vide quae supra diximus p. 66 not. 1. Mox autem Damasco profectus se contulit in Arabiam, ibique per tres annos degit. Quamvis de iis, quae Paulus ibi fecit aut expertus est, nil nobis relatum sit, hanc tamen commorationem ipsi gravissimi fuisse momenti, nemo bene rem reputans infitiabitur. Hoc tempore enim usus videtur, non ut Euangelium praedicaret, sed ut huic muneri gravissimo meditando, legendo, precando semet praepararet (2). Christus non voluit, ut, repentina sui apparitione quasi oppressus, inconsulto nunc Paulus ipsi se addiceret; ideirco post tres demum dies persecutorem in Ecclesiae communionum recipiendum curavit; pariter non statim, sed post trium modo annorum praeparationem eum apostolicum suum munus aggredi voluit. Ergo quamvis certi nihil noverimus a Paulo ibi actum, hoc tamen statuere nobis posse videmur, eum nunc sive relegendo sive meditando in Sacras scripturas inquisivisse multaque ibi invenisse, quorum consilium antea prorsus non intellexerat, quibus vero nunc persuasionem suam de

(1) Paulum sententiam suam nisi mutasse, ulterius tamen explicuisse putamus v. c. in doctrina de Christi *παρουσίᾳ* quam propiorem videtur proponere 1 Thess. 4: 13 sqq.; 2 Thess. 2: 1 sqq., postea tamen sua aetate adhuc locum esse habituram non exspectavit Phil. 1: 23, — in iis quae de conjugio suadet Corinthiis, 1 Ep. 7, collatis cum his quae monet Eph. 5: 25—32, — imprimis autem in doctrina de Jesu, Dei Filio, longe sublimius in epp. ad Col. et Eph. exposita quam in prioribus epp. ad Thess. Hac de re conf. omnino SCHUMANN, *Christus*, II, p. 526—584. — Cum his praeterea optime conveniunt quae de quavis et sua ipsius etiam cognitione imperfecta profitetur Paulus 1 Cor. 13: 9—12. — Videatur tamen quoque REUSS, *Hist.* p. 45 sqq. contendens, Pauli cogitandi rationis progressum non locum habuisse per brevius illud temporis spatium, quo epistolas scripto mandavit, sed ante primam epistolam scriptam jam esse finitam.

(2) Praedicandi causa Paulum in Arabiam esse profectum putat NEANDER, *Apost. Kerk*, I. p. 131, quem tamen refellit OLSHAUSEN, ad Act. 9: 20, *Bibl. Comm.*, II, p. 761. Conf. omnino J. J. PRINS, *Allerlei uit de Schriften des Nieuwen Verbonds*, p. 135 sq., 139 sqq.

re Christiana confirmari et explicari vidit. Nunc enim expertus est, ipsi olim accidisse, quod universe in Judaeis locum habere deinde affirmabat, Mosem quidem legi, non vero intelligi, quum verus eos lateat sensus καλύμματι obtectus, quod in Christo tantum removetur. Jam vero καλύμματι remoto vidit Paulus, et universe Euangelium jam praenuntiatum esse in libris Sacris Rom 1: 2; 16: 26; Tit. 1: 2, et singula rei Christianae capita fere omnia in iis jam esse adumbrata: Christum mori debuisse et resurgere e mortuis, Act. 26: 22, 23; 1 Cor. 15: 3, 4, coll. Act. 13: 27—29, 32—36; 17: 11; Rom. 15: 3; 1 Cor. 5: 7; — omnes peccato subesse, Rom. 3: 10—18; 5: 12 sqq.; — peccatorum remissionem praeberi a Deo, Rom. 4: 7, 8; — omnes non ex operibus sed e fide justificari, Rom. 1: 17; 3: 21, 31; 4: 3 sqq., impr 24; 10: 6—8, 11, 13; Gal. 3: 6—14, impr. 8; — omnem salutem ex uno Deo esse repetendam, 1 Cor. 1: 31; 2 Cor. 10: 17; — Deum esse veracem, Rom. 3: 4, sapientem, Rom. 11: 34, 35, libere eligentem, Rom. 9: 15, 17, justum etiam quando a Judaeis ad Gentes Euangelium transfert, Rom. 9: 25—29, quam Gentium vocationem pariter in V. Foedere praedictam vidit, Rom. 15: 9—12; — similiter Judaeorum et ἀπιστίαν, Rom. 9: 33; 10: 16; 11: 8—10, et hujus sequelam, 10: 19—21, et vero resipiscentiam ac salutem futuram, 11: 26, 27; — Christi denique Ecclesiae regimen, Eph. 4: 8—10; 1 Cor. 15: 25, 27, — hujus cum Ecclesia conjunctionem, Eph. 5: 31, — judicium Divinum et res post mortem futuras, Rom. 14: 11; 1 Cor. 15: 54, 55: — haec omnia, antea ipsi non intellecta, in V. Foederi nunc legit aliisque quoque ibi inveniri postea ostendit. Nec tantum ad haec quae in Sacris libris occurrunt verba attendit, sed imprimis etiam universa historia Sacra virorumque probissimorum exemplo usus est, ut et sibi et aliis Dei consilia reique Christianae veritatem exponeret, Rom. 4; 5: 12 sqq.; 9: 6 sqq.; 11: 2 sqq.; Gal. 3: 6 sqq.; 4: 21 sqq. Ita nunc quoque, ut hoc uno utar exemplo, perspexit legem datam esse hoc consilio, ut Israëlitas veluti pueros institueret et praepararet ad statum hunc, qui non est minorennium sed adultorum filiorum Dei, ad quem per Christum perveniunt, Rom. 10: 4 sqq.; Gal. 3: 19 — 4: 7. — In his satis patet, Paulum multum profecisse ex V. Foederis accurata notitia. Idem autem omni dubio superius fit reputantibus, appellationem illam ad V. Foedus Paulo minime fuisse argumentationem *ad hominem*, quae dicitur, qua in Judaeorum gratiam usus sit, cui vero non magnam demonstrandi vim

tribuerit ipse. Contra, tantum « libris Sacris" tribuebat honorem, ut non modo in virtutibus singulis commendandis ex iis praecepta sua saepe hauriat (Rom. 12: 19, 20; 13: 9; 1 Cor. 6: 16; 9: 9; 10: 7, 2 Cor. 6: 14—18; Gal. 5: 14; Eph. 4: 26; 5: 14; 6: 2, 3), aut quae dixit loco inde desumto illustret et explicet (Rom. 8: 36; 1 Cor. 1: 19; 2: 9, 16; 3: 19, 21; 14: 21; 15: 45; 2 Cor. 6: 2; 8: 15; 9: 9; 13: 1), sed etiam affirmet omnia quae scripta sunt ad nostram institutionem esse scripta, Rom. 15: 4, coll. 1 Cor. 9: 10, Timotheoque in memoriam revocet, ipsum a teneris inde scivisse *τὰ ἱερὰ γράμματα, τὰ δυνάμενα σοφίσαι εἰς σωτηρίαν*, 2 Tim. 3: 15. Quae vero his subjungit: *διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, haec satis ostendunt, ipsum Paulum post suam demum fidem Christo datam hunc ex V. Foedere tulisse fructum; conf. 2 Cor. 3: 14—16.

In his tractandis paulo longiores esse, necesse erat, quum praeter Jesu apparitionem nihil fere tantam vim in Paulo habuerit quam V. Foederis notitia. Paucis etiamnum attingamus reliquas opportunitates, quibus sententiam suam de re Christiana sibi illustrasse aut confirmasse dicendus est.

Nonnihil procul dubio tribuendum est commercio cum Christianis et reliquis Apostolis; hoc autem quandoquidem minus valuit ad dogmaticam quam ad historicam de Jesu cognitionem augendam, hîc mittendum est (1). Minime vero negligendum, Paulum et e Jesu patefactionibus saepe repetitis (vid. Introit. p. 2 sq.) et e sua cum Christo communione, et ex universa vitae experientia plurimum profecisse. — Etenim Paulus non exstitisset Gentium Apostolus, neque cum his quoque Euangelium esse communicandum tam strenue defendisset, nisi et Jesus hoc mandatum iterum in ipsum contulisset, et vero ipse Judaeorum *ἀπιστίᾳ* coactus fere esset, ut ad Gentes se converteret, Act. 13: 46; Rom. 10: 19.

Sua cum Christo communione universaque experientia cognovit, religionem Christianam unam omnia explere desideria salutemque, quae una hoc nomine digna esset, afferre, Rom. 5: 1 sqq. Quo magis porro gratiam Divinam ipsum servantem et e maximis periculis eripientem experiebatur, eo sublimior ipsi apparuit Jesus, Dominus vere coelestis suis semper consulens.

Denique non in semet tantum, sed in aliis quoque vidit religionis effectum. Ad hunc provocat, ut et Galatis, 3: 1—5, et aliis,

(1) Hac de re vid. omnino JUNIUS, *Het zoonschap der Christenen*, p. 322, not. 2.

1 Cor. 9: 1—3; 2 Cor. 3: 1—3, persuadeat, se revera esse Christi Apostolum; hoc procul dubio ipse quoque certissimus factus est, se jure praedicare gratiam Divinam.

Haec pluribus exponere opus fuit, ne videremus, neglectis multis quibus Paulus etiam informatus est, ex una conversione omnia repetere. Attamen quamvis eorum omnium magna in Paulo fuerit vis, non dubitamus majorem longe adscribere Pauli conversioni e Jesu apparitione ortae, quippe quae semina continet omnia, e quibus theologia ejus postea increvit, etsi haec semina felicius increverunt, quia ipse his rerum opportunitatibus frueretur. — Sed ad argumentum nostrum redeamus.

Omnibus quae supra p. 124—133 attulimus satis jam probasse nobis videmur, Paulum ex sua conversione suam repetivisse doctrinam de gratia Divina. Interna enim cohaerentia conversionis theologiaeque est tanta, ut, quum desit indicium quodcunque, eum aliunde dogmata singula repetivisse, dubitari non liceat, quin in sua ipsius experientia fundatum sit theologiae aedificium. — Accedunt autem Apostoli ipsius testimonia, quibus totidem verbis affirmat id, quod superioribus probare conati sumus. Nolo equidem denuo provocare ad dubiae fortasse interpretationis locum illum, quo ex patefactione Jesu Christi (ἀποκάλυψις I. X. Gal. 1: 12, 16;) se suum Euangelium cognovisse dicit; sed haec innuo Apostoli effata, in quibus doctrina quam tradit ex iis, quae ipse faciebat aut expertus erat, explicatur aut repetitur. In his est locus 1 Cor. 15: 11, ubi diserte dicit, nec se neque reliquos Apostolos quidquam aliud praedicare, quam quae ipsi vidissent; in contextu autem patet, eum loqui de Jesu resuscitato, quem ipse in via Damascena adspexerat, vs. 8—10. — Alter locus est Phil. 3: 15—17: ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν — — συμμιμηταί μου γίνεσθε, in quo suum ipsius exemplum hoc nomine lectoribus commendat, ut eandem ac ipse *fidem* habentes 3: 10—14, eâdem quoque *justificentur* vs. 8, 9, misso operum merito quocunque, vs. 6—8. — Quod autem hoc loco non nisi implicite dicit, idem disertis verbis ad Timotheum suum profitetur 1 Tim. 1: 11—18. Hîc enim locutus de Euangelio ipsi mandato vs. 11, vitam suam memorat gratiamque Divinam laudat, qua factum sit, ut ipse, antea βλάσφημος καὶ διώκτης καὶ ὑβριστής, Apostolus sit creatus vs. 12, 13. Pluribus deinde hanc gratiam ipsi datam describit, conspicuam in remissione peccatorum,

ἀλλ' ἠλεήθην ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ vs. 13, 15; — in fide et amore, ὑπερεπλεόνασεν δὲ ἡ χάρις — μετὰ πίστεως καὶ ἀγάπης τῆς ἐν X. I. vs. 14; — in munere apostolico ad quod vocatus erat vs. 12; — in σωτηρίᾳ ipsi peccatori datâ vs. 15; — denique omnia recolligens Christum dicit in ipso omnem suam ostendisse misericordiam πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον, vs 16. Itaque ex iis, quae expertus erat ipse, derivat, eandem gratiam omnibus, quotquot fidem essent habituri, datum iri. Totum locum concludit doxologia in Deum, quippe a quo uno tanta gratia in homines emanet. Exposito itaque Euangelio suo, ad Timotheum redit vs. 18: ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι, τέκνον Τιμόθεε, »mandatum hoc, quod in me detulit Christus, nunc quum ipse longe *abiturus sim apud te depono;*" significans ita, se idem semper, quod nunc Timotheo mandabat, fecisse, διαμαρτύρασθαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, quam gratiam, ut omnes in ipso conspicere debebant, ita ipse in se expertus erat Act. 20: 24 (1).

---

(1) Vulgo verba 1 Tim. 1: 18 ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι referuntur aut ad ea quae vs. 3 et 5 antecesserunt (BENGEL), aut ad sequentia, ita ut mandatum illud esset ἵνα στρατεύῃ caet. (MATTHIES, DE WETTE, HUTHER) Posterior explicatio minus valere videtur, quia ἵνα pertinet ad παρατίθεμαι, non vero ad ταύτην; neque locis Joh. 13: 34; 15: 12 talis structura probatur. Optime vero mihi oratio procedere videtur, si vs. 18 arctissime praecedentibus annectitur, ita ut ταύτην referatur ad ea, quae jam de gratia Divina exposuerat Apostolus. Haec interpretatio, quam verborum ordo postulat, commendatur ulterius duplici ratione: *a.* Paulus Ecclesiae Ephesinae curam Timotheo committens recte dicere potuit, se *Euangelium suum* a Christo ipsi datum, apud Timotheum *deponere*, παρατίθεσθαι; *b.* totus locus 1: 12—17 est expositio doctrinae falsorum doctorum, quam Timotheo impugnandam mandat 1: 3, 4, 18. Etiam HUTHER hoc vidit: »Dieser Abschnitt (1: 12—17) steht mit dem Vorhergehenden in engster Verbindung, indem er den Gegensatz zwischen der Irrlehre und dem Evangelium in seiner ganzen Tiefe aufzeigt. Die Irrlehre hatte es einerseits mit unfruchtbaren Spekulationen zu thun; wo sie aber andrerseits praktisch werden will, da knechtet sie den Christen unter das Gesetz: das Eine, worauf es vor Allem ankommt, die Vergebung der Sünde(n) gewährt sie nicht, und darum kennt sie auch nicht das Erbarmen des Herrn. Das Wesen des Evangeliums dagegen ist es, gerade dieses zu offenbaren." Eandem vero »intimam cohaerentiam" video quoque inter vs. 18 et praecedentia. — Haec autem nostra interpretatio etiamsi fortasse non probetur, vel sic tamen verum manet, quod ostendere conati sumus; etenim verba πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ satis indicant, Paulum ex sua ipsius experientia et demonstrasse et repetivisse doctrinam suam de gratia Divina.

Quod autem Paulum fecisse videmus, id non forte aut inconsulto fecit, sed jubente et volente Christo. Etenim, Paulo etiam referente, voluntatem suam cum ipso communicavit Dominus, ut esset testis omnium quae audiverat atque viderat, Act. 22: 15; 26: 16; hinc in oratione valedictoria ad episcopos Ephesinos munus suum dicit, Act. 20: 24: *τὴν διακονίαν, ἣν ἔλαβον παρὰ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, διαμαρτύρασθαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ.*

CAP. III.

CHRISTI ECCLESIA.

In exponenda vi, quam Jesu apparitio in via Damascena in Paulo habuit, inque enumerandis variis, quae tunc et didicit et alios postea docuit, unum hucusque reliquimus intactum, quod aeque est memorandum, quum ex eo tota illius theologia de Ecclesia hujusque cum Christo conjunctione pendere videatur. Etenim Jesus Paulo apparuit non tantum in coelis vivus (cap. I), summoque amore ipsum peccantem revocans et ad salutem comparandam invitans (cap. II), sed idem simul ipso peccatore retinendo ostendit sese Ecclesiae suae vexatae summa cura consulentem. Quam Christi curam eo intellexit melius Paulus, quo clarius Domini intonuit vox: »Saul, Saul, cur persequeris *me?* »Ego sum Jesus, *quem* tu persequeris!" Ergo èt experiebatur, Jesum Ecclesiae suae causam agere, èt ex illius verbis didicit, unum veluti corpus efficere Dominum et socios. Quibus jungendum est, quod mox baptizatus in Ecclesiae communionem recipiebatur. — In his omnibus origo quaerenda est doctrinae illius, quam postea de *Christi Ecclesia* protulit. Quod hoc capite III probaturo, facillima mihi ratio videtur haec, ut priori loco ipsam hac Pauli de re doctrinam exponam et cum Jesu Apostolorumque reliquorum sententia comparem, deinde fontem, unde hoc quoque suae theologiae principium hauserit, accuratius commonstrem.

Pauli de Christi Ecclesia doctrina.

In Pauli theologia tractanda hucusque imprimis contemplati sumus vitam Christianam, quam in singulis excitare et efficere vult Deus, cujus principium vidimus esse fidem, qua cum Christo junguntur et in hujus communione vivunt Christiani. Neque tamen hîc subsistit Apostolus, imo haec hominum singulorum vitae cum Christo communio pars ei tantum est et facies una regni illius Divini, quod Christus in terris condidit et coelitus tuetur. Itaque semper etiam de omnium Christianorum societate sive de Ecclesia agit, cujus quisquis Christo fidem habet èt est socius èt vero se socium cognosse mutuoque vinculo cum reliquis omnibus junctum sentire debet (1).

Nec tantum sibi invicem junctos vult Ecclesiae socios, sed qualem singulorum cum Christo cogitandi, sentiendi et vivendi communionem, Eph. 3: 17, Rom. 6: 3 sqq.; 8: 10; Gal. 3: 27, talem universae quoque societatis Christianae cum Jesu Christo, Domino coelesti, conjunctionem statuit, Eph. 1: 22, 23; 4: 4—6, 12—16; 5: 23—32; 1 Cor. 12: 12; Col. 1: 18—20; Rom. 12: 4, 5; 14: 8, 9; Gal 3: 27—29. Haec vitae communio, qua Ecclesia suo juncta est Domino, tanta est ex mente Pauli et tam efficax, ut prorsus cum eo sit unita unumque efficiant Christus et Ecclesia corpus, a quo si Christus divellitur, non manet Ecclesia, neque si Ecclesia aufertur, manet Christus. Prouti enim capite abscisso restat cadaver, aut membris avulsis caput nihil valet neque amplius est caput, sive veluti rex sine civibus non est rex, neque regnum absque rege regnum dici potest, ita quoque nec Christus neque Ecclesia, sublato altero, pergit vel Christus vel Ecclesia esse.

Hanc Ecclesiae cum Christo unitatem nusquam plenius exposuit Paulus quam in epistola ad Ephesios. In hac enim scribenda sibi hoc proposuisse videtur Apostolus, ut summam doceret γνῶσιν Christianam. Itaque exponit, quaenam Dei consilia ab aeterno capta in Christo ad eventum jam sint perducta et sensim magis tandemque penitus perducenda. Dei vero consilium summum quum sit ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, Deus nos et

(1) Pauli sententiam de Ecclesia Christiana exposuit PAREAU, *De leer van Paulus omtrent den aard van Jezus Kerk*, in *Waarh. in Liefde*, 1842, IV, p. 711 sqq.; conff. praeterea USTERI, *Paulin. Lehrbegr.* ed. 4, p 260 sqq.; NEANDER, *Apost. Kerk*, II, p. 194 sqq; REUSS, *Hist. de la Theol.* II, p. 202 sqq.; LECHLER, *Apost. Zeit.* p. 69 sqq.

ad sanctitatem consequendam ab aeterno elegit, et praedestinavit ad filiorum statum, et vero consilium illud exsecuturus Christum dedit maximaque eum induit potestate, qui omnes, Judaeos et Gentes, cum Deo et secum invicem reconciliaret, cunctosque suo imbutos spiritu ita animaret, ut cum ipso unum efficerent corpus, quod semper increscens, ipso curante et moderante, ad summam perfectionem perveniret. Ergo per Christum Ecclesia adest, quae, licet diversissimis partibus constans, una tamen est, quippe in Christo fundata Eph. 2: 13—16, 20—22; 4: 3—6; nec tantum unam *in* Christo Ecclesiam, sed et *cum* Christo unum eam dicit corpus; Ecclesia enim est τὸ πλήρωμα τοῦ Χριστοῦ 1: 23; 4: 13, coll. 3: 19; 4: 10(1); est templum, cujus lapis angularis est Christus 2 20—22; est σῶμα τοῦ Χριστοῦ 1: 23; 4: 12, 16, in quo corpore singuli socii membrorum locum tenent, ipse vero Christus est membrum supremum, sive *caput* 1: 23; 4: 15. Quae omnes imagines tendunt ad significandum et exponendum vinculum, quo Christiani et inter se et cum Christo juncti tenentur. Quantopere autem in his, quae cap. 1—4 dixerat, Christi et Ecclesiae unitatem ob oculos habuerit, imprimis patet in iis, quae cap. 5 de conjugum officiis habet. Etenim veram matrimonii aestimationem sublimemque consilium, quod nemo antiquorum neque igitur Ephesii tenebant, explicaturus et commendaturus, ex Christi Ecclesiaeque communione intima, ad unitatem amoremque mutuum, qualis conjuges inter adesse deceat, illustrandum, imaginem petit. Ad notissima provocat, ut nova et ignota doceat. Christus est ἡ κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας, ὁ σωτὴρ τοῦ σώματος, atque Ecclesia hunc ipsum in finem, ut salvetur, ei est subjecta 5: 23, 24. Christus summo Ecclesiam prosequitur amore eoque sanctissimo, ut sanctam et inculpatam eam reddat, vs. 25—27, eoque ipso ei in omnibus consulit, utpote corpori suo, vs. 29, 30. Quin eo procedit Apostolus, ut nos dicat μέλη τοῦ σώματος αὐτοῦ, ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ, vs. 30(2).

(1) Christus est ὁ πληρῶν s. ὁ πληρούμενος, *is qui omnia perficit;* hoc facit per Ecclesiam, quae ejus est *corpus*, *organon*, τὸ πλήρωμα, *quo*, *curante Christo veluti capite*, *omnia perficiuntur*. Vid. infra p 153, ubi hac de re uberius agetur.

(2) Postrema haec: ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ, a TISCHENDORF ed. 2 rejecta, tuitus est MEYER, *Comm.* ad h. l. p. 197. Rationibus ab hoc allatis addi possit, Paulum verba sequentia vs. 31 ex Gen. 2: 24 desumta non adhibiturum fuisse, nisi ad id inductus esset iis ipsis, quae

Quae omnia a nobis eo melius intelliguntur, quo verior atque sublimior nobis est notio conjugii vere Christiani, quod his commendare voluit Paulus. — Profecto valent Calvini (1) verba: »Hic summus honor est Ecclesiae, quod se Filius Dei quodammodo imperfectum reputat, nisi nobis sit conjunctus. Quanta consolatio, dum audimus, tunc demum suis omnibus partibus constare, et integrum velle haberi, dum nos secum habet."

Eadem autem Christi atque Ecclesiae unitas, quam Ephesios tam diserte docet Paulus, in aliis quoque ejus epistolis occurrit. Primum nominandus est locus 1 Cor. 12: 12: *καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἕν ἐστιν καὶ μέλη ἔχει πολλὰ, πάντα δὲ τὰ μέλη τοῦ σώματος τοῦ ἑνὸς πολλὰ ὄντα ἕν ἐστιν σῶμα· οὕτω καὶ ὁ Χριστός.* Ecclesiam et Dominum (qui conjunctim unum efficiunt corpus) uno *Christi* nomine complectitur, eoque ipso significat, se hos non tanquam diversos aut sejunctos cogitare, sed indivulso vinculo conjunctos habere. — Idem efficimus ex loco Gal. 3: 27—29, coll. 15, 16. Ibi enim ut probet, promissorum Abrahamo datorum participes esse Christianos, haec citat promissa, urgens ea data esse non seminibus Abrahami, sed *semini*, id est Christo 3: 15, 16. Postquam deinde exposuit vs. 17—25 lege interveniente haec promissa non tolli, sed legis datae consilium fuisse, ut ad Christum praepararemur, ita pergit, ut vs 26—29 probet, nos singulos fide Christo data in Christi communionem venisse, in qua omni diversitate sublata omnes simus *una* quasi persona, et juncti cum Christo illud Abrahami *semen unum*, quod haereditatis Abrahamo promissae est particeps. — Itaque intimam Christum inter atque Ecclesiam statuens conjunctionem, Christianos dicit esse *Christi*, 1 Cor. 3. 23; 15: 24, Christumque viventem in Christianis, 2 Cor. 13: 5, prouti hos confirmatos et aedificatos in Christo, Col. 2: 7, 10.

Quo melius autem intelligamus, quomodo hanc unitatem sibi

---

vs. 30 ex Gen. 2: 23 attulerat. — Praeter commentatores ad h. l. consulatur impr. J. BOEHES, qui in disputatione *De Mysteriis in religione Christiana*, Gron. 1843, p. 41—48 totius hujus loci (Eph. 5: 22—32) rationem egregie explicuit. Conf. tamen quoque A. NIERMEIJER, *Over de echtheid van den brief aan de Efeziërs*, p. 482 sqq.

(1) Ad Eph. 1: 23. Quem autem ibi ex voce *πλήρωμα* eruit sensum, is non Eph. 1: 23, sed aliis locis, v. c. Eph. 4: 12—16; 5: 29, 30; 1 Cor. 12: 12; Gal. 3: 27—29 invenitur.

cogitaverit Apostolus, accuratius etiam varias contemplemur imagines, quibus sententiam suam depingere solebat. Ab ea, quae et intellectu est facillima et ab ipso Paulo saepissime est adhibita, incipientes, primum citamus loca illa, ubi corpori, cujus caput est Christus, aequiparat Ecclesiam: Rom. 12: 5; 1 Cor. 6: 15, 10: 17; 12: 12—27; Eph. 1: 23; 2: 16; 4: 4, 12, 15, 16; 5: 23, 28—30; Col. 1: 18, 24; 2: 19; 3: 15. Uti numerus locorum, in quibus haec occurrit, indicio est, Paulum minime inconsulto eâdem semper esse usum, ita dicendi varietas, in singulis observanda, viam nobis parat ad Apostoli mentem plene intelligendam. Neque enim eâdem hac corporis comparatione idem semper voluit significare. Itaque singulas ideas discernentes ex ordine has recenseamus.

a. Ecclesia est una: partes quidem sunt variae, hae omnes autem per se ipsae non consistunt, sed *partes* efficiunt *unius* ejusdemque Ecclesiae, Rom. 12: 4, 5· καθάπερ γὰρ ἐν ἑνὶ σώματι μέλη πολλὰ ἔχομεν, τὰ δὲ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν· οὕτως οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, ὁ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη, coll. 1 Cor. 10: 17; 12: 12 sqq; Eph. 2: 15, 16; 4: 4 sqq.; Col. 3: 15. Etenim in Christo (Rom. l. l. ἐν Χριστῷ) omnes conjuncti sunt, neque Christiani dici merentur, nisi quatenus socii sunt communionis illius, cujus Christus est auctor et caput supremum. Hujus autem communionis socii non modo sunt πάντες, *omnes*, sed οἱ πάντες, *cuncti*, omnes inter se conjuncti, Eph. 4: 13; quare etiam Rom. 12: 5 non πολλοί legitur, sed οἱ πολλοί. Communionis autem hujus vinculum est, tum *externum*, baptismus et S. coena, Eph. 4: 5; 1 Cor. 10: 17; 12: 13, tum *internum*, una fides, Eph. 4: 5, 13, una spes, Eph. 4: 4, unus amor, Eph. 4: 2, 3, 15, 16; Col. 3: 14, 15; 1 Cor. 12: 26; 13: 1 sqq.; Phil. 2: 2—5. Unus enim idemque omnibus, et per fidem *in* omnibus, est Deus, 1 Cor. 12: 6, 18, 24, 28; Eph 4: 6; Rom. 12: 3, unus Dominus, 1 Cor. 12: 5; Eph. 4: 5, unus spiritus, 1 Cor. 12: 4, 7—11, 13; Eph. 2: 18; 4: 3, 4.

b. Ecclesia est corpus unum, i. e. non est aedificium e lapidibus confectum, aut mechanismus, cujus rotae externa quadam vi moventur, sed est *corpus*, membris *vivis* iisque variis constans. Paulum hoc voluisse patet in ipsa imagine de corpore humano desumta, quam imprimis 1 Cor. 12 ita explicuit, ut singulorum accurate describat membrorum operationem, vs. 14—30. Itaque

aliis locis Ecclesiam comparat familiae (Eph. 3: 15), regno (Eph. 5: 5; 2 Tim. 4; 1), plantae (Rom. 11: 16—24), penitus quippe persentiens, Ecclesiam esse unum aliquid organicum q. d., non mechanicum, vivum, non mortuum.

c. Haec Ecclesia est corpus Christi, 1 Cor. 12: 27: *ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ*, Eph. 5: 30: *μέλη ἐσμὲν τοῦ σώματος αὐτοῦ, ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ*, coll. Eph. 1: 23; 4: 12; Col. 1: 24. Igitur *Christum inter et Ecclesiam intima adest conjunctio*, quam, ipsa imagine jam satis indicatam, diserte insuper exprimit, dicens *nos esse ex ejus carne et ossibus*. Neque hoc dictum est de singulis, ita ut quisque constituat corpus; tunc enim dicendum fuisset: *ὑμεῖς ἐστε σώματα Χριστοῦ*; sed universa Ecclesia unum corpus constituit cum Christo ita junctum, ut illius dicendum sit corpus (1). Ulterius autem comparationem exponens Paulus *Christum* hujus corporis dicit *caput* (Eph. 1: 22; 4: 15; 5: 23; Col. 1: 18; 2: 19), eoque ipso arctius etiam adstringit vinculum, quo Ecclesiam Christo alligaverat. Etenim »nec corpus absolutum est nisi caput accedat, et capiti videtur aliquid desiderandum nisi corpus omnibus membris consummatum accesserit "(2); ita Christus et Ecclesia corpus efficiunt unum atque indivulsum. Itaque nec miramur, Paulum de membrorum diversissimorum unitate loquentem, totum corpus dicere *τὸν Χριστόν*, 1 Cor. 12: 12.

d. Christum autem corporis *caput* dicens plura in mente habet. Nam ille est *Dominus summus*, *cui Ecclesia paret*, prouti in corpore humano caput est membrum summum, a cujus nutu omnia reliqua membra pendent. Hoc legimus tum Eph. 5: 23, 24, ubi diserte Christus dicitur *ἡ κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας*, cui capiti haec *ὑποτάσσεται*, tum in iis locis, ubi de summa potentia, quam Deus Christo dedit, sermo est, Eph. 1: 22, 23; Col. 1: 18. — Hac autem, quam in ipsum detulit Deus, potentia maxima, supra omnes quotquot in terris coelisve adsunt potestates Eph. l. l. Col. 2: 10, Christus utitur ad omnem vim hostilem frangendam 1 Cor. 15: 24, regnumque suum stabiliendum, usquedum omnes hostes ad suos dejecerit pedes, vs. 25, coll. Eph. 5: 23. — Eandem vero quoque adhibet, ut suis prospiciat; etenim

---

(1) Conf. omnino MEYER, *Comm.* ad 1 Cor. 12: 27, p. 214: „*σῶμα Χριστοῦ* 'nicht *ein Leib* sondern *der Leib* Christi."

(2) Verba ERASMI, *Paraphr.* ad Eph. 1: 23.

e. Christus summo Ecclesiae ducitur amore. Hoc quoque comparatione e corpore humano desumta illustravit Paulus. »Nemo unquam, inquit Eph. 5: 29, 30, suam ipsius carnem odio habuit; nos igitur, quoniam sumus ipsius corpus, Christus enutrit ac fovet", alludens ad id, quod paulo ante propriis enuntiaverat verbis, vs. 25: *ὁ Χριστὸς ἠγάπησεν τὴν ἐκκλησίαν καὶ ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ αὐτῆς.* Amore hoc ductus Ecclesiam curat; eam *liberat* periculis, quippe *ὁ σωτὴρ τοῦ σώματος* 5 23, ei *consulit*, ut singuli tales sint, qui toti Ecclesiae quam maxime conducere possint, 1 Cor. 12: 5; Eph. 4: 7, 10 sqq., coll. 1 Cor. 12: 28, sanctissimo ductus amore, ut Ecclesiam sibi informet *ἔνδοξον, μὴ ἔχουσαν σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος*, Eph. 5: 26, 27. Saepissime hujus et potentiae summae et infiniti amoris meminit Paulus, v. c ubi res quaedam gravioris momenti aut difficultatum plena ipsi est peragenda. Etenim neque aliquid sibi perficiendum proponit, nisi Domini opitulationem implorans, 1 Thess. 3: 11; 1 Cor. 4: 19; 16: 7, et semper illius agnoscit manum omnibus periculis ipsum liberantem et curantem, Rom. 8: 37; 2 Tim. 1: 12; 3: 11; 4: 17; 2 Cor. 12: 9; imprimis autem a Christi operatione efficaci (1 Cor. 10: 22; 2 Cor. 12: 9; Eph 6: 10; Phil 3: 21; Rom. 15: 18, 19) exspectat, spiritualem quamcunque progressionem et perfectionem et sibi et omnibus Christianis fore, 2 Cor. 10: 8; 13: 10; Eph. 6: 10; Phil. 1: 19; 1 Thess. 3: 13; 2 Thess. 1: 16, 17; 3: 3, 5; 2 Tim. 2: 7; 4: 22. Hoc a Christo, corporis capite, effectum iri sperat; prouti enim in corpore humano suam quodque membrum habet operationem, cui est destinatum aptumque; quam tamen ut perficiat, decernit caput, in quo uno voluntatis, sapientiae, vitae est fons: pariter in Ecclesia *ex Christo*, capitis locum tenente, omnis vita fluit, omnisque singulorum membrorum operandi vis; vid. Eph. 4: 11—16, imprimis postrema: *ἐξ οὗ (Χριστοῦ, τῆς κεφαλῆς) πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας — — τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ*, coll. Col. 2: 19.

f Cum hoc arcte cohaeret, *Ecclesiam ipsum debere progredi et perfici.* Etenim non est cadaver, sed corpus vivum, quod vi sua insita increscere debet, usquedum perveniat ad aetatem virilem, Eph. 4: 12—16: *εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, μεχρὶ καταντήσωμεν οἱ πάντες — εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα μηκέτι*

ὦμεν νήπιοι — (*ἀλλ'*) *αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλή, ὁ Χριστός.* Quod autem imprimis tenendum est, juxta illam quam supra diximus operationem Christi, *ex* quo omnis oritur *αὔξησις*, ipsorum quoque membrorum agnoscit propriam operationem *per* quam Ecclesia perficiatur; etenim corporis incrementum exspectat ab ipsis quoque membris sive sociis, qui sint *ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ*, 4: 15, et ab *ἐνεργείᾳ ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους*, 4: 16. Haec tamen *αὔξησις* iterum non est qualiscunque, sed tendit *ad Christum*, *εἰς αὐτόν*, 4: 15. Prouti increscere nequit Ecclesia nisi e Christo (*ἐξ οὗ* 4: 16), ita conjunctio cum Christo intima, i. e. perfectio absoluta, propositum est quod assequi debet.

g. Denique Paulus Ecclesiam cum corpore, cujus caput est Christus, comparans, significat *amorem mutuum, quo et Christus et Ecclesia conjuncti tenentur.* Hic amor, quamquam ex iis, quae jam vidimus, sponte sequitur, separatim tamen est contemplandus. Nam non modo Christus Ecclesiam amat, et haec vicissim, tanto amore mota, Christo subjecta est, Eph. 5: 24 sqq., communique erga Christum amore invicem se diligunt Ecclesiae socii, 1 Cor. capp. 12, 13; sed prouti in corpore est *συμπαθεία*, ita ut alterius membri gaudium et dolor in toto corpore vim habeat, 1 Cor. 12: 26, pariter Christi corpus, ubi aliquod membrum afficitur, unâ laetatur aut dolet. Vi illata miserum se sentit et deprimitur, honorisque vicissim in quoddam membrum delati est particeps. Sive, ut alia comparatione rem illustremus, prouti pater familias, aegrotante filio, ipse tristitia afficitur dolorique suo indulget, aut contumelias in uxorem illatas aegre fert, contra, ubi omnibus suis, famulis etiam, res prospere succedunt, gaudet ipse, totaque domus laetitia perfunditur, ita unum se scientes Christus et Christiani *τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσιν*, *καὶ εἴτε πάσχει ἓν μέλος, συμπάσχει πάντα τὰ μέλη, εἴτε δοξάζεται ἓν μέλος, συγχαίρει πάντα τὰ μέλη*, 1 Cor. 12: 25, 26, coll. 13: 6; 2 Cor. 1: 7. — Ex his sequitur, omnia, quibus Ecclesiae socii afficiuntur aut bona aut mala, aeque horum esse ac ipsius Christi. Una cum ipso ut gaudeant, monet Apostolus Philippenses, pariter suos dolores et perpessiones toti Ecclesiae et Christo communes statuit. Etenim Christus non tantum semel passus est, sed iis ipsis, quae mundus Ecclesiae suae infert mala, etiamnum patitur. Quatenus his perpessionibus se non substrahit Ecclesiae socius quivis, est *κοινωνὸς τῶν παθημάτων τοῦ Χριστοῦ* Phil. 3: 10; 2 Cor. 1: 5, et *συμπάσχει τῷ Χριστῷ* Rom. 8: 17; 2 Tim. 2: 11, coll.

2 Cor. 4: 10. Vicissim ea, quibus socii afficiuntur, mala a Christo etiam feruntur, sunt *παθήματα τοῦ Χριστοῦ*, quod de suis ipsius, quas in carne sua perferebat, perpessionibus affirmare non dubitavit Paulus Col. 1: 24. Etenim »quemadmodum semel passus est in se Christus, ita quotidie patitur in membris suis" (1). — Alia opportunitate Paulus vinculum, quo Christus et Ecclesia conjuncti tenentur, ita describit, ut quicunque Ecclesiae socium laedat, hunc contra Christum peccare affirmet, 1 Cor. 8: 11, 12: *ἀπολεῖται ὁ ἀσθενῶν ἀδελφὸς ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει*, — — *οὕτω δὲ ἁμαρτάνοντες εἰς τοὺς ἀδελφούς* — *εἰς Χριστὸν ἁμαρτάνετε*, coll. 1 Cor. 6: 5—8.

Jam parciores esse possumus in reliquis examinandis imaginibus, quibus relationem Christi et Ecclesiae depinxit Paulus, quippe nihil fere continentibus, nisi quod illa corporis comparatione jam est illustratum aut saltem indicatum. 1 Cor. 3: 9—17 Ecclesiam dicit *aedificium*, variis constans partibus, a variis (1 Cor. 3: 12, 13) undique collectis, cujus tamen fundamentum est unum idemque: *Jesus Christus*. — Praeter Ecclesiae unitatem in Christo fundatam, quae huic loco inest, alibi (Eph. 2: 19—22) eadem usus imagine, vinculum, quod Christum et Ecclesiam conjungit, significare videtur, quum Christum non tantum dicat lapidem angularem, quo (*ἐν ᾧ*) totum aedificium conjunctum tenetur, sed in cujus communione quoque ad templum sanctum Deique domicilium increscet. Quantopere caeterum haec imago Paulo fuerit propria patet tum in aliis locis, ubi eadem occurrit ad Ecclesiam adhibita (Rom. 15: 20; 1 Tim. 3: 15; 2 Tim. 2: 19—21), tum vero in dicendi formula *οἰκοδομεῖν* et *οἰκοδομή* saepe apud ipsum obvia (2), quin vel de quovis incremento etiam in malam partem dicta, 1 Cor. 8: 10.

(1) Ita CALVINUS ad h. l., quem ad Pauli sententiam illustrandam comparatione corporis, cujus dolores a capite sentiuntur, jure esse usum ipse indicat locus, ubi eadem imago denuo occurrit. Conff. praeterea DE WETTE ad h. l. et ad 2 Cor. 1: 5, et RÜCKERT ad 2 Cor. 1: 5. Vid etiam CALV. ad. Act. 9: 5: »Eximia ad pios consolatio redit quod, dum pro Euangelii testimonio laborant, socium crucis sibi esse audiunt Filium Dei ... Neque enim de nihilo pronuntiat, se in persona nostra pati, sed hoc nobis certo persuasum esse vult, eadem ipsum sympathia tangi, acsi nos Euangelii hostes per ejus latus vulnerarent. — E coelis clamat (Christus), commune sibi esse nobiscum quicquid patimur."

(2) Vid. e. g. Rom. 14: 19; 1 Cor. 8: 1; 14: 4, 12, 26; 2 Cor. 10: 8; 12: 19; 1 Thess. 5: 11. Conf. REUSS, *Hist. de la Theol.* II, p. 218.

Saepius Paulus quoque imagine desumta e V. Foederis theocratico regno, per Regem sive Messiam semper recto et aliquando per Messiam perfectissimum penitus perficiendo, Ecclesiam dicit *βασιλείαν*, in qua Christus regnat, 1 Cor. 15: 24, 25; Eph. 5: 5, coll. 2: 19; Col. 1: 13; 2 Tim. 4: 1. Quae dicendi ratio nos saltem hoc docet, non minorem esse nostram cum Christo communionem, quam qua cives regi dilectissimo, sapienti atque potenti junguntur. — Cum hoc arcte cohaeret nomen *Domini* Christo tributum, quod in V. Foedere Deo datum, nunc vero in Jesum Christum translatum, maximi est ponderis (1), quippe quod indicat, Jesum esse Messiam a Deo datum i. e. Regem sub cujus dominio vivant omnes quotquot fidem ei dederunt. — De reliquis imaginibus, quibus interdum usus est Paulus, vid. supra p. 145, *b*.

Ex his satis jam constat, Paulum intimam sibi cogitasse Ecclesiae Christique conjunctionem, quam imprimis imagine de corpore humano desumta depingere amat. Qualis autem haec est conjunctio? Quomodo juncti et uniti dici possunt homines tam varii ingenii tamque variae conditionis et indolis, et inter se et cum ipso Christo? Vidimus jam, amorem mutuum ex Pauli mente primarium esse communionis illius vinculum. Hic autem amor quum sit effectus, ex ipsa conjunctione profluens et cum ea oriens, nullo modo ejus conjunctionis principium dici potest. Unde igitur in tanta diversitate et discrepantia illa adest unitas? Respondet Paulus 1 Cor. 12: 4 sqq.: *διαιρέσεις χαρισμάτων εἰσὶ, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα· καὶ διαιρέσεις διακονιῶν εἰσὶ, καὶ ὁ αὐτὸς Κυρίος· καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσὶν, ὁ δὲ αὐτός ἐστι Θεὸς, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.* Quicquid agatur, a Deo omnium rerum auctore omnis est repetenda actio; Christus est unus omnium Dominus, cujus singuli sunt ministri, hi autem quantumvis variis instructi dotibus muneribusque insigniti variis (2), uno eodemque spiritu reguntur. Origo est in Deo, ministerium concreditum est a Christo; vis autem movens, qua omnes, licet diversissime agentes, ad unum tendunt scopum, Ecclesiae utilitatem (*πρὸς τὸ συμφέ-*

(1) Vidd. 1 Cor. 12: 3; Phil. 2: 11, et quae diximus supra p. 38.

(2) Apta est comparatio qua utitur OLSHAUSEN, *Bibl. Comm.* ad h. l.: »Die Spaltung [*διαιρέσεις*] der Gaben ist zu denken, wie die Zertheilung des Lichts in die Farben durch das Prisma. Die Einheit des Geistes wird dadurch nicht aufgehoben, derselbe Geist bricht sich nur in verschiedenen Gaben nach Beschaffenheit der Seele, die er berührt'.

ρον vs. 7), est *spiritus*, qui singulos animat, vs. 7—11: πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθώς βούλεται. Supra, ubi de υἱοθεσίᾳ actum est, vidimus, quomodo Christianus quivis fide Christo habenda illius spiritûs particeps fiat (p. 115 sq.), quod nusquam plenius effatus est Paulus quam 1 Cor. 6: 17: ὁ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστιν. Eodem hoc spiritu Divino quum omnes ducantur, hunc in tota Ecclesia *habitare* affirmat, 1 Cor. 3: 16: οὐκ οἴδατε ὅτι ναὸς Θεοῦ ἔστε ὑμεῖς καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; atque alibi (Eph. 2: 22), eadem servata imagine, templi hujus aedificationem quoque et incrementum εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ locum habere dicit ἐν πνεύματι, quibus significare videtur *unum Dei spiritum* (2: 18) hoc efficere, ut omnes, illo conjuncti, in Christi communione, increscant ad templum sanctum Dei (1).

Hoc itaque characterismus est Ecclesiae Christi, quod Dei spiritus in ea vivit regnatque, atque omnes spiritu illo animatos se sentiunt, illoque ducti ad perfectionem semper majorem progrediuntur. Spiritus ille est *Dei* spiritus, sive *Christi*, a Deo quippe Christo datus et per Christum cum Ecclesia communicatus; nec tantum per Christum communicatus, sed idem est, quo et Christus totus quantus est repletus; hoc vitae principium, quo ipse semper agitur Christus, Ecclesiae suae indidit; hoc jam nunc ita in Ecclesia regnat, ut omnes non suas sed unice Christi res cogitent, et hic per spiritum suum in Ecclesia vivat. Quin ipse Christus est ille spiritus, 2 Cor. 3: 17: ὁ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν, nam ubi Christus est, ibi quoque illius est spiritus, prouti Christus est in eo, qui ejus spiritum in se recepit, Rom. 8: 9, 10; neque discrimen inter utrumque, Christum et spiritum, adest, nisi quod nos cogitando ipsi facimus, quum a se invicem divelli prorsus nequeant (2) Ergo Ecclesiae vinculum est Christus. — Οὗ δὲ τὸ

(1) De his verbis ἐν πνεύματι DE WETTE, *Comm.* ad h. l.: «Dagegen ist es sehr angemessen, dass, wenn auch zum Ueberflusse, das höhere christliche Lebenselement, in welchem dieser Bau Statt findet, angegeben wird." — »Es ist der gesammte christliche Geist gemeint, in welchem die Wohnung Gottes ihr Bestehen hat." Similia habet MEYER, *Comm.* ad h. l.

(2) Conf. DE WETTE, *Comm.* ad h. l. »Wenn es nun wahr ist, dass die Begriffe *Herr* und *Geist* bloss modalisch verschieden sind (vgl. Röm. 8, 9 f. 1 Cor. 12, 4 f.): so darf es nicht Wunder nehmen, wenn der Ap. Beide gleichsam identificirt, oder vielmehr den einen (den Herrn) durch den andern (den Geist) bestimmt: eben so wenig als wenn er sagte: Das Kirchen-Leben ist das Geistes-Leben."

πνεῦμα Κυρίου, ἐλευθερία, *ubi autem Christi spiritus, ibi libertas*, ita Paulus 2 Cor. 3: 17 pergit; quod quamvis hoc loco dicatur de ea qua gaudent singuli libertate, praesertim ex abrogata lege Mosaica orta, non tamen id in totam quoque conferre Ecclesiam dubitamus, quum hujus, ex mente Pauli, nota sit praecipua, quod uno spiritu juncta et una, externe tamen sit varia omnesque diversissimi generis, conditionis et originis homines complectatur. Quod Paulo prae aliis Apostolis proprium, ita alte ejus animo infixum erat, ut èt semper hanc libertatem sibi aliisque vindicet v. c. contra Petrum legi Mosaicae iterum obsequentem, Gal. 2: 11—21 (coll. 5: 1: τῇ ἐλευθερίᾳ ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσεν, στήκετε), èt nusquam fere de Ecclesia sermonem faciat, nisi diserte etiam subjungat, ad hanc omnes pertinere, Judaeos et Gentes, Graecos et Barbaros, viros et mulieres, liberos et servos, Eph. 2: 11—17; 3: 6—10; Col. 3: 11; Gal. 3: 28; 1 Cor. 12: 13. Est enim in omnibus idem spiritus Eph. 4: 4, sive Christus est τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν Col 3: 11; itaque omnes fiunt καινὴ κτίσις, cujus characterismus est nec περιτομή, neque ἀκροβυστία, sed πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, Gal. 5: 6; 6: 15.

Quum itaque viderimus, unitatem Christi et Ecclesiae hac ratione esse cogitandam, quod Christi spiritum in se recipiens eoque spiritu se in omnibus duci patiens Ecclesia revera fiat corpus Christi, inquirendum etiamnum est, quorsum haec Christi et Ecclesiae conjunctio tendat. In locis ubi corpori, cujus caput est Christus, aequiparatur Ecclesia examinandis, jam observavimus Christum, ex Pauli mente, Ecclesiam regere omnique modo ei consulere, ut perfectior semper fiat, vid. p. 147, *e.* Idem hoc, missa corporis imagine, propriis etiam verbis enuntiat dicens, Christum eo consilio in coelos reductum summaque ibi potestate esse instructum, ut omnia impleret, πληρώσῃ, i. e. spiritu suo communicando perficeret, Eph. 1: 20 sqq., 4: 8—10. Hoc autem ut ad eventum perducat, dicitur a Paulo Ecclesiam ita regere, ut alii sint Apostoli, Prophetae alii, Euangelistae, Pastores et Doctores alii, quorum omnium opera eo tendat, ut Ecclesia aedificetur, Eph. 4: 11 sqq., coll. 1 Cor. 12: 8 sqq., 28; Rom. 12: 6, 7. Singuli hi igitur, sed et omnes omnino Ecclesiae socii reliqui, Eph. 4: 7, 16, sunt, qualem se ipse Paulus agnovit, ministri Christi (aut Dei, quatenus summus rei Christianae auctor est Deus), ea ipsa quae Christus in terris aggressus est perficientes. Quod opus maximum quum ita sapientissime inter omnes disper-

tiat Ecclesiae Dominus, ut suum cuique membro det munus peragendum, tota Ecclesia evadit ipsius organon sive instrumentum, per quod consilia sua sapientissima et sanctissima attingit Christus. Facile hoc jam efficimus ex ipsa corporis comparatione Uti hoc enim ita variis instructum est membris, ut singula sint instrumenta, quibus utitur spiritus ei insitus ad suam voluntatem exsequendam: sic Ecclesiae membra unum efficiunt corpus, a Christo Ecclesiae capite ad id adaptatum, ut ipsius opus in terris perficiat. Hoc opus autem quum sit τὸ πληροῦν sive πληροῦσθαι τὰ πάντα ἐν πᾶσιν, omnia in omnibus implere, sive omnia penitus perficere, Eph. 1: 23; 4: 10, Ecclesia dicitur a Paulo τὸ πλήρωμα, organon illud quo utitur Christus ad omnia implenda sive perficienda. Quae Ecclesia ut apta esset ad hoc suum munus, Christus ei est caput datum a Deo, et quidem supra omnia elatum (1: 20—22), ut maxima hac sua potestate uteretur ad consulendum Ecclesiae et per hanc omnia omnino perficiendum (1). Ex his itaque efficimus, Christi Ecclesiam ex Pauli mente esse corpus Christi, ipsius spiritu animatum, quod una cum Christo ejus capite summum divinumque opus perficit, hoc nempe, ut singuli ad Deum adducantur homines omnes, et per se invicem in sua communione perficiantur, ita ut cum Deo intime conjuncti vivant Deique consilia exsequantur.

Haec autem melius etiam a nobis intelligentur, si ultimo loco re-

---

(1) Locum Eph. 1: 23 vulgo ita explicant viri docti, ut πλήρωμα sit τὸ πληρωθέν, unde sensus oritur hic: Ecclesiam esse *plenam* spiritu Christi, qui *in hac habitet*. Hac ratione idea quidem a Paulo non aliena exprimitur (vid Col. 2: 9, 10), quae tamen huic loco non inest, neque nisi germana vocis πληρώματος significatione contorquenda in eum infertur. Graeci sermonis peritissimos si consulimus, v. c. STEPHANUM, in *Thesauro* ed. Paris. VI, p. 1220 sq., FRITZSCHE, *ad Rom.* II, p. 469 sqq., πλήρωμα significat *id quo impletur* s. *completur aliquid*, *complementum* (τὸ πληροῦν), neque de eo quod *impletum est*, τὸ πληρωθέν, adhibetur. Locus tamen est LUCIANI, *Ver. Hist.* II, 37, 38, ad quem provocant, qui *passive* quoque vocem πλήρωμα dici asserunt. Hunc autem inspicientes videmus, Lucianum, in describendis navibus ex cucurbitis et nucibus confectis, has non sine quadam ironia, ad rem quam narrat extollendam, dixisse πληρώματα; etenim notante jam M. SOLANO (*Lucian.* ed. REITZ, Amst. 1743, II, p. 133), »navium πληρώματα dicuntur ipsi remiges vel classiarii milites, quibus implentur. Hic autem sumitur [per metonymiam] pro ipsis navigiis instructis et armatis." — Huic loco autem et aliis fortasse nonnullis, quae e Graecorum scriptis viri docti possint colligere (quamvis »ea τοῦ πληρώματος significatio, ut *id quod completum est* i. e. τὸ πεπληρωμένον designet, raro exstet" FRITZSCHE), opponi possunt sexcenti alii, in quibus germana ejus notio, *id*, *quod implet rem*, sive *quo im-*

spexerimus ad relationem q. d. quae obtinet ipsum Deum inter atque Christi Ecclesiam.

Paulo ut omnium rerum, ita et salutis auctor summus est Deus. Hunc supremo loco semper cogitat, ita ut, ubi interdum sentit, videri se posse nimiam Christo tribuisse laudem, ibi ad Deum utpote supremum auctorem lectorum oculos rursus convertat, 1 Cor. 3: 23; Eph. 4: 6; Phil. 2: 11. Deo itaque consilium illud adscribit sublime, ut omnia, quae vel in coelis vel in terris sint, unius Christi dominio complectatur, Eph. 1: 9, 10; Phil. 2: 10, et sic secum reconciliet, Col. 1: 19, 20. Hunc in finem Deus èt Christum e mortuis reduxit, in summam extulit sublimitatem, maximaque supra omnes potestates, quaecunque adsint, eum induit potestate (Eph. 1: 20–22; Phil. 2: 9; Col. 2: 10) omnibusque eum instruxit, quibus Ecclesia perfici queat (Col. 1: 19; 2: 9)(1), èt hunc Ecclesiae dedit caput,

---

pleta est res, occurrit, v. c. e libris S.: πλήρωμα τῆς γῆς Ps. 23: 1; Jer. 8: 16; 1 Cor. 10: 26, τῆς οἰκουμένης Ps. 49: 12, τῆς θαλάσσης Ps. 95: 11, σπυρίδων πληρώματα κλασμάτων Marc. 8: 20. Itaque missam faciamus omnem hac de re disputationem, quam egerunt STORR, *Opusc.* I, p 144 sqq; FRITZSCHE, l.l.; MEYER, *Comm.* ad Eph. 1: 10, 23: DE WETTE, RÜCKERT, ad Eph. 1: 23; PHILIPPI ad Rom. 11: 12, alii. — Ad nostrum locum revertendum est. Paronomasia est aperta; Ecclesia dicitur πλήρωμα propter id ipsum quod Christum appellat τὸν πληρούμενον, neque alio loco hoc nomine insignita est. Πλήρωμα autem quum vi vocis sit τὸ πληροῦν *implens* (non τὸ πληρωθέν, *impletum*, aut οἱ πεπληρωμένοι, homines *impleti*), objectum, quod eo impletur nequit esse Christus, quippe qui ipse est ὁ πληρούμενος *sibi implens*, sive ὁ πληροῦν *implens*, coll. 4: 10, sed debet esse τὰ πάντα, quae a Christo complentur sive perficiuntur per Ecclesiam. Itaque genitivus τοῦ — — πληρουμένου est subjecti, sive possessivus: genitivus objecti, qui vulgo voci πλήρωμα additur, cogitatione est supplendus, ac si scriptum esset, τὸ πλήρωμα τῶν πάντων (*corpus*, *quod* omnia *complet*) τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου *illius*, *qui* per illud *omnia in omnibus sibi complet*. Notandum denique nostram hujus loci interpretationem fere non recedere ab ea, quam dedit RÜCKERT, *Comm* ad h. l. p. 78: »Die Kirche, der Leib Christi, ist eben so wie der menschliche Leib dem im Haupte wohnenden Geiste, für das Haupt der Kirche das Mittel seiner (Christi) Vollendung der grossen Bestimmung, welche ihm (Christo) obliegt, nehmlich der allgemeinen Wiederherstellung und Zurückführung zu Gott."

(1) Πλήρωμα, quod Christo inesse dicitur Col. 1: 19; 2: 9, est *omne id*, *quo* Christus *perficit* Ecclesiam. Similiter supra Eph. 1: 23 Ecclesia, dicta Christi πλήρωμα, est *id*, *quo Christus perficit* τὰ πάντα. Quod quamvis ex Graecae linguae ratione et usu satis superque constet, gaudeo tamen, me magnum praesidium hujus interpretationis habere in iis, quae dixit JOD. HERINGA, *Quaestiones de locis N. T. difficilioribus*, Trielae 1844, p. 118, V,

Eph. 1: 22. Itaque Deus quoque dicitur a Paulo Eph. 3: 9: ὁ τὰ πάντα κτίσας διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, 3: 15: ὁ πατήρ, ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται, et ab ipso derivatur et imploratur omnis aedificatio et perfectio, Rom. 16: 25; Eph. 1: 17 sq.; 1 Cor. 12: 6, 28. Etenim Deus non tantum noster, sed Christi quoque est ὁ Θεός, Eph. 1: 17; unde omnis cum Christi tum Ecclesiae operatio eo tendere debet, ut omnes assequantur consilium *Dei*, per quem et ad quem nos sumus creati, Rom. 11: 26; 1 Cor. 8: 6; donec tandem, quo tempore illud ad eventum est perductum, ipse *Filius regnum suum traditurus sit Deo suo et Patri*, 1 Cor. 15: 24, atque καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, ἵνα ᾖ ὁ ΘΕΟΣ τὰ πάντα ἐν πᾶσιν, 1 Cor. 15: 28.

Hanc Pauli doctrinam de Christi Ecclesia si comparamus cum ea, quae in aliis N. Foederis scriptis exhibetur, videmus, ex Apostolis Johannem tantum eandem rem tractasse, ita tamen ut, comparatione ipsum inter Paulumque instituta, pauca modo de ea exposuisse dicendus sit. Nec tantum pauciora sed haec longe etiam alia forma profert, loquens de τῇ κοινωνίᾳ, quam èt inter se èt cum Deo atque Christo habeant Christiani omnes, 1 Joh. 1: 3, quae communio hac re constet, quod Christiani *sint et maneant in Deo* 2: 5, 6 (quippe ex eo orti neque e mundo 2: 16, 29; 3: 1 sqq.) et quod Deus vicissim *in iis habitet*, atque de suo ipsius spiritu iis dederit 3: 24; 4: 13, 15, ipsique ita *secum invicem* sint maneantque conjuncti, 1: 7. Hujus autem communionis, e fide ortae, vinculum est amor 3: 10—17; 4: 7—21. — Quum hujus loci non sit utriusque Johannis et Pauli theologiam comparare et aestimare, dicta sufficiant ad ostendendum, quantopere in eadem re tractanda pro ingenio et scribendi consilio diverso diversa via progressus sit uterque.

Jesus autem communionem, quae ipsum inter et suos obtinet, non modo pluribus exposuit, sed utramque quoque rei faciem plenius et accuratius etiam quam Paulus descripsit. Etenim ultima

---

»*In Christo*, inquit Paullus, εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι, h. e. *benigne voluit* Deus Christo *omnia esse propria, quibus perficiatur ac consummetur* Ecclesia. Conf. Eph. I. 23. IV. 13." et p. 120, I: »Paullus Col. II. 9. docet, in Christo κατοικεῖν πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, h. e. *ei omnia esse propria, quibus divina virtus* Christianos *perficit, consummat.* Conf. s. 10: C. I. 9, 19. Eph. I. 23. III. 19. IV. 13."

imprimis vespera, quum a suis esset discessurus, et mutuum commendavit amorem (Joh. 13: 4—16, 34, 35; 15: 12, 13, 17), quo inter sese plane uniti fierent 17: 11, et vero se ipsum etsi absentem cum iis fore affirmat, amorisque et veritatis communionem, quae ipsum inter et suos locum esset habitura, describit Se discipulos suos curaturum (Joh. 14: 2, 3. 18, coll. Matth. 28: 20), spiritum suum, qui est veritatis, cum iis communicaturum (Joh. 14: 16, 17, 25, 26; 16: 7, 13), eodemque se amore quo antea eos prosecuturum promittit (14: 21, 23; 15: 9, 10); vicissim autem ab Apostolis exigit, ut ipsum ament 14: 21, 23 ipsiusque praecepta teneant 14: 15. Hujus vitae τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας erit principium; hic spiritus enim Christi locum tenens 14: 25, 26, *cum* Apostolis, et *penes* eos, et *in* iis erit 14: 16, 17, in omnibusque dux erit certissimus 16: 13. Unum itaque si ob oculos habent propositum unoque amore conjuncti si manent, Christus erit *in suis* et hi *in ipso* (14: 20), prouti Deus est in Christo atque hic in Deo, quin ipse quoque Deus cum Christo *in iis habitare* paratus erit (μονὴν ποιεῖν 14: 23). Itaque tandem res eo perveniet, ut perfecta adsit conjunctio, omnesque sint *unum* in Christo Deoque 17: 11, 21, 23. — Duplici praeterea comparatione idem hoc Apostolis suis illustrare conatus est Jesus; altera Joh. 10: 1 sqq. pastoris et ovium, qua praesertim maximum sui ipsius erga suos amorem depinxit, eosque invitat ad ipsum sequendum; vitis et palmitum altera Joh. 15: 1 sqq., qua vitae communionem ipsum inter et discipulos hac maxime ratione proposuit, ut iis persuaderet, nullam in iis esse posse vitam, nisi quae ex ipso perpetuo dimanet.

Cum hac ipsius Christi institutione si conferimus sententiam a Paulo prolatam, videmus, Apostolum eandem quidem rem sed alia prorsus forma tractasse. Etenim sua ipsius dicendi ratione servata saepissime loquitur de spiritu Dei Christique recipiendo, de corpore Christi, de templo Dei, rell. quae vidimus, rarissime tamen adhibens formulam Jesu propriam ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ κἀγὼ ἐν ὑμῖν, et, quod magis etiam est observandum, neutra unquam usus comparatione, nec pastoris neque vitis, sed ipse sibi suo marte fingens alias, quibus sententiam suam depingeret, imagines

Hujus de Christi Ecclesia doctrinae fons.

Ultimo denique loco nunc rogamus, unde Paulus hanc suam de Ecclesia hauserit sententiam. Hujus capitis initio p. 141 jam mo-

nuimus, hic quoque conversionem dicendam esse Pauli theologiae fontem. Quod quamvis non ad eam evidentiam, qua in reliquis hucusque usi sumus, perduci posse videatur, quum desint prorsus diserta Pauli testimonia ad suam ipsius experientiam nos reducentis, non difficile tamen est probatu. Etenim quando ostenderimus, Paulum neque a Jesu aut Apostolis reliquis, neque aliunde hanc suam doctrinam aut petivisse aut vel petere potuisse, contra, fieri per ipsam rei naturam facillime potuisse, ut e Jesu apparitione suâque conversione doctrinam de Christi Ecclesia hauserit, neminem putamus fore, quin concedat ad eandem hanc conversionem, quam et Paulus dicit et nos ipsi vidimus universae theologiae Paulinae fuisse fontem, in hac quoque quaestione solvenda recurrendum esse.

Haec autem ostendi possunt. Apostolos omnem Jesu institutionem aut suam ipsorum doctrinam cum Paulo non communicasse, omni dubio majus est, quandoquidem Paulus talem Apostolorum institutionem unquam sibi datam esse omni asseveratione abnegat, Gal. 1: 11 sqq. De singulari quadam Jesu institutione, patefactionis peculiaris cujusdam ope, cogitandum non esse, saepius jam variis argumentis iisque firmissimis, ut nobis videtur, demonstravimus(1). Praeterea illud quod modo Jesum atque Johannem inter ac Paulum observavimus discrimen, cum ipsius Pauli de suae theologiae fonte effatis comparatum, nos cogit, ut similiter atque in praecedentibus omnibus nunc quoque statuamus, neque hanc doctrinam cum Paulo aut a quocunque Apostolo, aut ab ipso Jesu communicatam esse. An forte aliunde hanc doctrinam de Christi Ecclesia petivit? Opportunitates forte conquiri possint nonnullae, nec tamen dubito affirmare, sententiam adeo privam Christianam, ut praeter Jesum nullus nisi Johannes et Paulus eam tenuerint et explicuerint, ex humana quadam institutione Paulum recipere minime potuisse. — Si vero, quum aliunde Paulinam doctrinam explicare non possimus, ad Jesu apparitionem suamque ipsius conversionem, ad quam Apostolus nostros oculos dirigit ipse Gal. 1: 12, 16, nos convertamus, videmus, hanc talem fuisse, ex qua haec ejus sententia facile oriri potuerit. Cum hac autem, quod saepius jam monitum est (2), ipsius experientia omnis arctissime est conjungenda quum, sine hac, ne ex illa quidem multum profecisset. Jam vero quae p.

(1) Vid. Introitus, impr. p. 2—6, 17, 18; conf. p. 59 sqq. 124, 125 not. (2).
(2) Vid. supra p. 22 sq., 68 sq., 133—138.

141 numeravimus, Jesu *cura*, Jesu *verba*, Ananiae *baptismus*, haec tria, cum omni *vitae insequentis experientia* conjuncta, homini philosophice exculto, qualem Paulum novimus, plurima exhibuerunt, quibus suam de Christi Ecclesia theologiam inaedificaret. Quod ut probemus, denuo ad Jesu apparitionem est redeundum.

Quando inopinatae nobis accidunt res, imprimis autem quando clade subita omnia pervertuntur consilia, vulgo fit, ut primum quidem illud, quod praecipuum est, nobis mentem totam animumque occupet unum; at ut postea tamen, sedatâ curâ et anxietate, omnia considerate reputantibus, res vel minimae, quas vidimus, et verba, quae audivimus, omnia in mentem redeant, quae eo accuratius meminimus, quo major horum ad omnem vitam immutandam cogitandique rationem evertendam fuerit efficacia. Praeterea horum omnium vim et momentum eo studiosius ponderamus, quo magis haec cum aliis componimus rebus, idem spectantibus, idque jam detegentibus, quod in illis fuerat obscurum vel incertum. Quae uti de quovis homine, ita et magis etiam de Paulo, Jesu apparitione subita perterrito humique prostrato, valent; ideoque etiam magis valent, quia Paulus *Jesum vivum*, ipsumque se *peccatorem gratia Divina servatum* longe prius agnovisse dicendus est, quam ad haec attendisse, tum quod *Dominus* coelestis persecutore retinendo *Ecclesiae vexatae* quoque *consuleret*, tum quod non de *Ecclesia*, sed de *semet* loqueretur *vexato*. Attamen deinde et haec verba: »Saul, Saul! cur *me* persequeris?" Jesum dicere meminit, inque verbis his arctissimam ab ipso Jesu indicatam sensit illius cum Ecclesia communionem, eamque talem ut semet a Paulo, Ecclesiam persequente et devastante, ipse vexatum declararet (1). Itemque vidit, Jesum ipso persecutore cohibendo *Ecclesiae* quam maxime consuluisse et hanc periculis imminentibus gravissimis liberasse. Quae non statim quidem sed postea vidit. Etenim quum identidem ipse et erga se et erga universam Ecclesiam Domini experiretur curam eximiam, non potuit non cum hac sua experientia componere, *tum* illud amoris specimen insigne, quod ipso retinendo Ecclesiam recentem persecutione imminenti gravissima liberasset Christus, *tum*

(1) Quae ad Paulum loquens Christus effatus est Act. 9: 4, 5, haec egregie illustrantur iis, quae Jesus dixit Matth. 25: 40: *ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε*, et vs. 45: *ἐφ' ὅσον οὐκ ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἐλαχίστων, οὐδὲ ἐμοὶ ἐποιήσατε*. Conf. quoque Jesu verba Matth. 10: 40: *ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται.*

verba illa, »quid *me* persequeris", quae tam bene audivit, ut et Lucae haec referre et multos annos post coram Synedrio narrare potuerit — Magna quoque in Paulo fuit vis baptismi. Hocce enim in *Christi* atque *Ecclesiae* recipiebatur communione, quam eo nunc majoris aestimavit pretii, quo longior antea ab ea abfuerat. Spiritu Dei sive Christi Sancto nunc impletus (Act. 9: 17, 18), intime cum Christo se junctum sentiebat, ita ut nunc hic unus in ipso viveret (Gal. 2: 20), simul autem quum eodem spiritu, quo et ipse, omnes actos et ductos vidisset, didicit, *Ecclesiam* hanc esse *Christi Christianorumque communionem*, quae, externe variis constans membris, uno tamen spiritu sit unita (1).

Ex his satis liquet, fieri omnino potuisse, ut e Jesu apparitione suaque conversione doctrinam suam de Christi Ecclesia hauserit Paulus. Jam vero eo procedimus, ut affirmemus, non fieri potuisse, ut non viderit Paulus, Jesum Ecclesiam curare, nec cogitaverit de dicti illius, »quid *me* persequeris?" »ego sum Jesus, *quem* tu persequeris," significatione, neque expertus sit vim communionis cum Christo Christianisque, in quam per Ananiam erat introductus. His quum accederet tota Pauli vita, qua Jesum experiebatur et ipsum periculis liberantem, et ipsi consulentem, et identidem ipsum ita regentem, ut Ecclesiam quaquaversum propagaret, et Ecclesiam hanc ita curantem, ut semper adessent, qui ad singula munera perficienda apti et parati essent, qua imprimis communionis Christianae vim spiritusque unitatem semper efficacem agnoscere debuit, his omnibus facile doctrinam eam, quam delineavimus, sibi informavit Paulus. Quod eo facilius facere potuit, quum philosophi et philosophici scriptores Graeci, quorum non omnino ignarus fuisse

(1) Inter eos, qui Pauli experientiam cum ejusdem theologia composuerunt, Pauli quoque de Ecclesia doctrinae radices in ejus conversione infixas esse, docuerunt SCHAFF et LECHLER, alter provocans ad Jesu verba (*Gesch. der Apost. Kirche*, p. 234, quem locum supra p 21 not. (1) exhibuimus), alter monens, Paulum in Ecclesiae communionem esse receptum, *Apost. Zeit.* p. 69: »Als Paulus aus einem Schmäher und Verfolger in einen Jünger Jesu umgewandelt wurde, trat er in eine bereits bestehende Gemeinschaft der gläubigen Jünger Jesu, und je ferner er innerlich dieser Gemeinschaft gewesen war, desto inniger lebte er sich in dieselbe ein, desto tiefer und reicher fasste er auch in der Erkenntniss das Wesen dieser Gemeinschaft auf." Pariter Pater meus, in disputatione infra p. 163 laudanda (*Waarh. in Liefde* 1849 II p. 274), observat ex Jesu verbis: Ego sum Jesus, *quem tu persequeris*, facile posse explicari, Paulum longe plura quam reliquos Apostolos de Christi Ecclesiaeque unitate protulisse.

dicendus est Paulus, saepissime reipublicae naturam exposuerint, ipsa illa corporis membrorumque in unum conjunctorum usi imagine, quam ad Christi Ecclesiam constanter adhibuit Paulus (1). Hac forma enim aliunde desumta induit, quae ex Jesu apparitione suaque conversione omnique vitae insequentis experientia didicit.

Haec igitur si tenemus, sponte intelligimus, unde suam hauserit Paulus de Christi Ecclesia doctrinam, quam hoc capite descripsimus. Sua enim ipse experientia edoctus non potuit non ea proferre, quae in ejus sermonibus et epistolis legimus, de Jesu potentia omnium hostium vi superiore, de ejusdem amore ineffabili eodemque sanctissimo, de Christi cura circa Ecclesiam, de vinculo arctissimo, quo haec cum Domino coelesti est juncta, deque spiritu uno omnes et invicem et cum Ecclesiae Domino junctos tenente.

Quod autem unum etiam superest dubium, nullum esse ipsius Pauli effatum, quo cogamur, hanc doctrinam ex ejus conversione repetere, evanescit hoc reputantibus, et Paulum universe Euangelium suum ex ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ acceptum habere, et omnem reliquam doctrinam ex eâdem Jesu apparitione suaque conversione repetere. Itaque dicenda est Pauli conversio praecipuus quoque ejusdem doctrinae de Christi Ecclesia fons.

---

(1) Conf. L. G. PAREAU, *Comm. ad* 1 *Cor.* XIII, Traj. ad Rhen 1826, p. 111 sqq., qui loca quoque huc spectantia e scriptoribus Graecis citat.

CONCLUSIO.

Ad finem perducta disquisitione nostra paululum retrospiciamus, ut, quae invenimus, etiamnum recognoscamus. Quaerentibus, undenam Paulo fluxerit priva ipsius cogitandi ratio, constitit, nec Jesu Apostolorumque institutionem quandam, nec patefactiones peculiares, quibus ipsi theologia coelitus dictata putatur, sed unam Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀποκάλυψιν, Jesu apparitionem in via Damascena Paulo concessam, theologiae Paulinae esse fontem. Itaque hanc, quam ipse nobis indicaverat Paulus, accuratius contemplati, vidimus, uti vitae ejus, ita quoque mentis animique rationem immutatam et inversam ex ea unice pendere.

Simul autem vidimus, multas Paulo fuisse vitae vicissitudines, quibus et antea et imprimis postea utebatur, ad confirmandam et explicandam theologiam illam, cujus semina e Jesu apparitione suaque insequenti conversione animo concepisset. Quum vero neque sine hac omnis vitae experientia quidquam valuisset, et per hanc unam vita evaserit talis qualem novimus, Jesu apparitionem Paulique conversionem praecipuum diximus theologiae fontem. Nec tamen Jesu apparitionem, sed Pauli conversionem potissimum theologiae Paulinae nominavimus fontem praecipuum, tum quandoquidem non accedente conversione apparitionis nulla fuisset vis, tum quia Jesu apparitio nondum includit Pauli experientiam, quae, conversionis nomine designata, ipsam quoque apparitionem una complectitur.

Ex hac autem Pauli conversione theologiam Pauli derivandam esse vidimus. Etenim probavimus, èt nonnulla, quae in

Pauli dicendi forma peculiaria essent, ex ejus conversione et vita esse repetenda, et universam theologiam ex illo fluxisse fonte. Quae enim ex ordine tractavimus tria argumenta: *novam Jesu vitam*, *gratiam Divinam*, *Christi Ecclesiam*, his tribus tota nititur Paulina theologia.

Nova Jesu vita primarium ei praebet argumentum, quo et universae religionis Christianae, et singulorum fere omnium, quae exponere solet, dogmatum veritatem probat et demonstrat. Haec Jesu *ἀνάστασις* sive potius hic Jesus vivus constanter ejus menti obversabatur; hunc semper ante oculos habebat; hunc iterum iterumque adspiciebat; hinc ipsi persuasissimum erat de eorum quae praedicabat veritate.

Juxta hoc mentis principium alterum invenimus animi, quod pariter in via Damascena in ipso exstitit. Vidimus enim, Paulum Jesu vivo adspecto ad sui ipsius *peccati gratiaeque Divinae* ipsum peccatorem servantis ad salutemque ducentis conscientiam esse adductum; ejus autem *gratiae Divinae*, quam Jesu apparitione primum expertus erat, hanc vidimus in Paulo fuisse vim, ut semper nunc eandem et semet ipse et alios eligentem, vocantem, justificantem ad summamque beatitatem ducentem praedicaret.

Denique animadvertimus, Paulum conversione sua didicisse et expertum esse vim communionis illius Christianae, qua et inter se et cum Christo conjuncti tenentur Ecclesiae socii. Hinc repetendam duximus illius de *Christi Ecclesia* doctrinam, quam vitae principium dicere possumus, quandoquidem hujus Christi Ecclesiae propagatio et perfectio unum mox Paulo fuerit actionum omnium vitaeque propositum.

In his vero tractandis, missa omni de Pauli epistolarum authentia quaestione, ex epistolis, quae Pauli nomen in fronte gerunt omnibus, illius cogitandi rationem efficere conati sumus. Neque enim dubia, contra earum authentiam allata, tanta sunt, ut aut hanc illamve Paulo abjudicandam censeamus, aut, nimia erga criticos reverentia ducti, ex paucis tantum, quibus criticorum culter hucusque parcuit, doctrinam *κατ' ἐξοχήν* Paulinam hauriendam statuamus. Imo, quam aliis argumentis probarunt viri docti Paulinarum epistolarum authentiam, hanc nos quoque stabilire nobis visi sumus disquisitione nostra psychologico-exegetica, quippe qua elucet, in singulis epistolis *eundem* semper nobis se offerre *Paulum*.

Gravius autem quid commisisse nonnullis fortasse videbimur eo, quod, critices legibus prorsus neglectis, nullam omnino instituerimus

inquisitionem in ea, quae Paulo in via Damascena revera accidisse dicenda sint. Variae enim variorum hac de re sunt sententiae et opiniones. Hanc Jesu apparitionem revera, prouti eam Lucas narrat, locum habuisse defendunt alii, alii ita explicant, ut non ipso Jesu adspecto, sed fulminis fulgure tonitruumque fragore perterritum humique prostratum ad facinorisque sui conscientiam et resipiscentiam adductum Saulum statuant. Est, qui totum negotium traditione et mala interdum fraude auctum et exaggeratum declaret, eousque procedens, ut lectori dubium movere conetur, an unquam Damascum petierit Saulus furibundus. De his et aliis etiam interpretamentis prorsus siluimus, neque illorum interpretum adinstar a dubiis movendis aut a quaestione de iis, quae obtinere potuerint nec ne, instituta incipiendum duximus: at oppositam plane ineuntes viam, Lucam et ipsum Paulum audientes, discere conati sumus, quaenam in itinere Damasceno accidisse perhibeant illi. Cum his composuimus Pauli cogitandi rationem, sperantes fore ut, quando ex hac nostra disquisitione eluceret, Pauli theologiam talem e tali fluxisse conversione, nonnihil allatum esset ad vindicandam Lucae quoque in narranda conversione fidem(1).

Si autem concedis, Lucam omnia, quae a Paulo accepit (2),

---

(1) Eodem hoc argumento, quo Lucae relationis Act 9 veritatem confirmaret, jam ante hos sex annos usus est Pater meus in disputatione *de Actis Apostolorum* inserta operi period: *Waarh. in Liefde* 1849, I, II p. 1 sqq, p. 267 sqq. (P. HOFSTEDE DE GROOT, *Over Lucas geschrift: de Handelingen der Apostelen. Eene proeve over den zamenhang, de bedeeling, den geest, de geloofwaardigheid en de naauwkeurigheid van dit geschrift; alsmede over de daarin aangewezene werkzaamheid van onzen Heer ter grondvesting en ontwikkeling zijner Kerk.*) Ille enim p 273–275 observat Paulinae theologiae principia tria gravissima: Jesum suo in vitam reditu declaratum esse Dei Filium; eum cum Ecclesia unum efficere corpus; neminem legis operibus sed justificatione e fide huius corporis fieri membrum, — haec tria ne intelligi quidem posse, nisi, qua ratione Lucas hoc narrat, ad Christum revera conversus sit Paulus, ideoque haec quam maxime confirmare quae de Pauli conversione nobis retulit Lucas; conf. quoque omnino p. 303 sqq.

(2) BAUR, *Paulus*, p. 67 sq. 72, multa in Lucae narratione inesse perhibet, quae e traditione sint explicanda. Quum autem Lucam e traditione sua hausisse dicere vix posset, antea jam p. 12 sq. Actorum Apostolicorum auctorem fecerat non Lucam, sed Pseudo-Lucam, quem malae fraudis accusare haud dubitat, vid. v. c. p. 81, ubi narrationem de Petri cum Cornelio agendi ratione dicit: »nicht das zufällig entstandene Produkt der mythischen Tradition, sondern nur als eine aus einer bestimmten Absicht hervorgegangene freie Composition." Similiter p. 10, 84, 91, 129, 146, 187, 208, alibi, auctorem res quas narrat mutasse aut finxisse per-

accurate narrasse, unum tamen manet dubium solvendum idque gravissimum: an non ipse Paulus, a quo uno ea accipere potuit Lucas, phantasia sua sit ita deceptus, ut non quae audiverit et viderit, sed quae se audire et videre opinatus sit, haec revera locum habuisse putaverit; nemo enim praeter Paulum, ipso testante, Jesum vidit ejusque vocem audivit, Act. 22: 9; 26: 13, 14; coll. 9: 7; itaque Paulus unus est harum rerum testis, isque talis, qui falli omnino potuit. Quamquam enim furibundus minarumque et caedis spirans Damascum peteret Paulus, hoc unum cogitans, ut quotquot Christi nomen sequerentur, hos vinculis traderet omnique modo exstirparet, ita ut conversio ejus quam maxime repentina et inopinata exstitisse dicenda sit, variis tamen, uti saepius jam monuimus(1), pungebatur aculeis, quibus, ut de causae suae justitia cogitaret et nonnunquam quoque dubitaret, jam ante conversionem adductus est. Quin vel eo procedimus, ut varia ratione Paulum ita ad Christi causam amplectendam praeparatum statuamus, ut facile omnino conversio quoque locum habere posset.

Etenim quamvis leges et conditiones, quibus positis commercium inter utrumque mundum, coelestem et terrenum, adesse possit, ignotae sint, hoc tamen constat, nullam animo humano inferri vim magicam aut mechanicam, ut ad rem peragendam aut sententiam sequendam invitus quispiam cogatur, sed nemini aliquid mandari, nisi ad quod exsequendum et aptus sit et quodammodo vel pronus vel certe praeparatus. Quod quum in Paulum quoque omnino cadat, suspicio facile oriri possit, eum, quae diu jam ipse animo volvisset,

---

hibet. Haec autem omni sua vi destituuntur, si tenemus, Lucam revera libri esse scriptorem, quem ne consulto res mutasse aut finxisse statuamus, prohibet ipsius character Christianus. — Quum autem hujus loci non sit, omnem quoque de auctore libri Actorum quaestionem exponere, citasse sufficiat nonnullos, qui traditionem Ecclesiae, Lucam auctorem statuentis, strenue vindicarunt, v. c. in patria nostra J. AB UTRECHT DRESSELHUS, *Over Lukas Evangelie*, *Aanhangsel* p. 359 sqq.; J. J. VAN OOSTERZEE, *Over de waarde van de Handelingen der Apostelen* p. 12 sqq 161 sqq; P HOFSTEDE DE GROOT, *Over de Hand. der Apostelen*, *W. in L.* 1849, passim; J. H SCHOLTEN, *Kritische Inleiding tot de Schriften des N. T. ten gebruike bij de Akademische lessen*, Leyden 1853, p. 61 sqq 70 sq. Conf. quoque LECHLER, *Apost. Zeit.* p. 6 sqq.; J. F. VAN OORDT, *Paulus in betrekking tot de andere Apostelen*, in *Waarh in Liefde* 1848, I, II; A. W. VAN CAMPEN, *De jure, quo nonnulli consilium apologetico-irenicum auctori Actorum Apostolicorum tribuant*, Lugd. Bat. 1849; J. C. KOCH, *De Petri theologia*, L. B. 1854, cap. IV, p. 103 sqq. impr p. 141 sqq.

(1) Vid. supra p. 22 sq., 68 sq., 127 sq., 133—138.

haec nunc Jesum coelitus ipsimet dictantem sibi finxisse et mox quam certissime haec sibi dicta esse credidisse. Quae suspicio commendatur insuper exemplo aliorum illustrium virorum, qui, simili mentis errore decepti, externa quadam, ut putabant, voce aut visione permoti sunt, ut ad Christi castra transirent. Etenim et Constantinus sibi visus est crucis signum, in quo vinceret, in coelo apparens adspicere, et Augustinus vocem, ut Scripturam evolveret, ipsum adhortantem, se audire putavit; quem utrumque tamen phantasiae lusu deceptum esse, nemo fere est qui dubitet. Pariter, inquiunt, neque Paulus Jesum vidit (objective) audivitque, sed tantum (subjective) sibi visus est, coelestem Dominum adspicere ejusque vocem monentem audire.

Haec omnia psychologice satis bene procedunt inque fabula romanensi conscribenda egregie suum occupent locum; historiae vero, quam, accuratissime descriptam, ante oculos habemus, minus bene congruunt. Huic enim insunt haud pauca suspicionem illam prorsus evertentia. Primum quidem, aliis permultis praeeuntibus, monendum est, psychologice explicari vix posse, quod Paulus, qui lupo similis Hierosolymis egressus erat, nunc, in contrariam omnino transiens partem, veluti ovis docilis Damascum intraverit; hac enim re ab Augustino et Constantino maxime discrepat, utroque conversionem suam ultro cupiente. — Porro ea, quae dicuntur de Pauli comitibus et lucem percipientibus et perterritis plane humique adeo prostratis Act. 9: 4; 22: 7; 26: 14 (1), ostendunt, non totum certe negotium fuisse

(1) Hac de re omnino dignus est qui consulatur A. G. HASELAAR, *De nonnullis Actuum Apostolicorum et Epistolarum Paulinarum ad historiam Pauli pertinentibus locis*, Lugd. Bat. 1806, p. 36 sq., qui, exposito usu latissimo dictionis ἐστηκέναι ἐνεούς, quam non de corporis, sed de animi statu accipiendam esse probat, ita concludit: »Neque enim probatae bonitatis scriptor, qui in libro non ita magnae molis hanc sibi necessitatem impositam esse sentiat, ut unius ejusdemque rei plus semel mentionem injiciat, hanc sibi legem poni patiatur, ut identidem se ipse quasi revocet. Imo vero potius hic et illic, salva veritate, vel addendo nonnulla, vel omittendo cavebit, ne satietatem lectoribus adferat." Procul dubio, si recentiorum Lucae narrandi rationem dijudicantium criticam cognovisset artem, doct. HASELAAR, addidisset, minus etiam statui posse auctorem, — quem subtilissime ad suum consilium omnia conscripsisse perhibent, hoc autem callide ita celasse, ut per XVIII saecula doctorum fugerit oculos, — hunc tam stolide egisse, ut in parvi adeo voluminis libro bis sibimet ipse contradiceret. — Idem valet de reliquis discrepantiis, in repetita conversionis historia obviis, quae in concordiam vix aut omnino redigi non posse asserunt, v. c. BAUR, *Paulus*, p. 60—66, quas vero unice ex uno eodemque facto nunc ab hac, nunc ab alia parte, ab

subjectivum, sed revera accidisse objectivi quid, quicquid tandem sit, quo non unus Paulus, sed omnes quoque ejus socii afficerentur. — Idem necessario sequitur e coecitate, qua per triduum Paulum affectum esse legimus (1). Hoc ipso enim, quod coecus factus est Paulus, ipsi sane et statim et in posterum persuasissimum omnique dubio superius fuit, se non in errore versatum esse, quum Jesum se audire atque videre putaret. Ita nobis quoque illa Pauli coecitas indicio est, ἀποκαλύψιν Ἰησοῦ Χριστοῦ in Paulo non interne tantum processisse, sed hanc comitasse quoque externam rem qualemcunque, cujus effectus fuit hic, quod oculorum usu per aliquod tempus destitueretur. — Tenendum denique, Ananiam ad Paulum se contulisse. Jam vero facile quidem èt Paulus Ananiam, Christianorum principem virum, quem forte primo loco in carcerem injicere constituerat, cognovit aut de eo saltem fando audivit, èt ad Ananiam persecutionis a Paulo institutae rumores pervenerunt; quae omnino tenenda sunt, ut psychologice quoque intelligatur visio, qua, Deo moderante, uterque est usus (2). Si autem sumere velis, nullam ad Ananiam pervenisse admonitionem Divinam Paulum adeundi peculiarem, hoc tamen constat, eum, persecutionis instantis timore actum, ad Paulum, virum inimicissimum, hujus persecutionis ducem et auctorem, nunquam venturum fuisse, nisi non modo fama ad ipsum esset perlata, extraordinarii quid in itinere Paulo accidisse, sed certissime quoque ipsi de Pauli conversione constitisset. Itaque

---

ipso Paulo, narrato explicandas censeo; vid. P. HOFSTEDE DE GROOT, Ll. *W. in L.*, 1849, II p. 272. Qui traditionis vestigia hic inveniri putant (v. c. MEYER, *Comm.* ad Act. 9: 7, ed. 1, p. 132: eandem sententiam, uberius etiam propositam, invenies ed. 2, p. 181 sqq.), hi reputent de traditione, quae vulgo dici sic consuevit, sermonem fieri non posse, ubi agitur de iis, quae ab uno Paulo accepta habuit Lucas.

(1) Hoc non de corporis, sed de mentis coecitate accipiendum esse, vult BAUR, *Paulus*, p. 70. Nec tamen hic aliud quid probat, nisi fieri potuisse, ut spiritualiter coecus Paulus diceretur; quae enim affert verba Act. 9: 18, de ejus oculis decidisse ὡσεὶ λεπίδες, haec minime ostendunt, Lucam ipsum innuisse spiritualem coecitatem, sed egregie pingunt experientiam Pauli coeci, per Ananiam autem oculorum usum recuperantis. Vid OLSHAUSEN, *Comm.* ad h. l. p. 759.

(2) Visionis alicujus psychologice interpretandae egregium specimen dedit KOCH, *De Petri theologia*, p. 97 sqq., de Petri visione, Act. 10: 9—16 descripta, agens. Omnino autem tenenda sunt, quae de quavis interpretatione psychologica dicit p. 98: »Tantum abest ut (tali instituta inquisitione) revelationi divinae suus auferatur honos, ut nexu psychologico perspecto revelationis demum character vere divinus prodeat.“

Ananias, qui, Jesu verba et mandata Paulo referens, huic veritatis eorum quae evenerant erat testis (1), nobis pariter eo ipso, quod mandata, quorum Jesus in via mentionem fecerat, ad Paulum detulit, apparitionem Jesu in via revera obtinuisse certo probat: hos autem, qui Ananiam Christi jussu ad Paulum venisse negant, necessario convincere debet, Paulo Damascum petenti saltem accidisse aliquid plane singulare, cujus partim certe jam et testes et divulgatores exstiterant itineris socii.

Ex his singulis satis jam liquet, Pauli conversionem in via Damascena non esse effectam iis unice, quae conscientiae voce dictante intus volveret Paulus et meditaretur, sed hanc insecutam esse post lucis cujusdam fulgur vocisque rumorem coelestis, quae et Pauli comites perceperunt quibusque ipse quoque Paulus ita afficiebatur, ut oculorum usu destitueretur, cujusque fama ad plures adeo pervenerat, sive aliis verbis, rem totam non fuisse mere subjectivam, sed omnino objectivi quid, idque admodum extraordinarium, Paulo accidisse. — Quale autem hoc fuit? Nullum quidem est dubium, quin Paulus adspectabilem cogitaverit ipse apparitionem Jesu, quicum adeo plura sit collocutus. Jam vero remanet quaestio, utrum ex ipsa, qualis narratur, apparitione effici hoc quoque queat, Paulum Jesum revera vidisse et audivisse, an vero subsistendum sit in luce quadam et sono, quem aut naturalem aut extraordinarium sibi quisque possit pro lubitu proponere.

Jam vero affirmare minime dubitamus, fieri non potuisse, ut, non adspecto auditoque Jesu, haec, quae Lucas narrat, Paulus sibi audire visus sit. Praeparationem enim etiamsi concedimus vel maximam fuisse, conscientiaeque vocem identidem persecutorem monuisse, ut ab incepto desisteret neque amplius Christianos vexaret, quam animi, affectuum imperio enervati, inquietudinem iter longius auxisse potius quam minuisse dicendum est; quin si vel eo procedere quis velit, ut (quod tamen minime nos historiae congruum esse putamus) Paulum quo propior a Damasco abesset, eo magis dubitasse non tantum, sed semet quoque ipsum suaque facinora detestatum esse

(1) Hoc jam vidit HEUMANN, *De Illuminatione Sauli*, Jenae 1741, qui p. 16, respondens quaestioni, cur per Ananiam suam Christus cum Paulo communicaverit voluntatem, »scilicet, inquit, magis magisque convincendus erat Saulus, quod Jesum viderit, quodque nullus ea in re sit error" Nam postquam Ananias ad eum venit Jesuque mandata cum eo communicavit, »ne mica quidem dubitationis relinqui poterat in animo Sauli."

statuat: — his igitur omnibus sumtis explicari possit, Paulum luce subita in terra delapsum cogitavisse, se nunc poenas daturum impiae Christianorum persecutionis; Jesum Nazarenum ad Dei dextram, ut ejus discipuli docuerant, vere elatum sibi judicem apparere, scelerum vindictam sumturum; quam ut effugeret, statim sibi ad meliorem mentem esse redeundum, caetera hisce similia (1). — At restat aliud quid. Solvenda est quaestio, undenam haurire potuerit hoc, Jesum ipsum alloqui non, »Saul, Saul, cur *Discipulos meos*, cur *Christianos*, cur *Ecclesiam* persequeris," sed, »*quid persequeris me, Ego sum Jesus, quem tu persequeris.*" Unde hoc habuit? E Pauli consueta cogitandi ratione hoc minime explicari potest. Illum enim 'suam agendi rationem non ita esse contemplatum, ut Jesum, quem mortuum habebat, se persequi putaret, et per se jam patet, et eo etiam confirmatur, quod postea, ubicunque de vita sua anteriori loquatur, se non Jesum, sed Ecclesiam vexasse profiteatur, Gal. 1: 13: καθ' ὑπερβολὴν ἐδίωκον τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, 1 Cor. 15: 9: διότι ἐδίωξα τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, Phil. 3: 6: διώκων τὴν ἐκκλησίαν. Persecutionem itaque hanc deinde etiam constanter considerans non Jesu, sed Ecclesiae persecutionem, Paulus si in via Damascena sibi finxisset, Jesum ad ipsum verba facere, hunc ipsum alloquentem sibi proponere debuisset, non, »quid *me* persequeris," sed »quid *Ecclesiam* persequeris." Quum autem nec verba, quibus Jesum usum esse dicit, τί με διώκεις; e phantasiae lusu se audire sibi potuerit videri, et notio his insita, a Jesu quidem indicata (Matth. 10: 40; 25: 40, 45), a nemine tamen Apostolorum ulterius explicita, Christianorum coetui aliena fere fuisse dicenda sit, tuto concludere possumus, Paulum non putavisse, Jesum haec dicere, sed revera Jesum haec dicentem audivisse. Quae si vere audivit Paulus, reliqua quoque, quae narrantur (Act. 9: 4—6, coll. 22: 7—10; 26: 14, 15), eum cum Jesu collocutum esse, nemo in dubium vocabit.

Quum itaque constet, Paulum revera Jesu audivisse vocem in via Damascena ad ipsum perlatam, facile fit, quaestionem inferioris momenti dirimere, utrum Paulus Jesum adspexerit ipse. Quem enim cum Jesu collocutum esse vidimus, quomodo huic fidem

(1) Ita AMMON, *De repentina Sauli conversione*, Erl. 1792 p. 17 sqq.; similia habent alii multi, impr. quoque BAUR, *Paulus*, p. 66, qui tamen vel lucem aliquam affuisse quam maxime etiam negat.

negabimus asseveranti, se Jesum quoque vidisse, coll. Act. 26: 16; 9: 7, 17, 27 (1), omnemque suam auctoritatem Apostolicam unâ hac re defendenti, quod Jesum viderit ipse 1 Cor. 9: 1, aeque ac reliqui Apostoli omnes 1 Cor. 15: 8?

Itaque satis patet, jure nos usos esse Jesu apparitionis Paulique conversionis historia a Luca nobis relata, pluraque esse argumenta certa, quibus probari possit, Paulum non phantasia sua esse deceptum, sed revera audivisse et adspexisse Jesum in via Damascena cum ipso colloquentem.

Sed unum etiam superest argumentum idque gravissimum, quo, illam apparitionem objective locum habuisse, omni dubio fit superius. Est hoc ipsa nostra disquisitio hocce opusculo instituta. Etenim quam historia narrat affuisse Jesu apparitionem, quamque psychologia sumere nos jubet, unde explicemus, quî fieri potuerit, ut Pauli et vita et animus prorsus idque inopinato et repente immutarentur: hanc ipsa Apostoli theologia quoque locum habuisse confirmat. Hanc enim omnem fere ex una modo Jesu apparitione ipsiusque conversione explicari posse vidimus; nec tantum hanc inde posse, sed revera debere explicari, ut recte intelligatur ipsa ejusque radices altissimae investigentur.

Jam vero Paulus, qui ita semper ad Jesum vivum provocat, ut non unius alteriusve placiti, sed universae rei Christianae praestantiam veritatemque omnem ex una Jesu vita nova derivet, — qui Jesu Deique gratiam èt erga se immerentem, imo inimicissimum, èt erga omnes omnino homines semper sensit et extollit, — qui denique Ecclesiae Christique communionem statuit adeo intimam, ut unum eos efficere corpus dicat, — undenam Paulus haec haurire potuit, nisi Jesu apparitione in via Damascena eâ conversus sit ratione, qua Lucas hoc nobis retulit?

---

(1) Meyer, *Comm.* ad Act. 9: 8, ad verba *ἀνεῳγμένων δὲ τῶν ὀφθαλμῶν* dicit: »Also hatte Saulus mit *verschlossenen* Augen seit der Erscheinung des Lichtglanzes (V. 4.) auf der Erde gelegen," e quibus ed. 1 p. 135 efficit, Jesu apparitionem non fuisse externam, quod vero ed. 2. p. 184, inde posse effici negat. Sed verborum interpretatio non valet, nam *ἀνεῳγμένων τῶν ὀφθ* non est, *quum oculos aperiret* Paulus; hoc enim si voluisset Lucas, scripsisset aut *ἀνεῳχθέντων τῶν ὀφθ.*, aut *ἀνοίξας τοὺς ὀφθ.*, *aoristo* tempore. Verba significant, *apertis oculis*, i. e. *quanquam oculis erat apertis*, nihil nunc conspiciebat Paulus, quippe coecus factus. Vid. Grotius ad h. l.

Nisi enim Jesum suis adspexisset oculis, tantum Jesu vitae non tribuisset pretium; — nisi gratiam expertus esset, qualem sibi cogitatione sua humana, imo Judaica et prorsus legali proponere non potuisset, hanc plane admirandam et stupendam omnique cogitatione humana superiorem per omnem deinceps vitam neque sensisset, neque commemorasset; — nisi audivisset Domini vocem, »Saul, Saul, quid *me* persequeris?" querentis, non illam docuisset Christi sociorumque conjunctionem, qua dolores gaudiaque aeque illius sunt atque horum.

Merito igitur concludimus, Paulum neque ab aliis hominibus, neque a se ipsum Euangelium suum accepisse, sed revera, prouti ipse testatur, δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.

THESES.

I.

Ad quaestionem de theologiae Paulinae fonte solvendam non recurrendum est ad patefactionem unam pluresve, qua ipsam theologiam suam divinitus accepisse putatur Paulus.

II.

Nulla nobis innotuit patefactio specialis, qua theologiam suam edoctus sit Paulus.

III.

Ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ, *qua se Euangelium suum accepisse dicit Paulus* Gal. 1: 12, *est Jesu apparitio in via Damascena, a Luca nobis relata* Act. 9.

IV.

Ipsa Pauli agendi et argumentandi ratio documento est, doctrinam aliquam Christianam ei non coelitus esse dictatam.

V.

Pauli vita consulenda est, ut ejus theologia intelligatur. Hoc recte vidit REUSS, Hist. de la Théologie chrétienne au siècle apost. II, p. 37: »*Étudier son histoire au point de vue psycholo-*

gique, c'est le meilleur, c'est le seul moyen de comprendre son enseignement."

VI.

Historicam rei Christianae notitiam non ex patefactione quadam, sed ex traditione hausit Paulus.

VII.

E Pauli vita explicanda etiam est forma peculiaris, qua suam exposuit theologiam.

VIII.

Paulo Jesu resurrectionem vitamque coelestem totius rei Christianae fuisse fundamentum, ex Jesu vivi in via Damascena apparitione est repetendum.

IX.

Paulus Jesu apparitione et suum et aliorum totiusque mundi cognovit peccatum.

X.

Pauli doctrina de gratia Divina tota quanta innixa est iis, quae ipse conversione sua expertus est.

XI.

Pauli conversio egregie inservit ad explicandum, quid ei sit remissio peccatorum, quid fides, quid justificatio.

XII.

Paulinae de Christi cum Ecclesia unitate doctrinae fundamentum quaerendum est in ratione, qua Christum Ecclesiae prospicientem sua ipse experientia cognovit Paulus.

XIII.

Theologiam, cujus semina Jesu apparitione suâque conversione Paulus animo concepit, ex omni vitae tum ante actae tum insequentis experientia ipse sibi explicuit et confirmavit.

XIV.

Quaestio omnis a priori instituta de iis, quae fieri possint nec ne, sanae exegesi admodum nocet.

XV.

Carmen Mosis, quod nobis servatum est Exod. XV, *ab ipso Mose est confectum.*

XVI.

Joël vaticinatus est regnante Joaso ante mortem sacerdotis Jojadae.

XVII.

Jesus dicens, sibi gratum fuisse, si Judas natus non fuisset, Matth. 26: 24, *intimum expressit dolorem, quo Judae agendi ratione animus percellebatur.*

XVIII.

Quod verba Jesu Joh. 13: 16—20 *logice minus cohaereant, ex ejus animo conturbato explicandum videtur.*

XIX.

Paulus Rom. 3: 25, 26 *docet, Christum propositum esse* ἱλαστήριον *a Deo, ut suam ipse justitiam ostenderet; hanc autem justitiam hac re constare, quod Deus sit* δικαιῶν τὸν ἐκ πίστεως.

XX.

Plurima quae contra Paulinarum epistolarum authentiam hic illic proponuntur dubia originem ducunt partim hinc, quod rerum, locorum, temporum opportunitates, ad quas respiciunt, nos saepe lateant prorsus, partim inde quod ditissimum Pauli ingenium intra sui ipsorum ingenii terminos, saepe angustiores, includant interpretes.

XXI.

Pauli in scribenda ad Ephesios epistola hoc fuisse videtur propositum ut, quos antea instituerat ipse, de quorum autem fide et amore constanti nunc certior factus erat, hos, Dei consiliis ante mundum conditum captis et per Ecclesiam olim ad finem perducendis plenissime exponendis, summis rei Christianae quasi mysteriis initiaret.

XXII.

Ad veram inspirationis notionem tenendam multum facit observasse discrimen, non pugnam, quod inter variorum N. Testamenti scriptorum theologiam adest.

XXIII.

Historiae doctor tum demum suo rite fungitur munere, quum non tantum hominum actiones et consilia, sed etiam Dei haec regentis ad suumque nobis cognitum consilium dirigentis providentiam in luce ponit.

XXIV.

Vere CLEMENS ALEX. Strom. I, p. 282: Ἐπαιδαγώγει καὶ ἡ φιλοσοφία τὸ Ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους.

XXV.

Vere MONTESQUIEU, Espr. des Lois, XXIV, 13: »*La religion païenne ne défendoit que quelques crimes grossiers, arrêtoit la main et abandonnoit le coeur.*"

XXVI.

Vere HASE, Kirchengesch. § 22, ed. 7, p. 22: »*Die griechische Religion war für Glückliche, für das Unglück hatte sie weder Trost noch Kraft.*"

XXVII.

Paulus dicens Eph. 3: 10, *per Ecclesiam vel ipsis coelicolis cognosci mirificam Dei sapientiam, nobis indicat, quorsum omne*

ejusdem Ecclesiae historiae studium tendere debeat: ut ipsi, Dei providentiam in Ecclesia curanda videntes, ad hujus sapientiam amoremque ineffabilem adorandum adscendamus.

XXVIII.

In Stephani morte permittenda hoc nomine etiam Dei cura elucet, quod illius placita, Ecclesiae recentis unitati facile nocitura, et ejus martyrio obsignata melius nunc exciperentur, et postea per Paulum huic rei agendae aptissimum quaquaversum propagari possent.

XXIX.

Qui hominem peccantem emendare vult, misere conatibus suis excidet, nisi et mentem illustret et vero etiam ejusdem animum moveat atque ita voluntatem flectat.

XXX.

Vere GARVE, zu Cicero's Büchern von den Pflichten, ed. 1787, II, p. 35, *de notione Dei judicis punientis dicit: »Sie hat dem Menschen eine Furcht eingeflösst böses zu thun; ob sie es ihm gleich frei gelassen hat böse zu sein."*

XXXI.

Nec dogmatis neque disciplinae, sed fidei et amoris unitas speranda est in Ecclesia Christiana.

XXXII.

Religionem Christianam non esse literam et legem, sed spiritum et libertatem, hinc imprimis liquet, quod Paulus de ea doctrinam non didicerit ab alio quodam, sed, ex Jesu apparitione aliisque rebus in facto positis, sibi informaverit ipse.

ERRATA.

Pag.	x	l. 9	pro *apparatione*	leg.	*apparitione*
»	xi	l. 6	» *benificia*	»	*beneficia*
»	9	l. 17	post remitti	»	: (ὃν προέθετο — ἱλαστήριον — ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι).
»	20	not. (1) l. 6	add. 1849, II, p. 274 sq., 303 sqq.		
»	58	l. 4	» Rom. 15: 3—7		
»	61	l. 16	pro Christo	leg.	Christi
»	64	l. 4	add. 2 Tim. 1: 5		
»	102	l. 26	pro etquid	leg.	et quid
»	109	l. 2	» (2)	»	(1)
		l. ult.	» (1)	»	(2).

ORATIO

DE

HISTORICA RELIGIONIS CHRISTIANAE INDOLE.

ORATIO

DE

HISTORICA RELIGIONIS CHRISTIANAE INDOLE,

HODIE NIMIUM SPRETA,

HAUD SINE GRAVISSIMO DAMNO CONTEMNENDA

AC

NEGLIGENDA,

QUAM HABUIT

BERNARDUS TER HAAR,
THEOL. DOCT. ET PROF.

QUUM DIE XXVI M. MART. MDCCCLX. RECTORIS MUNUS PONERET.

ACCEDIT ACADEMIAE FATORUM NARRATIO.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.
MDCCCLX.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, PROFESSORES, LECTORES! CIVES! VIRI AMPLISSIMI, CLARISSIMI, DOCTISSIMI! COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE, MUNERUM DIGNITATE VEL ERUDITIONIS LAUDE CONSPICUI, HIC ADESTIS, AUDITORES SPECTATISSIMI, HUMANISSIMI!

Quum ante hos quinque et quod excurrit annos gravissimum in me collatum munus oratione inaugurali capesserem, palam ac publice mihi gratulatus sum, quod Theologicae disciplinae eam sortitus eram provinciam, in quâ, sepositis acerbioribus litibus, ipsam Historiam, sapientiae magistram, loquentem inducere, vel Ethicen Christianam tradens, talia potissimum exponere possem, qualia ad vitam spectant vere Christianam; neque id gravi sine causa! Semper enim me a rixis dissentientium abhorruisse, atque in odio habuisse quidquid sapiat ac redoleat odium Theologicum, quidni fatear? Facile tamen intelligere potui, fieri non posse ut controversias omnes intactas relinquerem, vel, si secus sensissem, spe illa atque exspectatione egregie falsus fuissem, atque experientia brevi me longe alia docuisset. Quid enim? Acerrimum certamen, cum in Dogmaticis tum in Historicis et Ethicis,

per hoc annorum spatium extra et intra nostrae patriae fines, graviore etiam incendio exarsisse nemo vestrum ignorat. Praeterea, ut legi nostrae Ecclesiasticae satisfieret, quae sapienter institutionem Isagogicam in nostris Academiis tradendam praescribit, Historiam librorum N^i. F^is. tractandam suscepi, quae me mediam veluti in arenam rapuit, in qua Criticos ac Theologos nostros hodiernos gladiatorum instar luctantes et dimicantes cernimus. Ac sane ejusmodi nostri, quod vivimus, temporis est ratio, ut nulli Theologo, quamvis Irenico vel Eclectico, nec cuiquam se mancipanti, hujus certaminis e longinquo otiosum ac tranquillum spectatorem se gerere concedat et permittat.

Non amplius, uti majoribus nostris consuetum erat, de uno alterove dogmate ad Litterarum Sacrarum normam melius construendo vel explicando, de Litterarum S. Θεοπνευσία, de Symbolorum vi et auctoritate, de iis quae ad salutem aeternam consequendam necessaria sint existimanda, vel contra ad ἀδιάφορα referri posse videantur, Theologi nostri disputant. Longe graviora praelia miscentur, ita ut comparatis iis, quae abierunt, cum his, quae nunc aguntur temporibus, ultro nobis succurrat hoc LUTHERI dictum; *Hucusque tantum lusum est, nunc demum seria agentur* [1]). Jam eo perventum est ut, attentatis et quassatis fundamentis, totius aedificii ruina huic nonnullis imminere videatur. Haud desunt, nostris his diebus, qui tam palam ac aperte, se religionis et Societatis Christianae interitum moliri, omnibus suis scriptis ac verbis declarent, ac si notissimam illam CATONIS vocem repeterent, *Carthaginem esse delendam.* Quid, quod etiam intra arcis oppugnatae muros haud pauci reperiuntur, qui etsi religionis nostrae adversariis minime annumerari velint, vel etiam magni illam se facere profiteantur, vel sic tamen

de firmissimo (quod hucusque visum erat) propugnaculo deserendo, hostibusque ingruentibus tradendo serio cogitent. In tanto rerum discrimine prorsus silere, veramque animi sententiam anxie celare nefas foret ac piaculum. Eloqui sine irâ ac sine metu quid intima dictet persuasio, suadet hoc ac jubet admonitrix conscientiae vox; suadet hoc ac jubet veritatis indagandae et promovendae studium, religionis Christianae dignitas et praestantia, ipsaque, quae nobis cara esse debet, Ecclesiae salus! Quae cum ita sint, Auditores Humanissimi, solenni hoc die verba facturus, orationis argumentum eligendum esse duxi, neque a studiis meis neque ab hac temporum nostrorum conditione alienum. Etsi autem vix sperare liceat, fore ut, in tanta sententiarum discordia ac discrepantia, vos omnes mihi assentientes habeam, gravitate tamen atque opportunitate quam maxime dicendi materia se commendabit. Dicam enim „*de Historicâ religionis Christianae indole, nimium hodie spretâ, haud sine gravissimo damno contemnendâ ac negligenda.*" — Quod si autem hujus argumenti dignitate longe inferior a vobis comperiar, partim, quaeso, brevitatis temporis memores sitis, me admonentis ne patientiâ ac benevolentiâ vestrâ abutar; partim ut Oratori labenti vel etiam erranti, eâ quae vobis inest, humanitate ignoscatis, Vos omnes, Auditores plurimum honorandi! enixe rogo.

Quanquam permultos esse arbitror, qui Historicam religionis Christianae indolem minoris, quam par est, faciant, perpaucos, si ullos, esse suspicor, qui latiore quodam sensu talem illi indolem abjudicent. Ante omnia igitur definiendum erit, quo sensu Historicam illam, quam dixi, indolem religioni Christianae tribuam; ut inde pateat, quo sensu illam plane negligi ac contemni

posse, et revera hodie a nonnullis nimium spretam esse existimem. Uti quaevis religio, quae *positiva* dici consuevit, simulac exstitit, qualemcunque habuit Historiam, sic quoque religionem Christianam inde a suis natalibus suam habuisse, aliis ut dicam verbis: JESUM Nazarenum quondam in Palaestina vixisse, nonnulla de regno coelesti a se condendo docuisse, et a PONTIO PILATO, Judaeae Praeside cruci esse affixum — hoc nemo sanâ mente praeditus in controversiam vocabit. Me tamen aliud ac majus quid in mente habuisse, facile intelligetis. Atque id rogatus nullus affirmare dubito, in religione Christianâ tam arctum Historiam inter et doctrinam, cum theoreticam tum practicam, intercedere nexum, ut altera ab alterâ prorsus divelli nequeat; ut religio Christiana, sic divulsa non magis salva et incolumis cogitari possit, quam humanum corpus sine animo vel animum sine corpore hominis sani ac vigentis imaginem tibi referre dixeris. Ne tamen temere ac praemature vobis sumsisse ac posuisse videar, quod adhuc probandum ac demonstrandum sit, hîc paucis memorasse et ostendisse sufficiat: JESUM ipsum ejusque Apostolos, haud alium suae religioni indidisse ac tribuisse characterem; uti et ipsa Euangelii nunciati feliciterque propagati historia ejusdem indolis signaculum in fronte gerit. Quid JESUS? Licet prorsus praeclara ac divina de Deo, ejus Providentiâ nostrâque vitâ aeternâ docuerit, licet quantivis pretii praecepta moralia ediderit, quis tamen non videt, quanti fidem sibimet ipsi habendam fecerit? Quam ad fidem ut homines adduceret, vitam suam, verba et facta magnum salutiferumque opus a Patre sibi demandatum iterum iterumque testatus est [2]). Quonam sapientissimo consilio duodecim discipulos sibi adjunxerit, nonne optimus Magister

disertis declaravit verbis, futuros Euangelii nuncios sic alloquens: „ὑμεῖς μάρτυρες τούτων [3])!" Quid Apostoli? Quid PETRUS? Quid PAULUS? Quid JOANNES? A CHRISTO iis exordium! in CHRISTO finis! Praeter CHRISTUM eumque Crucifixum nil scire cupiunt. Glorioso ejus in vitam reditui certissimam Christianorum spem superstruunt. Ab ejus exemplo et singulari erga nos amore, praecepta, incitamenta, adjumenta virtutis repetunt. Vitam aeternam, vitam vere vitalem, in JESU quaerendam, in JESU adspectabilem se oculis conspexisse, auribus percepisse, manibus suis contrectasse gaudent et gloriantur. Quid Euangelii ipsa vox? Nonne laetus ille nuncius: Deum filium suum has in terras misisse, morti tradidisse, invitam revocasse, in coelo constituisse hominum Conservatorem, regni coelestis Regem ac Principem — Historicam religionis Christianae indolem satis superque demonstrat [4])? Quid denique κήρυγμα τῶν Ἀποστόλων ceterorumque Euangelii praeconum, quocunque se ad hoc Euangelium populis nunciandum contulerint, quantum de illo ex ipsâ Historiâ novimus? Nonne illud in JESU vitâ, dictis, factis, fatis enarrandis, ab eo inde tempore, quo baptismi ritu initiatus in publicam prodiisset scenam, donec coelestia habitacula illum reciperent — fere totum versatum esse, valde probabile est [5]). Quod quum bene perpendimus, magnam illam ac mirabilem rerum conversionem, quae, feliciter in mundum introductâ ac propagatâ religione Christianâ, omnem fere orbem terrarum mutavit, multo magis narratae Historiae quam expositae doctrinae [6]) acceptam esse referendam, statuamus ac concludamus necesse est.

Nihil igitur est, quod miremur A.! A.! Doctores Ecclesiasticos omnis fere temporis ac loci in historicâ illâ

religionis Christianae indole agnoscendâ magnique aestimandâ satis amice conspirasse. Instauratis autem Sacris Theologi Protestantes, quo magis Ecclesiae auctoritate rejectâ, aliâ eaque satis firma basi indigerent, vel etiam quum eorum nonnulli (uti Sociniani et Remonstrantes) testimonium, quod dicitur Spiritus Sancti, parum valere ad persuadendum intelligerent, eo majoris Historicam illam religionis Christianae indolem facere coeperunt. Hanc arcem, hoc propugnaculum fidei, hoc armamentarium duxere, unde arma sint petenda, ad religionis Palladium ab omni adversariorum vi et impetu tutandum. Instar omnium hîc landandus est celeberrimus ille nostras HUGO GROTIUS, qui libello suo aureo *de veritate religionis Christianae*, cum externis tum internis argumentis, veritatem illam commonstrare ac vindicare studuit, ac tam egregie rem suam egisse visus est, ut, Historiae veritate admissâ, nullus fere contradicendi relinqueretur locus [7]). Ac sane A. A.! quidquid argumentationi, a GROTIO propositae derogandum esse censeat nostra aetas: GROTIUM parvulo illo at pretioso libello viam munivisse facemque praetulisse bene multis, qui, praecedente etiam saeculo, religionis defendendae caussa arma accingerent, nemo inficias ibit. Quotquot igitur hujus vestigia presse secuti sunt, externis sive Historicis argumentis in Apologeticis principem locum, primarias partes assignarunt. Non tantum divinam hujus religionis indolem hac viâ et ratione optime probari posse existimarunt; sed etiam plane singularem ejus praestantiam in eo maxime quod talem prae se ferret indolem, cerni monuerunt, Deique sapientiam admirari et adorare jusserunt, qui JESU historiam et doctrinam arctissime jungens, optime humanae imbecillitati consuluerit [8]).

Verum enim vero, incredibile dictu est, quantopere

pretium illud, quod GROTIUS Historicis, quae dicuntur, argumentis statuerat, in dies magis imminui coeperit, quantum a pristino illo tempore distet ac mutata sit tota cogitandi, argumentandi sentiendique ratio, ita quidem ut GROTIUM commemorans ac laudans, alios subridentes mihi fingam, alios murmurantes audiam: „ô sancta Simplicitas!" — Cujus commutationis caussas admodum varias, licet a nostro consilio non alienum esset, hîc commemorare longum foret. Primum in censum venit Philosophiae in Theologiam frustra reluctantem, ducibus et auctoribus Spinosa, Humio, Lockio, vis et efficacia. LESSINGIUS Theologis jus denegari voluit, historico quodam facto veritatem sive philosopham sive religiosam comprobandi [9]). KANTIUS Historiam ejusque veritatem inter ἀδιάφορα recensuit [10]). AMMONIUS religionem et Theologiam Christianam minime ab Historiâ JESU CHRISTI pendere statuit [11]). SCHLEYERMACHERUM ab hac quoque sententiâ haud procul distitisse dixeris [12]). Multi Theologi inter quos BRETSCHNEIDERUS [13]), TWESTENUS [14]), HASIUS [15]), SCHENKELIUS [16]), HAGENBACHIUS [17]), argumenta JESU ex factis et fatis petita licet per se non sufficiant, et a nobis longe minoris, quam a JESU aequalibus sint habenda, mimine omni pretio destituta et prorsus contemnenda existimarunt, neque egregium fidei adminiculum iis inesse negarunt. Hi igitur mediam veluti viam secuti, in defendendâ et vindicandâ religionis veritate internis argumentis primarias, externis, quippe quae per se non sufficiant, secundarias vel auxiliares demandari voluerunt partes. Alii denique, ulterius progredientes, hisce valde exiguas partes reliquerunt, summum in Apologeticis conscientiae humanae, sive Spiritus sancti testimonio, deferentes principatum.

LESSINGII sententia, (quamvis Historicorum argumentorum vim infringens), ipsam Historiam quodammodo intactam reliquerat [18]). At minime hîc subsistendum esse rati, alii Philosophi ac Theologi Historiae etiam sacrae prorsus idem examen criticum subeundum esse voluerunt, quod jam NIEBUHRII laboribus experta erat Historia Romana. Ac novimus quonam eventu! STRAUSSII *vita* JESU analytica methodo infaustum destructionis opus inchoavit, quod syntheticâ magis viâ perficiendum suscepit Schola Tubingensis. Hos si audis, si quis in Euangeliis Historiam veri nominis quaerere pergit, nebulas pro corpore, nubes pro Junone amplectitur. Optime memini A. A.! ante paucos hos annos me eruditissimos etiam viros inter nostrates affirmantes audire, haud adeo reformidandum esse STRAUSSIUM, bene et illum eatenus de Theologiâ esse meritum, quatenus Rationalistarum naturali (si Dîs placet) interpretationi letale vulnus inflixerit; librum vero ipsum mox oblivioni traditum iri. Sed aut ego egregie fallor, aut hi, longe alia experientiâ edocti, se vana ac falsa auguratos esse nunc quidem videbunt. Quid, quod duplex illa hypothesis, quae veluti lapis angularis STRAUSSIANI systematis dici meretur, (altera Historiae mythum substituens, altera miraculum quodcunque, propter id ipsum quod sit miraculum, negans) hodie haud paucis, utpote unice vera se commendare videtur. Quâ utrâque hypothesi admissâ, quomodo hi religionis Christianae caussam tueantur, ipsi videant. Equidem, si utramque meam facerem, de Apologiâ veri nominis desperandum esse potius censerem.

Nolite tamen a me exspectare, A.! H.! ut utramque gravissimam quaestionem aggrediar. Quod si vellem vix possem, meum non esse persentiens, hac qualicunque meâ oratione

tantas, quae nunc omnium animos suspensos tenent, et per satis longum tempus suspensos tenebunt, dirimere lites. Quod si possem vix vellem, quoniam certamen de eo quid fieri possit, aut non possit, licet sagacissimas mentes exerceat, parum fructuosum mihi videtur [19]). Non tam hospes sum ac peregrinus in Theologicae disciplinae regno, ut iis, quae ab utrâque parte disputentur nil commovear, ut haud pauca in Theologicis obsoleta et antiquata esse praefracte negem, vel quemvis Historiae oppugnatorem (dummodo rem serio agat) sincerâ erga Deum pietate verique amore destitutum credam. Uti doleo et dolere pergam inter illos nonnullos esse, qui incogitanter et incaute Critices altioris, quae dicitur, dubia largissima ac plenissima manu per ineruditum vulgus spargere haud desinant; sic gaudeo inter eos alios esse, qui, quidquid Historiae derogent, tam magnifice de CHRISTO ejusque doctrinâ et indole loquantur, ut eos quoque, quos ad suas partes trahere student, summâ CHRISTI veneratione imbuere pergant [20]). Eorum tantummodo opinionem impugnare, et, quantum in me positum erit, refutare conabor, qui quam gravis hac lite res agatur, vix aut ne vix quidem penetrare vel saltem dissimulare videantur, dictitantium „perinde esse, prorsus nihil referre, utrum Euangelia Mythos ac fabulas, an res vere gestas continere statuas; utrum JESUM revera in vivum rediisse credas nec ne? Quâ libertate concessâ, permultum lucri Theologicae disciplinae accedere, contra vero nil damni ac detrimenti sive Christianorum fidei ac vitae, sive ipsi religioni, sive Ecclesiae esse extimescendum" [21]). Quod e meo quidem judicio haud sine magno germanae religionis Christianae indolis contemtu affirmari ac pronunciari potest. Hoc igitur sensu Historicam illam indolem a nonnullis hodie nimium spretam esse

questus sum. A quibus ita dissentio, ut e contrario haud sine gravissimo damno hanc indolem plane negligi ac contemni posse contendam. Quod ut probem, breviter ostendere annitar: Seposito religionis Christianae charactere atque indole Historica, 1°) multa incerta reddi placita, quae et ipsi certa habent aliisque pro certis commendant; 2°) beneficam religionis Christianae vim consolatricem et emendatricen valde imminui et labefactari; 3°) ipsi societati Christianae tandem inevitabilem praeparari ruinam. Haec tria paucis exponentem benevolis et aequis animis A. A.! me auscultare pergatis.

Equidem haud inficior A. A.! — ut hinc ordiar — nonnulla Euangeliis inesse, quae, nisi adessent, minime desiderarem. Qui inter Historicam Euangeliorum veritatem, universe spectatam, et singularum narrationum ἀξιοπιστίαν bene distinguendum esse monent, recte mihi monuisse videntur [22]). Alia aliis certiora videri possunt. Singula examini critico sunt subjicienda. Idem plane judicium de omnibus ac singulis narrationibus esse ferendum vehementer nego [23]). Insunt sine ullo dubio, quae, sive accipiantur, sive rejiciantur, minime fidem vel vitam religiosam tangant. Vel sic tamen et haec sine ullo damno rejici posse, affirmare vix ausim. Negari sane, respui, tanquam semimortua corporis membra abscindi possunt, ignorari vero, deleri non possunt; et — quod probe teneamus — quodcunque sic rejicitur non tantum adminiculum fidei esse desinit, sed obstaculum fieri potest, quominus credam. Quod cum mecum reputo, A.! A.! non satis mirari possum sagacissimos saepe viros, sine ullo scrupulo rejicientes et abscindentes, quodcunque ipsis displicet, haud videre, cetera quoque, quae adhuc servari

et vindicari velint, minus certa reddi et in suspicionem vocari [24]). Tales scilicet auctores, quales STRAUSSIUS et Tubingenses sibi cogitant, sive inscii sive conscii fuerint fraudis, quam mundo fecerint, testes parum fide digni sunt habendi, sive dicta sive facta JESU referant. Ipsi quaeso A. A.! periculum faciatis dicta JESU ab ejus factis, facta a miraculis, doctrinam ab ejus fatis discernendi et separandi [25]), et videbitis quam gracile ac tenue Euangelium vobis relinquatur. Intimo nexu JESU doctrinam et historiam jungi compertum habebitis. Quod tamen, cum nonnulli negare pergant, paulo uberius exponere et illustrare lubet.

Uniuscujusque CHRISTI sectatoris hoc maxime interest, ut probe sciat, qualem CHRISTUS se ipse praedicaverit. At quomodo hac de re nobis persuasum erit, nisi illa effata, quae primum hîc in censum veniunt, e JESU ipsius ore profecta esse, satis tuto credere liceat [26]). „Hoc tamen (id forte reponitis) non unus alterve locus, sed tota historia docet, JESUM se praedicasse CHRISTUM, Dei Filium- quo sensu? sanae, i. e. Grammatico-Historicae, Interpretationi definiendum relinquatur." — Recte quidem, sed ecce nobis occurrunt adversarii clamantes: „Nonne illud ipsum, quod JESUS sibi hoc indiderit nomen, gravissimi eum erroris convincit?" — Oculos nostros in crucem convertere jubent: „Tune CHRISTE!" (ita pergunt) moribundus lamentatus es te a Deo derelictum esse? Nonne Tu his verbis satis clare innuisti, te frustra sperasse fore ut populares te Messiam salutarent [27])? — Quibus dubiis quidquid respondeant alii, mihi longe optimum responsum in promtu esse videtur in JESU in vitam reditu. Hactenus GROTIO assentior „divinae justitiae ac sapientiae plane adversari tam excellenti modo illum ornare, qui falsum

in re tantâ commisisset." Et haud scio A. A.! an multi ex iis, qui hoc in ratiocinio saltum quendam vel lacunam nobis objicientes, argumentum inde petitum admittere nolunt, ita agant, haud adeo, quod argumentationem illam mancam et imperfectam esse sentiant, sed multo magis quoniam reditum e mortuis neque factum esse neque fieri posse, certo certius sibi persuaserint. — Ponamus vero JESUM non revera in vivos rediisse. Ita gravissimae quaestiones de JESU ipso, de ejus mortis consilio, de gloriosa ejus vitâ in coelis, de potestate a Patre ipsi demandatâ, dubium et anxium animum cruciant et sollicitant. Nisi JESUS in vivos redierit, cuncta teterrimae noctis caligine obteguntur, et horrendum istud supplicium, cui insontem illum traditum video, non amplius mihi divini est pignus amoris, at, si quid aliud, divinam Providentiam in dubium vocat — „Quid ita?" mihi objicitis. „Nonne JESUS, etiamsi haud visibili ratione se post mortem suis conspiciendum dederit [28]), in vitâ beatâ et immortali Deum remuneratorem habuit, vel habere potuit?" — Potuit sane; ut scilicet hoc sperare et credere fas est, de quovis probo pioque, cujus tamen sortis nescii sumus. Quid vero de potestate a Patre ipsi demandatâ statuam? Cur illum ad summum gloriae culmen evectum credam? Ob Apostolorum effata? qui firmissimam hanc suam persuasionem eidem evento (vano scilicet ac falso) superstruxerint, qui somniis ac visionibus decepti, cum de ejus morte, tum de ejus coelesti gloriâ pro modulo suo philosophati sint? — Sed iterum me interrogantes atque interrumpentes audio: „Adeone tu etiam omnia huc trahis? Itane tu etiam ipsam religionis Christianae veritatem, ab hoc facto, sive vero sive falso, pendere statuis?" — Fortasse, sic statuens, PAULUM Apostolum mihi assen-

tientem haberem [29]). Hîc vero respondeo. Multa saltem eaque gravia ac magna, resurrectione JESU rejectâ, incerta reddi contendo. — „Tune igitur oblitus es, quantopere externis interna argumenta praestent? Tune oblitus es longe melius et validius argumentum cum e doctrinae praestantiâ, tum imprimis e sanctissimâ JESU vitâ atque indole peti, quâ perfectissimum perfectissimae virtutis edidit exemplum, cui intima rationis et conscientiae nostrae vox non acclamare non possit?" — Respondere possem: nisi JESUS is fuerit, quem semet ipse praedicavit, ne perfectus quidem homo dicendus est. At nolo. Nimirum! et mihi hoc argumentum longe gravissimum est, unde exordium peto, ad quod cunctis perlustratis lubenter redeo; quod eo pluris facio, quoniam hoc ipsum, si quid aliud, pro veritate historica pugnare videtur; quoniam et mihi persuasissimum est, talem imaginem plane divinam vereque humanam minime fictitiam esse, ac vix aut ne vix quidem fingi potuisse [30]). Cum iis igitur, qui JESUM revera talem fuisse credunt, qualem informant Euangelistae, mihi nullum certamen est. Quomodo vero, qui hoc in dubium vocant, illud sustineant, ac de JESU ἀναμαρτήτῳ, vel perfectissimae virtutis exemplo, loqui pergant, vix intelligo, nisi magis vago quodam sensu religioso, quo inde a teneris erga CHRISTUM imbuti fuerint, quam rationibus ducti, ita loqui censeantur [31]). Quid? quod JESU ἀναμαρτησίαν, Synopticorum etiam fide Historicâ concessâ et admissâ, nuperrime gravissimis impugnatam fuisse criminationibus neminem vestrum fugit vel latet [32]). Jam vero quid pro certo amplecti aliisque commendare poterit, si quis JESU imaginem vel a Synopticis perperam propositam, vel a quarti Euangelii auctore adeo exornatam credat, ut hic magis simulacrum

quoddam, in primaeva Ecclesiâ natum, quam JESUM vere Historicum, nostris oculis depinxerit? Quocirca meam sententiam sic definio: Egregie falluntur, qui JESU Apostolorumque auctoritate sublatâ, Euangelistarumque fide historicâ negatâ JESU ἀναμαρτησίαν diutius vindicari posse opinantur. Seposito enim Historico religionis Christianae charactere, nimbus ille, qui hucusque coruscantibus suis radiis optimi Conservatoris effigiem cinxit et coronavit, brevi evanescat necesse est, uti, eheu! revera jam apud multos evanuit. — „Nonne tamen" — ita quaerunt — „vel his concessis, JESUS semper verae religionis auctor esset habendus? Cogita ejus de Deo Spiritu eodemque Patre amantissimo doctrinam, praecepta moralia, parabolas omni laudatione majores!" — Et procul absit! ut JESU meritorum detrectator videar! Summum vero, quod inde derivandum mihi videtur, huc redit: JESU doctrinam Deo esse dignissimam. Atque admodum vereor ne ii, qui hodie Historiam maxime contemnunt, hoc quoque in dubium vocent, veramque suam sententiam accuratius sic definiant: in JESU doctrina, licet magni vel etiam maximi sit aestimanda, falsa veris, vera falsis esse permixta [33]). Utut est: Historia rejectâ, sive utpote incerta, plane in medio relictâ, JESUS neque summa Dei patefactio, neque perfectissimum virtutis exemplum habendus est; ejusque doctrina, ad paucissima placita et praecepta revocata, ita construi poterit, ut JESU CHRISTI laudatissimum et sacratissimum nomen vix desideretur, vel ut nomen onerosum prorsus abundet [34]).

Vix ullum tam coecum vel obduratum Christiani nominis hostem mihi fingere possum, perfricata fronte qui neget hanc religionem, miseris et infirmis mortalibus succur-

rendo, ad innumeros animos consolandos et emendandos vim suam beneficentissimam exseruisse, atque hoc nomine de genere humano esse meritissimam. At videte A. A.! quantopere vis illa consolatrix et emendatrix, Historicâ ejus indole spretâ et vituperatâ, imminuatur et lafefactetur. Quid laetius vel aptius ad animum afflictum et moerentem consolandum et erigendum excogitari potest, spe illâ laetissimâ ac firmissimâ, quam PETRUS Apostolus ἐλπίδα ζῶσαν dixit, splendido JESU de morte triumpho veluti divino sigillo confirmatam et obsignatam [35]), quae nos omnium terrestrium aerumnarum, calamitatum, mundi ipsius ac mortis victores reddit, dummodo in JESU mortis victore omnem nostram spem fiduciamque reponamus? Quod non ita, quaeso, interpretemini, quasi ipsa immortalitas vel immortalitatis spes, e meâ sententiâ, e JESU resurrectione unice pendeat, ac nemini absque illa fide de altera vitâ persuasum esse posse, arbitrer. Quod si statuerem, experientiae contradicerem, ac TULLII, CATONIS, SOCRATIS et PLATONIS manes mihi irascerentur. Per omnia fere tempora generosiores animos pronos videmus ad spem illam veluti ambabus manibus arripiendam, fovendam, tenendam, vocique auscultandum, quae in intimo nostro pectore vitam post mortem praesagire videtur. Sed etiam alios et longe plures videmus, qui spe illa careant, vel spe ac metu, navis instar jactaetae et quassatae mediis in undis, fluctuentur. Nec tamen hos omnes, quotquot voci illi quippe fallaci vel dubiae auscultare recusent (unum e multis SCHLEIERMACHERUM cogito [36]) sapientum nomine indignos vel impios et irreligiosos dixerim. Quid Philosophorum veterum et recentiorum discordias et dubia? quid Physicarum disciplinarum effata? quid sinistros, quibus Materialismus se effert, progressus commemorem? Nonne

haec satis superque demonstrant, quam varie ac diverse magno cum argumentorum apparatu in utramque partem disputari possit [37])? — Longe aliud est sperare fore ut homo morti superstes sit, longe aliud ac majus, spe illâ certissima ac firmissima laetari, exsultare, quales tot Martyres, mediis in tormentis vel assurgentibus flammis, hymnos psallentes in Dei Christique honorem, quales tot pios Deo Christoque devotos animos, in lectulo mortis triumphum agentes, haud sine animi commotione et admiratione intuemur. Quod quam verum sit optime persentiscimus, morte eorum, qui nobis his in terris carissimi fuerunt, afflicti, acerbissima funera lugentes. — Quotiescunque tristissimorum illorum temporum recordatio mihi revertitur, toties in memoriam mihi redeunt haec BORGERI verba: „Quid eâ nocte mihi opitulati estis Philosophi? Quibus armis me defendistis? Quam doloris partem a meo pectore depulistis [38])?" Quod ne contumeliose de Philosophiâ a me dictum putetis A. A.! hoc unum asseverante, in consolandis afflictis, in sanandis ac mulciendis animi morbis et vulneribus, minime Philosophiae, sed religioni Christianae primas partes esse deferendas. Videant nunc ii, qui supremum de hisce judicium intimae pectoris voci, (sive rationem, sensum moralem, conscientiam, vel etiam testimonium Spiritus Sancti illam dixeris) tribui velint, utrum melius generis humani consolationi prospexerint et consuluerint? Videant ne, argumentum quod e JESU resurrectione peti solet, vel parvi vel nihili facientes, et sibi et aliis gravissimam jacturam pariant, quam frustra reparare et compensare conentur [39]). Equidem permultos — quidni dicam quam plurimos, non tantum inter rudes et ignaros homines, sed etiam inter eruditos viros esse intelligo, qui magnâ animi consolatione, firmissimo spei fundamento se

privari sentiant, si hanc de JESU in vivos revocato persuasionem animis suis evelli paterentur.

At forte ut me reprimam fas et aequum est, ne justo severiorem censorem vel judicem agam. Forsitan aliquis mihi objiciat: „Nonne inter hos ipsos, quos tu forte Historicae hujus indolis contemptorum ac vituperatorum nomine designares, haud pauci reperiuntur, qui beneficam certe illius vim et efficacitatem ad animos hominum emendandos plane tecum agnoscant? Nonne doctrinam JESU moralem, cuncta ad divinum amoris praeceptum revocantem, eo majoribus laudibus extollunt, quo Historiam, utpote incertam, minoris facere tibi videantur?" Nil habeo, quod opponam, multa vero desidero, ut religioni Christianae honos suus constet ac dignitas. Haec nimirum summa atque aeterna ejus laus, hoc sempiternum ejus decus est habendum, quod non tantum praeceptum illud amoris praescribit hominumque animis commendat; quod non tantum in vitâ CHRISTI perfectissimae virtutis exemplum intuendum et imitandum praebet; sed quod reapse hominum animos flagrantissimo erga Deum, CHRISTUM, proximos amore imbuit; quod hominem ipsum ad veram virtutem, novam mentem ac novam vitam informat et perducit. Quomodo illud efficiat quaeritis? Testor unicum et palmare factum, quod veluti cor ac meditullium totius Euangelii est habendum: „Deum, pro singulari atque infinito suo amore, unico Filio minime pepercisse, ut omnes, quoquot huic fidem habeant, teterrimae servitutis jugo liberentur vitaeque aeternae reddantur participes. Quod si creditur intimisque pectoris thesauris reconditur, nascitur amor, verae virtutis omniumque virtutum parens, qui a Deo Christoque incipiens, desinit in omnibus omnino hominibus eodem amoris sensu complectendis [40]). Quod si negatur

vel in dubium vocatur, quantum damni et detrimenti vis illa divina et efficax ad hominum animos emendandos capiat, verbis exprimi vix potest. Pulcherrima doctrinae Euangelicae, cum theoreticae tum practicae seu moralis, sic tollitur corona. Sed iterum audio monentes: „Quae modo laudasti nequaquam ab iis, quos refutare instituis, negari (dummodo cum grano salis, ut ajunt, accipiantur et explicentur) tu probe teneas! Quid, quod et hi ultro concedant vitae vere vitalis novum veluti principium, CHRISTO ejusque Spiritu auctore, mundo esse inditum, ita ut hoc nomine Historicae religionis Christianae indolis magis vindices, quam contemtores dici mereantur [41])." — Audio et gaudeo. Libenter vero ex iis quaesierim: Quid tandem ex ipsorum sententiâ de palmari illo facto, quod cor et meditullium Euangelii nuncupavi, de hominis redemtione, de CHRISTI morte voluntariâ, et insigni, quem eâ subeundâ prodiderit, amore historice constet? Quo tandem sensu Deus mundum sibi conciliasse dici potest? Et, quod mihi hac in quaestione summum videtur: Qua tandem viâ ac ratione CHRISTUS principium illud vere vitale mundo indiderit et infundere pergat? Quonam vehiculo, quo factore (sit venia verbis) Spiritus ejus usus sit, ut CHRISTI sectatores virtutis veri nominis capaces, aeternae vitae consortes reddat ac participes? Et, si quid video, A. A.! responsio hîc in promtu est: Eâdem illa fide in CHRISTO Historico, hominum Redemtore, mortis Victore, regni coelestis Rege ac gubernatore, vitae aeternae largissimo largitore, repositâ. Caveant igitur ac videant ne, religionis Christianae Historicâ indole negligendâ et contemnendâ, idem illud principium vitale suffocent et exstinguant, cui mundum ipsum saluberrimam conversionem debere, haud inviti fatentur [42]). Pro Deum immortalem!

Perinde esset! nil afferret detrimenti! Eodem fere rediret: Utrum JESU CHRISTI Historiam acciperes an rejiceres? Arbitri ac judices estote vos omnes, A. A.! Nonne, si ad religionis Christianae vim consolatricem et emendatricem attenditis, haud sine gravissimo damno historicam ejus indolem contemni ac vituperari jure meo affirmo?

Ex iis, quae adhuc disputavi, jam quodammodo judicare licet, A. A.! num illi audiendi sint, qui ex oppositâ, quam impugno, sententiâ nil damni, at multum lucri non tantum scientiae, quam omnibus vinculis liberari velint [43]), sed ipsi quoque *Ecclesiae* parari et accedere et sibi et aliis persuadere student. Quibus adeo non assentior, ut potius arbitrer: Historicâ basi relictâ vel dirutâ Societati Christianae lentam et inevitabilem praeparari ruinam. Nec tamen dixerim secus sentientes ac statuentes Ecclesiae salutem nil curare. Lubenter credo et concedo eos maxime id agere ut religionem Christianam eo melius excultis etiam et litteratis hominibus commendent [44]); sed quin mirifice fallantur vix dubito. Nonne enim vident se nova veluti arma religionis nostrae adversariis suppeditare? Nonne sentiunt, quanto difficilius reddatur hominibus persuadere, ut in religione, quae ex ipsorum sententia tot mythis fabulisve est repleta, summam veritatem, summam agendi vivendique normam quaerere pergant? Etsi ipsis contingat nonnullos hacce viâ ad CHRISTI castra perducere vel revocare, longe plurium mentibus dubitationes injiciunt, quae animis infixae haerent, ut letali vulneri inhaeret arundo. Eat nunc Orator sacer, Euangelicarum narrationum simplicitatem, pulcritudinem veritatem etiam, aesthetico scilicet sensu, ad coelum extollat [45]), at simul significet narrationes illas minime

Historiam veri nominis continere, sed tanquam carminis Epici fragmenta considerandas esse et tractandas [46]). Putatisne fore ut multum prosit ac proficiat? — Credat Judaeus Apella! Non sic decipitur, non sic eludi se patitur veri sensus et amor. Frustra Platonismus et Neoplatonismus allegoricam et moralem interpretationem in auxilium vocavit. Prohibere non potuit quominus Polytheismus, senectute confectus, instanti morti succumberet. Nec alia sors (quod Deus avertat!) religionem Christianam maneret, simul ac mens humana revera sibi persuaderet, Historiam Euangelicam, quamvis aliis mythologiis indole suâ vere religiosâ ac morali longe praecellentem, Mythologiis tamen esse accensendam. Omnia religionis systemata, quae meris Ideis non factis nituntur, citius serius intereunt [47]). Qualiscunque religio, quae societatis formam assumsit, Historicâ suâ basi carere nequit. Utrumque docet experientia, verae scientiae ac sapientiae magistra. Testor et advoco omnem Historiam! Testor iterum eundem Neoplatonismum, Polytheismi morti haud diu superstitem [48]). Testor e contrario Islamismum, qui, moderante divinâ Providentiâ, in educando genere humano suas etiam egit et agere pergit partes. Nonne una e praecipuis caussis, cur huic religioni, contra omnium spem et exspectationem, tam longaeva contigerit aetas, in Historicâ ejus indole quaerenda vobis videtur? Testor Rationalismum tristissimamque, sub finem praecedentis saeculi, religionis in Germaniâ conditionem, Historicam illam indolem haud impune contemni et negligi posse, altâ veluti voce clamantem! Testor magnam rerum politicarum in Franco-Galliâ conversionem, quâ eo dementiae hominum superbiam vel levitatem pervenisse legimus, ut spoliatis templis, destructis aris, Numen supremum sede suâ quasi descendere juberent,

mox vero interfectum scilicet et exstinctum Deum suum decretis suis in vitam revocarent. Testor Theophilantropinorum, qui dicuntur, irritos conatus religioni Christianae aliam religionem sufficiendi, cuncta ad paucissima rationis placita et praecepta revocantem, quae, magna cum rituum pompa annunciata et celebrata, brevi uti infans in incunabulis occubuit [49]). Revocate denique vobis in memoriam quae, de religione Christianâ, maxime Historicae narrationis ope introductâ et propagatâ, me dicere meministis. Quod ipsi, Historiam consulentes, tam verum esse comperietis, ut alterutrum statuendum sit: vel Historiam Ecclesiae conditae ac propagatae Euangelicae Historiae optimam esse patronam et vindicem, uti statuit ULLMANNUS [50]), vel religionem Christianam maxime errori debuisse splendidam, quam reportavit, victoriam [51]). Utrumvis vero eligendum statuatis, haec sana hujus disquisitionis conclusio erit: Historicâ suâ indole sibi devicit mundum Religio Christiana. Nonne igitur (etiamsi Historia Euangelica externa tantum forma atque idearum aeternarum tanquam symbola et involucra esset habenda [52]) nonne, inquam, ex his omnibus tuto concludere licet, divinam Sapientiam optimam, quâ mortales donare ac beare voluit, religionem formâ illâ induisse, quae optime intimis pectoris humani desideriis ac votis satisfaceret? Quod itaque divina Sapientia gravissimis de caussis tam arcte conjungi voluit, id ne leviter et incaute dissolvere et separare sustineat humana audacia, Societati Christianae praeparans lentam et inevitabilem ruinam [53]).

Cuncta paucissimis complectar. Quodsi forte nimium Historicis argumentis tribuit antiquior aetas, nunc admodum vereor, ne tempus, quod vivimus, irruenti Scep-

ticismo nimis faciles praebens aures, Historiam, utpote incertam atque ad ἀδιάφορα referendam, parum curet, germanamque, i. e. Historicam, religionis Christianae indolem magis magisque contemnat et negligat; quod, haud sine gravissimo damno religionis Christianae Apologiae, hominum consolationi et emendationi, ipsi Ecclesiae illato, fieri posse, nunc effecisse mihi videor. Nimirum, quidquid vindicandum vel rejiciendum statuant Theologi, hoc velim probe teneant, in Theologicâ disciplinâ, aeque in Dogmaticis et Ethicis ac in Apologeticis, satis firmam basin Historicam neutiquam posse desiderari. Quod cum bene perspexerint Theologi Tubingenses, id egerunt, ut novo a se exstruendo aedificio ex ipsius Historiae ruderibus novam quamdam sibi basin eruerent.

Quod reliquum est, A. A.! Praeteriere isti dies, quorum horret meminisse, quorum recordatio utinam aeternâ oblivionis prematur nocte, quibus haeretici, qui dicebantur, infensissimis Christiani nominis hostibus statim aequiparabantur, excommunicationis anathemate, vel etiam gravioribus poenis feriendi. Neque is ego sum, qui vel ullum Theologum, quamdiu ipse communionis vinculum rumpere non cupiat, Christianorum communione prorsus indignum censeam. Liberae Historiae disquisitioni; libero veritatis examini nullum injiciatur frenum! Scientiae veri nominis, haud audaci et superbae, sed modestae illi ac sanae, Deoque ipsi, supremo veritatis Statori, Tutori ac Vindici, hujus certaminis exitus relinquatur! Veritas (hoc omnium consensu fas est dicere) Deo moderante et auspice in hoc quoque certamine victrix manebit; quamquam, ut dicam quod sentio, si res ita se haberet, ut nonnulli somniant; si nunc demum primi quasi radii lucis, prima nascentis diei crepuscula

allucescerent, Deus hucusque tam male veritatis caussae consuluisset, ut vix scirem, cur nunc demum laetiora et meliora sperare et exspectare liceret. Veritas tamen (haec et mea est firmissima persuasio), Deo moderatore et auspice, victrix manebit. Utinam omnes Theologi, veritatis amori Dei amorem conjungentes, hoc in votis ac precibus habeant ardentissimis: „*Fac me tecum unum, Deus, aeterna Veritas* [54])!" Et Tu, Sol justitiae! disperge nebulas et praesta Te numquam occasurum lumen mundi!

Quod veteri consuetudine receptum regioque decreto sancitum est, ut Rector, antequam magistratum suum successori tradat, Academiae fata commemoret, id et mihi solenni hoc die injunctum video. Nec sane dicendi deëst materies. Mira quâdam rerum vicissitudine tot adversa et prospera, tam laeta et tristia, me Rectore, exhilararunt vel depresserunt animum, ut eorum narratio, nisi satis prolixa praecessisset oratio, facile totum dicendi tempus consumsisset. Nunc vero in iis commemorandis ita versabor, ut bene multa obiter tangam, quae lubenter uberius exposuissem, et a tristibus et adversis exordium petam, quibus prospera ac laetiora succedant. Quod utrumque nec vobis, A. H.! injucundum fore duxi.

Quam tristis ac lugubris, hoc anno ineunte, Dies natalis fuerit, nobis omnibus recenti servatur memoria. Gravibus adhuc saucia vulneribus Academia Rhenotrajectina, dolebat ac lugebat inopinatam mortem desideratissimi viri JACOBI VAN HALL, cujus sepulcrum vix clausum erat; cujus imaginem Tu, aestumatisse HARTING! veris ac vividis coloribus nobis depinxisti; cujus effigiem, serenum illum hilaremque vultum, in senaculo intueri nostris animis, optimum humanissimumque virum etiamnunc lugentibus, dulci est solatio. Nec votis ac precibus nostris, ut hic, qui nunc praeteriit, annus sine ullâ clade esset, unicus et summus rerum humanarum Moderator annuit. Eodem mense

Junii nobis morte erepti sunt duumviri clarissimi GROENEWOUD et BERGSMA, quorum memoriam debitis laudibus celebrare, uti lex jubet, ita pium est officium, cui deësse vel me subtrahere nolim.

JACOBUS CORNELIUS SWIJGHUISEN GROENEWOUD, natione Frisius [1]), primam suam institutionem in Zeelandiâ, Zierizeae accepit; qua in urbe pater, cui multa debuit filius, Sacrorum Antistitis munere per aliquot annos functus est. Puerum se magis ludum et jocos, quam litteras amasse, ipse provectâ aetate, illâ quâ erat, animi sinceritate, candore, modestia, narrare solebat. Postquam vero cum parentibus in hanc urbem profectus civibusque nostrae Academiae Theologiae caussa adscriptus erat, penitus sentire coepit, quid sibi deësset, ac pleno pectore in studia, maxime in Semiticas linguas, incubuit adeoque profecit, ut, nemini secundus, optimis RAVII discipulis annumeraretur; hoc autem rude donato, linguas Orientales docendi provinciam in se susciperet, donec vacanti cathedrae prospectum foret. Jam tunc forsitan in cathedram evocatus fuisset, nisi obstitisset admodum juvenilis aetas. PARAVIO vero Professore renunciato, GROENEWOUD in commilitonum, quorum jam Praeceptor exstiterat, ordinem redire minime dedignatus est. Studio Academico feliciter decurso, patris vestigiis insistens, per quatuor annos, fidissimum coetus ruralis Pastorem se praestitit [2]). Tunc vero illi, Litterarum Orientalium Professori in Athenaeo Franequerano creato, tam felici esse contigit, ut in illâ disciplinarum provinciâ, quae ipsi semper in deliciis fuerat, totus esse posset ac versari; quo gravissimo munere, posthac in nostram Academiam vocatus, et hîc per quinque fere lustra functus est. Ante hos quinque annos rude donatus, venerabilis senex cum dilectissimâ conjuge

ab hoc inde tempore, dulci fruebatur otio, donec morbo lento tabescens et confectus, anno praecedénte fere dimidiato, placide ac tranquille Deo animum redderet. Praeter orationes [3]) publice dictas [4]) et compendia, quae, in Academicarum suarum lectionum usum, conscripsit et edidit, GROENEWOUDIUS, fere nihil, quod admodum dolemus, scripto reliquit, vel saltem publici juris fecit. Si forte quis quaerit, cur vir doctus in edendo tam parcus ac sobrius fuerit; singularis et haud fucata, quae illi inerat, modestia haud dubie praécipua caussa est existimanda, quae, licet praeclara sit virtus, hîc tamen scientiae veri nominis Litterarumque studiis magis nocuit, quam profuit. Quam divites eruditionis thesauros mente habuerit reconditos, optime omnes norunt, quotquot jam pridem ejus institutione et familiaritate usi sunt. Quanti illum fecerint discipuli amantissimi instar omnium testis nobis est noster DE GEER, qui digno encomio Magistro suo dilectissimo parentavit [5]). Quanti illum fecerint Collegae conjunctissimi, fidus omnium interpres, ad defuncti sepulcrum ROVERSIUS noster elocutus est. Recte omnino, ut opinor, hic animadverti jussit, intimam, quam GROENEWOUDIUS cum V^is^ F^is^ argumento contraxerat familiaritatem, etiam in ipsius vitâ, moribus, indole, conspicuam fuisse, ac pietatem, quâ vir optimus claruit, talem redoluisse pietatem, qualem in V^is^ F^is^ eximiis exemplis suspicere, venerari, admirari solemus. Quod tamen ita nolite interpretari, quasi GROENEWOUDIO virtus ac fides Euangelica defuerint, quas vita ejus et mors, patientia et tranquillitas dirissimis etiam in calamitatibus, alta veluti voce testatae sunt. Omnium vestrum consensu in virum illum perquam venerabilem, cujus memoria haud facile in oblivionem abibit, tanquam eloquentissimum

testimonium, hoc N^{i} F^{is} effatum optime quadrat: „*ὅτι ἦν ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ πλήρης πνεύματος ἁγίου καὶ πίστεως* [6]).

Ad GROENEWOUDII, integerrimi parentum amici, exsequias cohonestandas filii etiam laborantis atque aegrotantis BERGSMA aderant, plane nescii se post paucorum dierum intervallum redituros esse, ut paterno quoque funeri justa solverent.

CORNELIUS ADRIANUS BERGSMA, Leovardiâ-Frisius, sub finem praecedentis [7]) saeculi natus, adolescentulus adhuc parentibus orbatus est, studiaque sua, quae Franequerae inchoaverat, in hac nostra Academiâ absolvit. Inde a pueris fere Physicarum disciplinarum, maxime vero Chemiae ac Botanices, amore imbutus erat; in quibus tam felices optimae spei juvenis fecit progressus, ut iteratis vicibus, proposito certamine litterario, in arenam descenderet, ac ter, laureâ coronatus [8]), victor discederet. Medicinae doctor creatus [9]) Hornae in Hollandia Septentrionali domicilium collocavit, mox vero Academiâ Gandavensi Professoris extraordinarii titulum ac munus offerente, sedem mutavit, cumque familia in Belgium migravit. Hîc lectiones de Chemia cum Technica conjuncta, coram Academiae civibus atque exteris, multorum applausu acceptas, habuit. Ipsa quoque Academia Gandavensis nostratis merita de industriâ populari tanti aestimavit, ut illum Matheseos et Philosophiae naturalis Doctorem honoris caussa renunciaret. Turbis autem politicis, quae Schisma Belgium inter ac Neêrlandiam peperere, exortis, in patriam redire coactus, et Facultati Matheseos ac Physices in nostrâ Academiâ adjunctus est. Nullâ autem vacante cathedrâ, nulla quoque institutionis Academicae provincia illi demandari potuit. Nec tamen per illud vitae stadium otiosum, sed utiliter negotiosum se

praestitit; uti quam maxime institutum illud beneficum testatur, quo hiemali tempore nutrimentum jucundum ac salubre egenis porrigendum ac distribuendum curavit; cujus uti auctor exstiterat, ita ad vitae usque terminum patronus ac fautor permansit. Post trium annorum spatium, KOPSIO rude donato suffectus, regioque decreto tandem Botanices et Oeconomiae ruralis Professor ordinarius renunciatus est. — BERGSMA vir erat practici ingenii, ante omnia id agens ut egregios ac plane mirificos progressus, quos Chemices ac Technices scientia hac nostrâ aetate suo jure jactat, in agriculturae ac Technices ruralis converteret usum [10]). Neque unquam, postquam Horti Botanici curam in se susceperat, ipsum consulentibus defuit; ita ut difficile sit dictu, quantopere hoc nomine, nostrae urbi, regioni, patriae profuerit. At, licet aliis quoque disciplinis et artibus operam navaret, Hortus tamen Botanicus, ad extremum usque vitae diem, summopere illi in deliciis curaeque cordique fuit. BERGSMA vegeto ac satis robusto corpore praeditus, per omnem fere vitam infractâ inconcussâque valetudine gavisus erat; ita quidem ut, si de ullo mortalium tale quid sperare liceret, de illo probabile visum fuisset, fore ut provectiorem senectutem attingeret. Sed aliter voluit ac decrevit Divina voluntas. Lento, at ingravescenti morbo succumbens, conjugi, liberis multisque aliis flebilis ille occidit. Etsi autem mirâ quâdam constantiâ ac singulari, quae illi inerat, voluntatis ἐνεργείᾳ, quamdiu potuit, ne academicis suis lectionibus ac quotidianis laboribus deesset, huic morbo restitit, sic quoque eâdem perseverantiâ, quae in votis habebet, simulatque illa bona et utilia fore intellexisset, persequi solebat, ac nullis obstaculis a consilio semel capto avocari se passus est. Quod si nonnullos ei inimicos reddidit, longe plures

eosque magni illum aestimantes amicos habuit. Et quam sincerus amicus amicis, quam egregius pater familias fuerit, non tantum filii, optimum patrem lugentes, paternae educationis illustria monumenta, sed omnes, qui eum norunt, grato animo piaque recordatione in ejus laudem testantur.

Quamquam maximas Deo ejusque curae tutelari reddere gratias nos oportet, quod infestissima lues, quae hucusque omnes humanae scientiae atque artis conatus irritos reddidit, patriam urbemque nostram invadens, tot carissima juvenum capita intacta reliquit; binos tamen bonae spei juvenes GISBERTUM VAN RYSWYK et GUILIELMUM CAROLUM WANSLEVEN, quos minime fulminis veluti ictus subito feriit, sed lentissima tabes, vitae florem arrodens, consumsit, praematura morte (ut nos homunciones loqui solemus) parentibus, cognatis, commilitonibus hoc anno ereptos dolemus. Qui, theologicis studiis destinati, vix stadium Academicum ingressi, mox languescentes in paternam domum reversi sunt, ibique supremum obierunt diem, pietatis, virtutis, amoris, amicitiae memoriam magnumque sui desiderium in parentum et amicorum animis relinquentes. Audivistis illam, mortalitatis vos admonentem, vocem, Juvenes lectissimi! haud e longinquo, sed e viciniâ loquentem et hortantem: Vigiles et alacres estote! Nullum vobis diem sine lucro praetervolare sinite! Et quidquid, ô boni! in primo vel medio adolescentiae flore agatis, sic agatis, ut et hunc respiciatis exitum et finem! — Et nonne nos etiam, Collegae aestumatissimi! tantum non omnes, in nostris vel nostrorum domesticis rebus fallaces hominum spes, hujus mundi ac terrestrium rerum fragilitatem, hoc anno experti sumus? — Tu, cl. BOUMANNE spe dulcissimâ excidisti, et Tibi et Uxori luctus et dolor filiae vestrae luctui et dolori fuit. Tu cl. VINKE fidissimam per tot annos

vitae sociam, carissimam conjugem, optimam liberorum matrem, luxisti, et, quamquam spe vere Christiana erectus ac sustentatus, ad rogum usque lugere perges! Tu cl. MILLIES! plurimum venerandam tuique amantissimam matrem, quam tantopere venerabaris, ut egregrium aliis pietatis exemplum praeberes, frustra quaeris. Vobis, clarissimi OPZOOMER et DONDERS! dilectissima soror morte ademta est! Tu, clarissime DOEDES! vix huc vocatus eras vel sedem inter nos collocaveras, quum iteratae clades Tibi tuisque cognatis infligerentur. Ipse carissimo mihique conjunctissimo fratre orbatus sum. — Lugemus nostros defunctos nec tamen vos, o piae et carae animae! votis ac precibus nostris in has terras revocamus! Vos appulistis in portum, quo nos, procellosi maris fluctibus jactati, adhuc tendimus. Vos ad nos non redituri estis, sed nobis ocius, serius, vobis obviam eundi et expansis veluti alis ad vos evolandi gratiam concedat Deus!

Tristibus et adversis, quae commemoravimus, fatis prospera et laetiora succedant. Numerus eorum, qui civium Academicorem albo nomina inscribi voluerunt, praecedentis anni numerum satis longe excessit. Nullus armorum strepitus, qui Italiae devastatos personavit agros, hîc almas silere jussit Musas. Palam ac publice enunciare juvat, uti Patriae, sic quoque huic nostrae Academiae satis laetam ac tranquillam obtigisse sortem, ac tam prosperam et florentem hujus Disiplinarum sedis conditionem fuisse, ut Rectoris munus, fausto Numine gestum, laeto et grato erga Deum animo deponam. Quod laudantes ac praedicantes, cum Regis augustissimi, qui bonis artibus et

disciplinis et huic quoque Academiae patrocinari ac favere pergit, tum illustrium Curatorum erga varias, quae hîc traduntur, disciplinas providam curam non laudare et celebrare non possumus.

Uti praeteritus annus dies suos funebres habuit, sic longe plures etiam habuit dies laetos et festos; ac vix credo nostrae Academiae Annales alterum offerre exemplum triumvirorum amplissimo Curatorum collegio, quinque Professorum, intra unius anni spatium, nostro adjunctorum ordini. Quod quum dico, A. A.! haud immemor sum virum nobilissimum, Equitem A RAPPARD, jam ante hunc inchoatum annum, EWIJCKII, gravissimi ac desideratissimi viri, successorem, regis placito, fuisse designatum; sed et hîc meminisse juvat virum illustrissimum ipso die natali primum, in amplissimo Academiae Senatu, honorificum sibi destinatum occupavisse locum. Uti autem doluimus nobilissimum A GOLSTEIN, Administrum Regis renunciatum, a Curatoris munere esse avocatum; sic magnopere laetamur Te, nobilissime ROËLL, qui in hac regione Regis vices agis, atque indelebili Litterarum amore Te dignum et germanum LENNEPII discipulum probas, GOLSTENII quoque vices suscepisse. Faxit Deus ut diu huic regioni praeesse et hujus Academiae moderamini prodesse pergas! [1]) Hoc et Tibi dictum esse velim, amplissime DE BEAUFORT! cui itidem decreto regio Curatoris munus delatum esse ex animo gaudemus. Quotquot hujus urbis cives, aetate provectiores, hîc adsunt, grato animo recordantur, quanta nostra Academia genti tuae, patri, viro gravissimo ac meritissimo, debeat; ac Tibi filio, tali patre dignissimo, nil sanctius, nil antiquius fore, quam patris semper exemplum intueri et imitari, e tuo ipsius ore accepimus. Quod vere et sincere a te dictum esse, hoc primo tui magistratus anno, monitis consiliisque tuis

ut discidium, nunc fere consopitum ac moribundum, inter hujus Academiae alumnos prorsus tolleres, egregie comprobasti! Tu, vir gravissime! Patris famam, tui nominis, hujus Academiae gloriam, adaugeas et, quantum rerum terrestrium fragilitas et vacillatio sinat, in re quoque domesticâ, dulcissimâ cum conjuge haud interruptâ felicitate fruaris! Vos omnes, Viri amplissimi, praesentes, absentem, Deus diu conservet salvos et incolumes! Academiae nostrae salus vobis ita curae cordique esse pergat, ut, in vario disciplinarum genere, litterae, artes, studia, vestro quoque moderamine, vigeant et floreant, atque uberrimi inde fructus in patriam nostram et societatem Christianam redundent. — Dubium videri possit, utrum Tibi an nobis tantum nostraeque Academiae gratulandum sit, Vir consultissime AB HOYTEMA! quod ex illustri Curatorum collegio exiisti, ut iis, qui Te socium et collegam salutaverant, dehinc ab esses ab actis. Quod si nonnulli mirati sunt, equidem haud parvo Tibi duco honori, quod, magis ad fruges operis, quam ad honoris titulum attendens, aliis prodesse, quam praesse maluisti. Et recte, ut opinor, locum quem nunc occupasti, tanti facis et aestimas, ut munere operoso magis ornari, quam onerari tibi videaris. Quae cum ita sint, nequaquam est verendum ne Te relictae et commutatae sedis poeniteat. Sed speramus et confidimus fore ut eadem approbatio atque existimatio, quâ decessor tuus gavisus est, ad metam et rogum usque Te maneant, tibique maximae sint remunerationi.

Hoc anno rude donatus est Theologorum ordinis Nestor, cl. BOUMANNUS, qui licet jam mense Februario septuagesimum aetatis compleverat annum, pro juvenili, qui senescenti inest, vigore atque ardore in tradendis suis lectionibus ad metam usque stadii Academici pergendum esse

duxit. Et nunc et antea, quum vacante cathedrâ litteras Arabicas docendas ultro in se susceperat, munere oblato gratum erga Praeceptorem meritissimum animum testificati sunt discipuli. Et sane ingrati sint necesse est, qui agnoscere recusent, quot quantaque haec Academia ipsaque Ecclesia Tibi debeat, Collega aestumatisse! qui, per septem et quod excurrit lustra, studiis studiosorumque juvenum commodis totum Te dedisti ac dicasti. Quid, quod, infirmo valde corpore et gravibus persaepe cruciatus doloribus, officiis tuis nunquam defuisti, sed ita stadium nunc decursum emensus es, ut nobis junioribus pulcherrimum indefessi, qui omnia vincit, laboris exemplum relinquas. Doctrinae tuae ubertatem et eximiam litterarum notitiam mirari haud desinent, quotquot intimam cum tuis scriptis familiaritatem contraxerint. Et, quidquid de sermonis vernaculi usu sentiat posterior aetas, has Tibi haud denegabit sed tribuet laudes, Te Latini sermonis caussam ac patrocinium agentem, ex intima animi persuasione per omnem tuam vitam litterarum humaniorum dignitatem et honorem contra earum detrectatores ac vituperatores tam strenue propugnasse, ut hac tuâ perseverantiâ Romani militis imaginem nobis referres, qui mavult in clypeo mori, quam ex acie retrogredi. Quam singulari benevolentiâ et amicitiâ me prosecutus sis, et ad hunc usque diem me prosequi pergas, verbis eloqui vix possum. Quam optatum nobis, et VINKIO et mihi, fuisset, si minus provecta aetas diutius dulci et pacifico nostro consortio praeësse Tibi concessisset, dicere vix opus est. Vel sic tamen honorificentissimum, quo nunc frueris, otium ex animo Tibi gratulamur, placidam aerumnisque vacuam senectutem Tibi apprecantes. Reliquos, qui Tibi supersint, dies Tibi non otiosos, sed negotiosos et fructuosos fore, omnes, qui Te norunt, facile

praesagiunt. Hoc unum Te rogatum volumus, ut ditissimos, quos recondidisti, doctrinae thesauros magis etiam aliis recludas, ut, in tanto temporum nostrorum discrimine, verae scientiae ac sapientiae praecepta cum aequalibus communicare pergas, in magnum Theologicae disciplinae, Ecclesiae et hujus Academicae, quae Tibi semper cara erit, juventutis lucrum et emolumentum.

Ante aestivas ferias haec aula continuum per triduum nos convocavit. Tres doctores lectissimi, solenni habitâ oratione sibi regio decreto delatam Professionem auspicati sunt [12]). Primus Theologiae fuit Professor, JACOBUS ISAÄCUS DOEDES, BOUMANNO nostro successor datus, hujus Academiae quondam alumnus, qui juvenis adhuc, egregio suo ad quaestionem a Teyleriana societate propositam [13]) responso, probaverat, quanti Criticen illam aestimaret, quam et nunc futuris Theologis commendatissimam esse voluit. Ab illo inde die, clarissime DOEDES! in Theologorum ordinem Te receptum laetamur. Nimirum, uti clarissimi BOUMANNUS et VINKE Te praestantissimum olim discipulum, exoptatum sibi nunc socium et collegam cum gaudio salutarunt; sic et mihi talem Te comprobasti collegam et socium, qualem mihi optare poteram; et magna me tenet spes fore ut veri nominis amicitiâ, DEI, CHRISTI verique amor in dies magis et arctius nos jungat junctosque nos teneat, neque unquam sententiarum in Theoligicis diversitate, singulorum ex conscientia existente, hoc amicitiae vinculum dissolvi patiamur. In his Te mihi assentiri certissime scio, Historicam religionis Christianae indolem, ab hodierno etiam Theologo minime spernendam, a futuris Euangelii ministris magni esse faciendam. Hac igitur persuasione generosa juvenum, qui nos audiunt, imbuamus pectora, et licet vulneratae ac dilaceratae Ec-

clesiae medelam afferre et nostras et omnes humanas vires superet, id ante omnia agendum nobis censeamus, ut germanos Euangelii praecones informemus DEI, CHRISTI, virtutis, veritatis amantissimos.

Theologiae Professorem postridie Litterarum Neêrlandicarum ac patriae Historiae Professor designatus excepit, GUILIELMUS GERARDUS BRILL, qui de disciplinis, quas hîc traditurus est, bene jam meritus, optime commonstraverat, quam idoneus esset habendus, ut defuncti VISSCHERI provinciam susciperet. Hunc denique subsecutus est Astronomiae Professor extraordinarius, MARTINUS HOEK, e celeberrimi KAISERI schola profectus, dignus tanto magìstro discipulus, cathedram in magnum nostrum gaudium occupans, quam, post OUDEMANSII in Indiam Orientalem migrationem, vacare dolebamus. Quibus post ferias accesserunt vir consultissimus JACOBUS ANTONIUS FRUIN, Jurisprudentiae Professor HALLIIque successor designatus, qui, aeque ac viri modo laudati, quondam Leidensem Academiam ornaverat, et inter juniores Juris nostra in patria cultores justam existimationem sibi conciliaverat; et clarissimus FREDERICUS ANTONIUS GUILIELMUS MIQUEL, in locum nostri BERGSMA substitutus, per multos annos Athenaei Illustris Amstelodamensis ornamentum ac decus; quae schola, illo huc migrante, tantam jacturam fecit, quantum nos nostramque Academiam lucrum fecisse laetamur [14]). — Salvete Viri clarissimi! quos de hoc quoque suggestu, Professores Rheno-Trajectinos compellare et salutare mihi perquam jucundum est officium. Haud facile in oblivionem nobis abibit dies duodecimus mensis Octobris, quo in epulum vestrum officiose a vobis invitati, quodcunque bonum felix faustumque est, vobis apprecati sumus. Sed nunc de munere, faustis auspiciis inchoato, ac

per aliquot menses feliciter gesto, et vobis et Academiae nostrae gratulari; ac majore etiam jure magna quaevis ac prospera in posterum de vobis vestrâque Professione sperare et exspectare licet; quam spem et exspectationem haud irritam fore confido. Vobis autem, Viri clarissimi! ita parcat ac faveat vestrisque laboribus ac studiis obsecundet Divina Providentia, ut dies ille festus ac laetus, quo vobis, Praeceptoribus suis ac ducibus, magno cum applausu acclamarunt hujus Academiae alumni, in perpetuum memorabilis reddatur ac sanctus!

Jam exeunte mense Julio, clarissimo SUERMANNO, Senatus nostri Nestori, singularis contigerat felicitas quinquagesimum, postquam Medicinae Doctor creatus erat, diem anniversarium celebrandi. Nec defuerant tunc Curatores, Senatores, aliorum collegiorum socii et amici, Medico experientissimo, celeberrimo congratulantes. Quod majus est, Rex ipse, eximia SUERMANNI merita agnoscens, meritissimum senem Ordinis, qui a quercea corona dicitur, Decurionis insignibus condecorandum curavit. Sed solennior ac laetior etiam appropinquabat dies, nonus mensis Octobris, nostram in memoriam revocans SUERMANNUM, ante decem lustra, Medicinae professionem in Academia Gelro-Harderovicensi auspicatum esse [15]). Cujus festi ut perennis conservaretur memoria, numisma aureum cudendum decrevit Senatus, signatum SUERMANNI effigie, quae his circumscriberetur verbis: *Laborantibus praesidium, consulentibus lumen* [16]). Festo igitur die Rector, Graphiarius et Assessores, a Senatu delegati, collegam conjunctissimum, patris instar colendum, salutandi eique congratulandi caussa adierunt, ac simul hujus decreti documentum, omnium nominibus sancitum, obtulerunt [17]). Meministis, Viri illustrissimi et clarissimi! venerabilem senem postridie, horâ

vespertinâ suis in aedibus, coram magnâ eruditorum virorum corona, submissâ quidem, at clarâ et distinctâ voce, fata sua enarrantem, GEUNSII Praeceptoris sui ac Mentoris merita et monita piâ memoriâ celebrantem; quomodo tot tantaque per longam annorum seriem peragere potuisset explicantem; quid animum, acerbissimis cladibus afflictum, erexisset indicantem, atque in omnibus sapientem ac benignam Divinae Providentiae gubernationem veluti digito demonstrantem. Quae narratio, eâ simplicitate et concinnitate conspicua, quam in SUERMANNI scriptis ac verbis non mirari non possumus, uti animos nostros intentos tenuit, sic apud nos omnes desiderium excitavit legendi ac relegendi, quae summâ cum voluptate audivimus. His nostris votis ac precibus benignas praebeas aures, Vir gravissime! cui hoc quoque de loco celebratum festum collatosque in Te a Rege honores posse congratulari, quem salvum adhuc ac praesentem hîc intueri, eo majori nostros animos perfundit laetitiâ, quo gravius periculum, brevi post festum illum diem, valetudini tuae imminere videbatur. Tu, perquam venerande Senex! aegrotantibus praesidium, consulentibus lumen, afflictis solatium, ita esse pergas, ut simul, per placidos et tranquillos, quos tibi largiatur Pater coelestis, annos, honorifico Tibi designato otio cum dignitate fruens, valetudini tuae atque infirmitati consulas, ne aliis prodesse studens, Tibi desis. Numisma aureum, quod Tibi tradendum decrevit Senatus, nondum omnibus numeris ac partibus consummatum esse et perfectum vehementer dolemus [18]). Hoc autem persuasum Tibi habeas, tuam imaginem in bene multorum animis esse consigatam, ad rogum usque colendam, Teque longaevâ ac beneficâ tuâ vitâ, hac in Academiâ et civitate Rhenotrajectinâ, Tibi monumeutum erexisse aere et auro perennius.

Qui SUERMANNUM nostrum Decurionem renunciavit, idem Rex noster augustissimus, alterum verae ac justae meritorum aestimationis addidit exemplum, cl. BUYS BALLOT equestri Leonis Neêrlandici Ordini adscribendo; qui honor haud scio an majori etiam collegas ac discipulos, quam Te ipsum, Vir modestissime! affecerit gaudio. Hoc certum est, nomen tuum virtute ac verae scientiae laudibus conspicuum, jam diu ante nobilitatum fuisse, quam hoc donum, hunc titulum e Regis manu acciperes!

Sed ubi huic orationi finem imponam, si cuncta et singula, quae hoc anno laeta evenerint, commemorare velim? Tu, cl. SCHROEDER VAN DER KOLK! jure tuo filio gloriatus es, ad honorificum munus vocato, ob summam, quae in juvene exspectari possit, doctrinae praestantiam, magna cum laude, Matheseos et Philosophiae naturalis doctore creato. Vos, clarissimi VAN REES et VREEDE! ob felicitatem, quae carissimis obtigit filiabus, vosmet ipsos felices praedicastis! Tibi, cl. VAN GOUDOEVER! hic annus, salvâ uxore, paternum renovavit gaudium; ac Tu, cl. VINKE! Deum pro suâ clementia non tantum vulnerare, sed etiam sanare, conservata Tibi filia, et restituto, veluti ex Orci faucibus, filio dilectissimo, eodem hoc anno expertus es! Pro hisce omnibus, pro cunctis beneficiis, in me quoque collatis, Tibi, benignissime Luminum Pater! sit laus ac gloria!

De Museis aliisque studiorum adminiculis verbo tantum agam. Museum Physicum, Anatomicum et Laboratorium Physiologicum compluribus iisque egregiis speciminibus vel instrumentis sunt ornata; quibus etiam, adductis vel

exstructis novis scriniis et scamnis, aptior locus est datus; quo factum, ut collectiones, theatri instar, melius disponi oculisque exponi possint. Clinicum Ophthalmicum floret, et laborantium, qui huc confugerunt, numerus hoc anno insigniter accrevit. Specula Astronomica nonnullis adhuc valde necessariis, sed iisdem valde pretiosis, instrumentis indiget. Quibus quamdiu non plane prospectum fuerit, quid melius optare possumus, quam ut clarissimus noster HOEK, ad magistri sui celeberrimi exemplum attendat, cujus egregia ac praecipua laus, ex omnium peritorum judicio, maxime in eo cernitur, quod tam exiguis adminiculis tam praeclara ac magna perfecerit? — De Nosocomio ejusque tristi conditione hîc moestas saepiusque repetitas renovare querelas nil attinet. Quid enim? Novimus cum Curatoribus, tum Magistratibus urbis propositum esse rem, tamdiu desideratam serio agendi; quod utinam optatum habeat eventum! — Hortus Botanicus satis laeto gaudet statu et, curae clarissimi nostri MIQUEL commendatus, laetiora ac majora etiam spondet. — Bibliothecae atriis nuperrime cubiculum satis amplum est additum, quod cuivis intranti suo nitore se commendat, et omnem supellectilem continet, quae Bibliothecam invisentium et frequentantium commodis inservire possit. Supellectilem generosae Anonymi cujusdam civis in hac nostrâ urbe liberalitati debemus. Quod ad ipsam Bibliothecam attinet, curam ejus doctissimus VERMEULEN habere pergit maxime laudabilem. Librorum numerus, munificentiâ Regis, pecuniâ a Curatoribus concessâ ad bene multa ac pretiosa opera, praesertim e Bibliothecâ Voorstianâ, emenda nobisque acquirenda, hoc anno insigniter est auctus. Accessere exterarum Societatum oblata munera, multaque privata dona. Quod quum dico, gratâ mente mecum

recordantur Curatores et Professores spectatissimam Matronam, clarissimi GROENEWOUDII viduam, optime mariti desideratissimi memoriae consuluisse, ditissimis ex ipsius Bibliothecâ donis collatis, nostram Bibliothecam ditando ac locupletando. Pulcherrimum sane singularis liberalitatis exemplum, quod ut multi e nostris proceribus, bonis Litteris et artibus ac nostrae Academiae bene cupientes, imitandum sibi proponant ex animo optamus.

Ad perorationem perveni, cujus jucundissimam materiem vos mihi praebuistis, Juvenes lectissimi! qui in hac Academia studiis operam navatis! quos ut alloquamur solennis haec hora flagitat, quos amice compellare animus jubet. Academiae satis laetam ac prosperam conditionem praedicans, imprimis vos cogitavi; minus ad civium Academicorum frequentiam, licet et hanc haud parvi duxerim, quam ad vestra studia, industriam, humanitatem, vitam ac mores attendens. Quamvis aequales laudes, quod ipsi ultro fatebimini — haud omnium industriae vel moribus sint tribuendae; hîc tamen coram hoc frequentissimo auditorio palam eloqui juvat, me Rectorem prorsus nihil offendisse, quod hîc publice reprehenderem! Quid, quod nihil etiam me in mente habere profitear, quod (ne vobis severus ac morosus censor videar) hîc potius reticendum silentioque opprimendum esse duxerim. Audivistis me, laeto et grato erga Deum animo, magistratum successori jamjam traditurum. Atque hoc enuncians iterum vos cogitavi, Juvenes humanissimi! qui mihi munus illud, quod tanquam grave onus in meos humeros susceperam, tam leve et jucundum reddidistis, ut nunc nullum prorsus onus humeris gestasse mihi videar, ac persuasum mihi habeam

nullum, per totum hunc annum, adfuisse periculum, ne res nostrae Academicae detrimenti quid caperent; etiamsi nullus earum gubernaculo praefuisset Rector Magnificus. — Id autem, aeque ac mei decessores, vehementer dolebam vos veluti in duo agmina digressos, nondum unius consortii vinculo esse conjunctos. Novistis me in votis ac precibus habuisse, quas etiam vobiscum communicavi, ut hic annus illi divortio finem imponeret, et dulcem (quidni fatear?) jam spem animo conceperam fore ut, hoc ipso festo ac laeto die, veteres illae rixae veluti humo sepelirentur. Sed licet mihi Rectori tam felici esse non contigerit, ut hodie jam vobis nostraeque Academiae de restituta pace ac concordiâ gratularer; laetum tamen illum diem haud procul abesse sperare exspectare, augurari, vaticinari licet[19]). Pergite ac perficite, optimi juvenes! quod tam feliciter inchoastis; et brevi coronet opus, quod totum vestrum opus erit, finis exoptatus! Trajectinae Academiae cives! mementote Unionis foederis in eadem hac urbe pacti, et, iisdem in castris militantes, omnes unum vexillum sequamini, cui haec verba (quae proavi nostri monetis suis excndi curarunt) inscripta legantur: *Concordiâ res parvae crescunt, discordiâ res magnae dilabuntur!* Acclamabunt vobis, dextras jungentibus, Curatores, Professores, parentes, cives, patria; atque diem, quo hoc foedus pepigeritis, salutabimus tanquam diem festum et praeclarum, in fastis nostris Academicis aureis veluti litteris signandum!

Hoc igitur unum restat ut rectionem ponam meoque tradam successori.

Ex augustissimi Regis decreto, in proximum annum Rector Magnificus renunciatur vir clarissimus GEORGIUS GUILIELMUS VREEDE. — Accedas igitur, Vir Magnifice! magistratumque, quo defunctus sum, Tu suscipe.

Salve Academiae Rector! Iterum iterumque salve. Nomen tuum, quod omen est, tua nobis perspecta indoles et laudabilis hujus Academicae juventutis, quam his ipsis diebus manifestavit, voluntas, magistratum tuum pacificum fore certissimo nobis sunt pignori! Utinam Deus Optimus Maximus, qui per totum hunc annum mihi adfuit, qui et hac solenni horâ me sustentavit, et Tibi propitius adsit, Tibique firmam et laetam valetudinem restituat et conservet! Faxit idem ille Deus, ut, Te Rectore tuisque auspiciis, Academia Rheno-Trajectina vigeat ac floreat et inter almas nostrae patriae Musarum sedes, civibus, studiis, fructibus, moribus, optimae parem se praestet ac probet, nemini secundam!

DIXI.

ANNOTATIO.

ANNOTATIO IN ORATIONEM.

Pag. 2.

1) LUTHERI *dictum*. Dicere vix opus est LUTHERUM, hoc dictum enunciantem, aliud quid, quam quod hîc mihi volui, in mente habuisse. „Saepius dixi," ita scripsit amico paulo ante Disputationem Lipsiensem, „hucusque lusum esse a me; nunc tandem seria in Romanum Pontificem et arrogantiam Romanam agentur!" Cf. de WETTE, LUTH. epp. I. p. 230.

Pag. 4.

2) *Testatus est*. Cff. Joh. X : 38, XIV : 11, XV : 21, 24. Assentior plane TWESTENO, ad haec loca annotanti: (*Vorlesungen über Dogm.* I. p. 357). „Bekanttlich leugnen Manche, dasz die ἔργα, von denen JESUS bey JOHANNES spricht, von seinen Wundern zu verstehen seyen; allerdings mag der Ausdruck mehr als blosz die Wundern befassen; dasz diese aber auch, und zwar ganz vorzüchlich, gemeint sind, kann wohl nur Dogmatische Befangenheit verkennen." Perperam ac temere nonnulli Interpretes, quibus etiam calculum adjecit cl. OPZOOMER, *de waarheid in hare kenbronnen*, p. 99, hoc negarunt. Rectius ac verius HASIUS, cui sane nemo facile exprobraverit, quod nimium miraculis pretium statuerit: „JESUS faszt die Wunder mit allen andern Erweisungen seiner Herrlichkeit unter den Gesammtbegriff seiner Thaten; — obwohl die Wundersucht tadelnd, beruft Er sich auf seine Wunder als nationale Erweisungen des Messias, Matth. XI : 4, Joh. X : 25,

Aber die Beglaubigung gilt nicht als unbedingt." *Evangelische Dogmatik*, s. 160.

Pag. 5.

3) ὑμεῖς μάρτυρες τούτων, Luc. XXIV : 1, 48, coll. Matth. X : 18. εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν, Act. V : 35, X : 37 sqq. XXVI : 22, 1 ad Cor. XV : 15.

Ibid.

4) *Euangelii vox.* Recte quidem Doct. POELMAN, ac post illum Ven. HOOYKAAS HERDERSCHEE, (*Bijbelvriend*, *of oud en nieuw*, fasc. III° hujus anni) in censura Orationis sacrae de 2 Petr. I : 16, Doct. J. J. VAN OOSTERZEE, dictâ *het Ev. geen fabel*, bene distinguere jusserunt inter τὰ Εὐαγγέλια, et τὸ Εὐαγγέλιον, inter Euangeliorum et Euangelicam veritatem. Nunquam tamen vox ipsa, si ad ejus originem attendimus, ita explicari poterit, ut Historica ejus notio pereat. JESUS hanc vocem usurpans, haud dubie significavit adventum felicis illius temporis a se annunciari, quo regnum coeleste his in terris conderetur. Apostoli hac voce magis explicite Historicam CHRISTI apparitionem, ejus vitam, mortem, resurrectionem ac coelestem gloriam denotarunt, quippe quae aeternam hominibus salutem afferret; et quum jam vetustissima aetas arctissimum atque indissolubilem nexum, qui JESU vitam inter ac mortem et hominum salutem intercederet, bene perspiceret, idem illud nomen scriptis inditum est, quae JESU vitam enarrant. Cf. cl. SCHOLTEN, in *Bijbelsch Woordenboek voor het Christelijk gezin*, T. I. ad vocem.

Ibid.

5) Κήρυγμα τῶν Ἀποστόλων. Cff. Act. I : 22. II : 22 sqq. X : 36 et loci s. cit. „Formula τὸ κήρυγμα in Scriptis N. T. sic usurpari solet, ut comprehendat omnia, quae Apostoli cum Judaeis gentibusque exteris communicarunt; uti 1 Cor. I : 26, II : 4 alibi. Praecipua eorum pars cernebatur in rebus CHRISTI, quae ab illo tempore, quo sacris initiabatur a JOANNE, evenerant, donec in coelos susciperetur." Sunt verba cl. HENGELII, in Comm. ad 1 Cor. p. 71. Lectu dignissimus quoque est cl. SCHOLTEN, *de Leer der Herv. Kerk in hare grondbeginselen*, T. I. p. 245—247. „De Historisch-religieuse Christus-

prediking of het κήρυγμα. Kenmerken van het κήρυγμα. Onderscheiding van hetgeen tot het κήρυγμα en hetgeen tot de biografie van JESUS behoort." — Subtilius tamen hic, in afferendis ac definiendis hujus κήρυγματος notis characteristicis p. 246, distinxisse mihi videtur inter JESU facta ac fata, inter ea, quae JESUS ipse peregerit, et quae JESU ipsi acciderint. Nimirum! Licet JOANNES JESU in vitam reditum ita proponat, ut dubium videri possit, utrum hic ad JESU facta an fata sit referendus, Synoptici ac PAULUS haud ita; atque ad Apostolorum κήρυγμα quoque pertinere, quid JESUS perpessus sit, nemo facile negabit.

Pag. 5.

6) *Multo magis narratae Historiae, quam expositae doctrinae.* Hoc minime negavit PECAUT, *le Christ et la conscience;* immo vero laudabili veri studio hoc plane agnovit, uti p. 215: „Les Apôtres ont converti le monde, non par une doctrine, mais par un récit. Au lieu de prêcher Dieu et la vertu, ils ont raconté que le Père celeste, touché de compassion, avait envoyé son fils au monde pour sauver les pêcheurs. La piété chrétienne a pris naissance dans cette Histoire." p. 196: „Qu'est ce qui toucha les esclaves de la Rome corrompue? Ce ne fut pas une doctrine, mais une Histoire, p. 410. Le monde a connu le Dieu de l'Evangile moins par une doctrine, que par une personne; il n'à pas cru à un nouveau dogme, mais a une nouvelle Histoire, à l'Histoire de l'apparition du fils de Dieu.

Pag. 6.

7) HUGO GROTIUS. Argumenta externa GROTIUS ex ipsius JESU et religionis ab eo conditae factis ac fatis, maxime e miraculis ejusque resurrectione, petiit. Quod ad miracula, sic ratiocinatus est GROTIUS: „Talia edidit CHRISTUS opera, quae Deum ipsum auctorem testari videantur. Jam vero Deus miracula nec facit, nec fieri sinit absque caussâ eâque gravissimâ. Caussa autem nulla alia reddi potest, cur haec facta sint, quam ea, quae a CHRISTO allata est, nempe ut doctrinae ipsius redderetur testimonium." De resurrectione CHRISTI, testimoniis pro facti illius veritate allatis, sic pergit: „Tantis ac ta-

libus testimoniis fidem detrahere nemo potest, nisi dicat rem ipsam talem esse, ut nullo modo fieri possit, qualia sunt quae contradictionem, ut loquuntur, implicant. Id autem hac de re dici non potest. Posset sane, si quis eundem tempore eodem et vixisse et mortuum fuisse pronunciaret. Caeterum ut mortuo vita reddi possit, praesertim per Ejus efficaciam, qui vitam primum homini dedit, cur pro impossibili habeatur, nihil causae est. Quod si nec impossibile est, ut CHRISTUS in vitam redierit, et satis magnis testimoniis id constat, is ipse autem CHRISTUS, ut et sui et alieni fatentur, novum protulit dogma tanquam mandato divino, sane sequitur ut dogma verum sit, *cum divinae justitiae ac sapientiae adversetur, tam excellenti modo eum ornare, qui falsum in re tantâ commisisset.*" — Cf. GROT. *de veritate religionis Christianae*, l. II. § V et VII. p. 99 et 106. *Edit. Clerici.*

Pag. 6.

8) *Optime humanae imbecillitati consuluerit.* Multa, quae huc spectant et etiam nunc bene considerari merentur, insunt orationi, ab HERMANNO ROYAARDS, Theol. Prof. Rhenotraj., HERM. JOH. patre, a. 1807, habitae, et *Haganae Societatis Opp.* insertae: „*Aanspraak ten betooge, dat het Christendom zonder daadzaken niet bestaat, maar met dezelve op het naauwste verbonden is, en dus geheel vervalt, wanneer de Heilige gebeurtenissen worden uit het oog verloren.*" Ven. P. R. HUGENHOLTZ idem argumentum attigit (*Godgeleerde Bijdragen* 1856. p. 177—188) in scriptiuncula, lectu digna, cui inscriptio est data: *Kan het Christendom als godsdienst den Historischen grondslag missen?*

Pag. 7.

9) LESSINGIUS talem, qualem proposuerat GROTIUS, argumentationem *μετάβασιν εἰς τὸ ἄλλο γένος* dixit, et sententiam suam, quâ religionis veritatem minime ab Historiâ pendere statuit, more suo, i. e. ingeniosissime, illustravit, notissimâ parabolâ de ficto incendio. Legitur haec parabola in LESSINGII *Opp.* T. IX. p. 187; apud C. SCHWARTZ, LESSING *als Theologe dargestellt*, S. 144—161, ac belgice apud cl. SCHOLTEN, *de leer der Herv. Kerk in hare Grondbeginselen*, T. I. p. 212 sqq.

tertiae Edit. HENRICUS LANGIUS in libro, saepius citando, qui vernacule etiam prodiit cum praefatione Ven. BUSKEN HUET: „*Ein gang durch die Christliche Welt*," p. 117, thesin Lessingianam: „Zufällige Geschichtswahrheiten können der Beweis von nothwendigen Vernunftwahrheiten nie werden," plane suam fecit. Cui ego lubenter, dummodo recte explicetur et caute adhibeatur, thesi subscriberem; quatenus nempe veritates aeternae, i. e. tales, quales ratio sponte agnoscit et agnoscere debet, minime a factis Historicis pendeant vel pendere possint, neque eorum comprobatione indigeant. Admodum autem vereor ne LESSINGIUS et qui cum illo fecerunt ex hac regula nimium derivarint, JESU resurrectioni ad JESU dignitatem vel immortalitatis spem comprobandam omnem vim denegantes. Nimirum! Quaestio utrum JESUS is fuerit, quem se praedicavit, minime aeternis veritatibus, quas ratio sponte agnoscit et agnoscere debet, est accensenda; at multo magis est Historici generis, historice dirimenda. Quidni igitur Historico facto confirmari et comprobari poterit? In utrâque quaestione, mors corporis interitus sit totius hominis, an vero animus vel ipse homo post mortem sit superstes, aeque ac utrum JESUS revera mortuus in vivos redierit, res eadem agitur et tangitur; neque hîc, si quid video, μετάβασις εἰς τὸ ἄλλο carpi meretur.

Pag. 7.

10) KANTIUS, *die Religion innerhälb der Grenzen der reinen V.* p. 107—119.

Ibid.

11) AMMONIUS, *Fortbildung des Christenthums*, T. I. p. 170. „Zwischen den Gegenständen der Geschichte und den Objecten reiner Anschauung, so wie des idealen und moralischen Bewustseins, stellt sich gleich bei der ersten Wahrnehmung ein unverkennbares Unterschied heraus. Diese sind perennirend, und können durch die intellectuelle Thätigkeit des Gemüths zu allen Zeiten hervorgerufen und zum Bewusstsein gebracht werden, daher auch eine mathematische, Philosophische und sittlich religiöse wahrheit immer jung und frisch bleibt, und

bei der gehörigen Gründlichkeit der Erkentniss keinem wechsel des Furwahrhaltens unterliegt. Das läszt sich aber von Thatsachen der Geschichte, welke sämtlich zu Erscheinungen der Natur und des Menschenlebens angehören, keines wegs behaupten. Sie verlieren in dem Zusammenhange der Weltereignisse allmählig ihre fortwirkende und die Genossen einer spätern Zeit afficirende Kraft; in ihrer Darstellung pflanzt sich das Wissen der ersten Zeugen, welches sich auf unmittelbare Anschauung gründete, schon als vermittelter Glaube an ihre Redlichkeit und Treue fort; und da auch dieser bald durch mancherlei Zweifel an ihrer Geschicklichkeit und Unbefangenheit, an der Aechtheit, Klarheit und Richtigkeit ihrer Urkunden und Berichte geschwächt wird, so sinkt der Glaube oft zur blossen Warscheinlichkeit und Meinung herab."
Pag. 7.

12) Schleiermacherus, *der christliche Glaube nach den Grundsätzen der evangelischen Kirche* T. I. s. 97. „Aus alle diesem nun folgt, dasz Wunder sowol als Weissagungen, wenn der Glaube an die Offenbarung Gottes in christo und an die Erlösung durch ihn nicht schon auf dem ursprünglichen Wege durch die Erfahrung als den Beweis des Geistes und der Kraft entstanden ist, ihn nicht hervorbringen können, — ja dasz dieser Glaube eben so unerschütterlich sein wurde, wenn auch das Christenthum weder Weissagungen noch Wunder aufzuweisen hatte." — Cum his tamen conferri merentur, quae p. 93 scripserat: „Es ist natürlich von demjenigen, der die höchste Göttliche Offenbarung ist, auch Wunder zu erwarten;" — neque hanc suam sententiam revocasse censendus est, quoniam miraculum (ut plurimi Theologi) ita definivit, ut forte e legibus, nobis adhuc incognitis, explicari queat.
Ibid.

13) Brethschneiderus, *Handbuch der Dogmatik der Ev. Luth. Kirche*, in prima hujus operis editione longe majorem vim argumentationi, quae ex externis argumentis ducitur, tribuerat, quam in quartâ editione a. 1838. At quamquan multa, quae antea probaverat vel admiserat, rejecerit, vel sic tamen

non omnem iis vel vim vel fidem denegari voluit, scribens, T. I. p. 268. „Die Augenzeugen glaubten um der Wunder willen, dasz JESU Werk in dem Erfolg, den sie nicht sahen, sich als göttlich bewähren werde; *wir aber glauben um dieses Erfolgs willen an jenen wundervollen Anfang des Christenthums. Wenn aber sonach auch die Wunder nicht wissenschaftliche Beweise der Offenbarung sind: so sind sie doch nach der subjectiven Beschaffenheit der Menschen ein Unterstützungmittel des Glaubens.*" Pag. 7.

14) TWESTENUS, non tantum miracula veri nominis agnovit, sed etiam vim probandi, quae iis insit, vindicare studuit. „Wir sehen in den Wundern also die begleitenden Erscheinungen einer Epoche, in der ein neues religiöses Leben, die Wirkung einer eigenthümlichen und daher unmittelbar auf die göttliche Causalität zu beziehenden Grundkraft, auf eine ursprüngliche Weise der Welt mitgetheilt wird; und hieraus erhellt, welches die beweiskraft der Wunder sey." *Vorlesungen über Dogmatik*, I. I. p. 365, sqq.
Ibid.

15) HASIUS, *Ev. Dogmatik*, p. 167, de externis argumentis ita mentem suam declarat, ut inter Supranaturalistas recentiores ac Rationalistas medium veluti locum tenere videatur. Admodum tamen vereor ut definitio miraculi quam dedit, vel his vel illis vel ipsi viro doctissimo plane satisfaciat.
Ibid.

16) SCHENKELIUS, quamquam in opere multis nominibus laudando: „*Die Christliche Dogmatik vom Standpuncte des Gewissens aus dargestellt*," cuncta ad conscientiam revocat, minime tamen iis est annumerandus Theologis, qui vel Historiae vel externis argumentis omne suum derogent pretium. Tritam, quam Dogmatici dederant, miraculi definitionem relinquens, suam sententiam his verbis exposuit, I. p. 263. „Das Wunder ist uns ein Uebernatürliches, aber nicht im Sinne der alten Dogmatik; denn er ist uns kein Widernatürliches, et p. 258: Das Wunder wird uns in seinen letzten Consequenzen wieder geraden ebenso natürlich, wie das Natürliche in seinem tiefsten

Grunde ein Wunder." Licet haec obscurius sint dicta nec definire videantur, quid de verâ miraculi naturâ sit statuendum, vel sic tamen e viri doctissimi disputatione satis lucide apparet, illum Historiae Euangelicae veritatem ac miracula veri nominis agnoscere. Quapropter, minime cum LANGIO, l. c. p. 262, fidem, quam SCHENKELIUS miraculis habendam statuit, fucatam atque affectatam dixerim.

Pag. 7.

17) HAGENBACHIUS. De *Theologie der bemiddeling* door K. R. HAGENBACH, vert. door H. UDEN MASMAN, p. 95. — „Niet het geloof aan de wonderen heeft het geloof in CHRISTUS ten gevolge, maar omgekeerd, door ons geloof in CHRISTUS worden wij gedrongen in de wonderen de afspiegeling te zien dier heerlijkheid, die Hij in den beginne bij den Vader had."

Idem p. 29. „Ik ten minste beken het openlijk, dat ik tot het geloof in CHRISTUS niet door middel der wonderen gekomen ben, maar omgekeerd heeft het geloof in CHRISTUS mij ook het aannemen van die wonderen gemakkelijk gemaakt, die mij op zich zelf beschouwd, ongeloofelijk voorkwamen. Deze opmerking moge ons het regte standpunt aan de hand geven, van waar wij de wonderen moeten beschouwen." Iisdem fere verbis sententiam suam expressit cl. HOFSTEDE DE GROOT, l. infra cit: p. 129. „Niet om het wonder gelooft gij in CHRISTUS, maar om CHRISTUS aan het wonder." — Ceterum de iis Theologis, maxime e Scholâ Argentorati profectis, qui summum principatum conscientiae deferunt, legatur idem hic scriptor. (*Waarheid in liefde*, 1857, fasc. III. *Het geweten en het Euangelie*).

Pag. 8.

18) *Intactam reliquerat.* Commemoratu dignum est hoc LESSINGII dictum: „Das fortdauernde Wunder der Religion selbst muzst die Wunder wahrscheinlich machen, die bey ihrer ersten Grundung sollen geschehen seyn." — Recte omnino TWESTENUS LESSINGII sententiam sic exposuit. „LESSING wohlte auf die Historische Warscheinlichkeit der Wunder die Wahrheit der Religion nicht gegrundet haben, nämlich nicht, wie gewisse Apologeten es thäten, allein darauf, ohne Rucksicht auf die

innere Wahrheit, auf die innere Erfahrung des Christen." Cui sententiae ipse quoque calculum suum adjicere nullus dubitavit. Multi vero nostris diebus, in LESSINGIO Antesignanum salutantes eorum, qui sive miracula sive ipsam Historiam plane rejiciunt, ad hoc effatum parum attenderunt.

Pag. 9.

19) *Parum fructuosum mihi videtur.* Quidquid, magna cum sagacitate ac subtilitate, ab alterâ parte a cl. OPZOOMER et doct. PIERSON, ab alterâ parte a cl. DOEDES aliisque hoc de argumento certatum sit; admodum vereor, ut gravissima, quae nostris diebus agitatur, lis hac viâ plane dirimi possit. Cuncta hîc pendent a verâ notione ac definitione, quae miraculo sit tribuenda. Quicumque miracula rejiciunt, quodvis miraculum legibus naturae adversari rerumque ordini repugnare mordicus tenent ac mordicus tenere pergent. Qui ab opposita stant parte, mitiorem definitionem, qualem jam AUGUSTINUS et THOMAS AQUINAS commendant, haud sine gravissimâ caussâ praeferunt et defendunt. Quod ad me attinet, non possum non assensum meum dare KRAUSIO, contra LANGIUM disputanti et contendenti. „Het begrip van regelmatigheid is ons in het geheel niet van gelijke beteekenis met dat eener deterministische natuur-noodzakelijkheid. De kennis van eene algemeen heerschende, Physische regelmatigheid zal, ook naar onze meening, steeds meer het begrip van het wonder in den absoluten zin des woords, n. l. als eene handeling van God, welke de orde der natuur omverwerpt, opheffen, en voor alle verschijnselen wettige verklaringen vorderen: hoewel wij reeds hier niet kunnen nalaten op te merken, dat het betrekkelijke wonder in zoo verre het Historisch gewaarborgd is, toch zoo lang een regt heeft van te blijven bestaan, als onze natuurwetenschap zal moeten bekennen van het wezen, de heerschappij en de grenzen der natuurkrachten nog zoo weinig te hebben leeren kennen, als dit tot dusverre het geval is." *(De Moderne Wereldbeschouwing voorgesteld en beoordeeld, naar het Hoogd. van* LANG *en* KRAUSE, door F. A. C. HOOGVLIET, p. 51.) Neque, hac definitione admissa, vel notionem miraculi

prorsus perire, vel illud omni vi ac pretio destitui (uti contendit doct. PIERSON, *de Gids*, a. 1859, p. 489 sq. et quodammodo etiam concessit doct. D. HARTING, *Nieuwe Theologische Jaarboeken*), concedere possum; quod tamen pluribus commonstrare hujus loci non est. Hoc tantum velim bene attendant ac perpendant nostri Theologi: Etiamsi miracula, ad mirabilia depressa, omni vi carerent, vel sic tamen minime perinde esset nec eodem rediret, in Apologiâ Christianâ construendâ, quid de iis, praecipue de factis a JESU patratis, statuas. — Ceterum jure suo cl. VINKE, in Disquisitione lectu dignissima (*de Empirie van* JEZUS *Apostelen en verdere tijdgenooten met opzigt tot zijn persoon, zijn leven en zijne daden volgens de Evangeliën, Christelijk Maandschrift* 1860, m. Maji, p. 288,) in memoriam revocavit, quae ante multos annos CLARISSIUS et MOELLERUS de hoc argumento scripserunt (*Opp. Soc. Hag. a.* 1800). Unde saltem apparet dubia illa, quae nunc maxime urgentur, minime e mutata mundi contemplatione (*moderne wereldbeschouwing*) demum orta esse, nec eos plane latuisse, qui hanc miraculorum veritatem vindicare conabantur. Nec minus hoc de argumento legi meretur cl. HOFSTEDE DE GROOT. *Opmerkingen over eenige hoofdzaken in de Moderne Theologie.* (*Waarheid in liefde*, 1860, fasc. I. p. 115, *de wereldbeschouwing en het wonder*).

Pag. 9.

20) *Summa veneratione imbuere pergant.* Legantur c. c. quae scripsit cl. OPZOOMER, l. c. p. 100 et 118, quibus multi variique loci addi possent, e doctissimi PIERSONII scriptis vel etiam e ven. BUSKEN HUËT Epistolis et censuris, et ERNESTI RENAN, *Etude d'Histoire Religieuse*, petiti; et quidni confitear, me etiam hîc PECAUTII scriptum in mente habuisse, quatenus hic auctor amicum suum, religionis CHRISTI caussam agentem, loquentem inducit? Imprimis vero hoc nomine Disputatio doctissimi PIERSON: *een misverstand* (*Gids*, Junij 1860) magnopere est laudanda. Ibid.

21) *Nil damni ac detrimenti — extimescendum.* Cf. instar omnium HENRICUS LANG: *Ein Gang durch die Christliche*

Welt, quem, in hac oratione conscribenda, me pluribus locis ab oculos habuisse, recte nonnulli e meis auditoribus suspicati sunt. Hic, suâ exposita sententiâ, quâ Euangeliorum Historica fides penitus subvertitur p. 192, scripsit: „Die Theologie hat bei dieser veränderten Stellung unendlich viel gewonnen, *während die Kirche oder die religiöse Gemeinde jedenfalls nichts verloren hat.*" Et p. 197. „Was soll *die Kirche* dan eigenlich verloren haben?" p. 204 et 205. Also noch einmal: „Hat *die religiöse Gemeinde der Kirche* durch die Ergebnisse der neueren Kritik am wahren religiösen Lebensgehalt Etwas eingebützt? Nichts gar nichts! Aber gewinnen werd sie viel!" — Cl. C. W. OPZOOMER, *de waarheid en hare kenbronnen*, p. 90. „Voorwaar! indien de overtuiging eens algemeen wordt, die zich dagelijks uitbreidt, dat de wonderverhalen geen geloof verdienen, *er zal niets te gronde* zijn gegaan dan de onredelijke verwachting, dat het zaad eener ware geestelijke godsdienst niet kan worden uitgestrooid, zonder ook de vruchten van wonderen in de natuur voort te brengen;" et p. 97: „niets van hetgeen ons dierbaar behoort te zijn zal er bij lijden; veeleer zullen er de Godsdienst en het Christendom bij winnen, want ze zullen den tegenstand van den redelijken geest niet meer behoeven te vreezen." Uti cl. OPZOOMER his verbis candide suam sententiam exposuit, sic minime dissimulandum esse duxi, illius librum, ceteroquin laudibus suis ac meritis minime defraudandum, aeque ac bina scripta (PECAUTII, *le Christ et la conscience*, et RENAN, *les Historiens critiques de* JESU), mihi ansam praebuisse hujus argumenti eligendi et tractandi. Quod reliquum est, levis esset operae, hîc et alia nomina vel scripta memorare. Unde tamen abstinendum esse duxi, quoniam mihi nulla pugna est ipsis cum Theologis, sed solâ cum sententiâ, quam refutandam suscepi.

Pag. 10.

22) *Recte mihi monuisse videntur.* Cff. quae, ad notionem CHRISTI *Historici* atque Euangeliorum ἀξιοπιστίαν bene definiendam, observari jussit cl. SCHOLTEN, *Leer der Hervormde Kerk*, t. I. p. 247, 3ae Edit.

Pag. 10.

23) *Idem judicium de omnibus — ferendum esse, vehementur nego.* — Jure suo cl. OPZOOMER contendit ab illo, qui miraculum quodcunque rejiciat, etiam J. C. resurrectionem esse rejiciendam; minime vero exinde sequitur, quod vir sagacissimus statuere videtur, (l. c. p. 96) ab illo, qui unum miraculum admitttat, sine ullo scrupulo cuncta esse admittenda. Multo rectius ac verius PECAUT: *le Christ et la conscience*, p. 64: „Il ne faut pas, me dira-t-on, marchander avec les miracles; ou les accepter tous, ou les nier en masse. Je ne veux pas subir cette contrainte; un miracle peut avoir lieu, sans qu'il y ait pour cela nécessité d'admettre tous les autres; p. 330: „Tout ou rien est une manière de considerer les choses, que l'Histoire ne confirme jamais, et qui tient du jeu plus que d'une Etude impartielle."

Pag. 11.

24) *Cetera quoque minus certa reddi.* Nonnulla ex Euangeliis delibare, quae summa nostra admiratione digna videantur, cetera vero seponere vel negligere, id Theologi quidem munus et laborem perquam facilem redderet; at, si quid video, hoc veri nominis scientia prorsus indignum censendum est. Cuncta, ut sanum atque aequum de Religione Christianâ sit nostrum judicium, sunt dijudicanda. „Voor ons" ita scripsit cl. OPZOOMER, „is J. C. toch niet meer de wonderdoener, maar wel de verheven Godsgezant, wiens woorden voor ons het rigtsnoer des levens zijn," quae verba etiam sua fecit doct. PIERSON in disp. laudatâ: *een misverstand*, p. 799. At minime inde sequitur indifferens esse, utrum JESUS veri nominis miracula ediderit nec ne. Quid enim? Si cuncta, quae de JESU factis narrantur, sive mala sive pia fraude, conficta sunt, quis J. fuerit, quid egerit, et pro magnâ etiam parte quid docuerit, ea nonne nescio? Si J. revera, quod adhuc plurimis placet, talia edidit facinora, quae ab aequalibus pro miraculis habebantur, nec tamen erant, quaestio oritur, utrum falso miracula praetenderit? nec multum discriminis J. inter et APOLLONIUM Thyanensem intercedere video.

Talem Θαυματοῦργον, etiamsi ejus miracula, falso ita dicta, longe excellentioris sint indolis (cf. cl. VINKE, l. c. p. 363) pro Legato vere divino, cujus verba agendi mihi ac vivendi norma sint, agnoscere non possum, nisi idem ille titulus Pythagorae, Platoni, Zoroastri tribui possit.

Pag. 11.

25) *Facta a miraculis, doctrinam ab ejus fatis discernendi.* „Dat de Heer JEZUS wonderen gedaan heeft, blinden ziende, melaatschen rein gemaakt, zelfs dooden opgewekt had, was de inhoud der oorspronkelijke Evangelieverkondiging, met het groote wonder aan het hoofd, dat hij zelf ligchamelijk verrezen was uit de dooden. Met die groote feiten stond in het naauwste verband de heerlijkheid van den Heer en hare openbaring. Beproeven wij het deze feiten van den persoon des Verlossers af te scheiden, dan breekt en brokkelt ons alles onder de hand af. Of is het mogelijk de leer van JEZUS van zijne daden af te scheiden? Veeleer zijn de meesten zijner gesprekken aan de door hem verrichte wonderwerken vastgeknoopt. Zijn deze onecht, dan zijn het ook zijne gesprekken, en met de echtheid van deze valt de gansche CHRISTUS-persoon weg; zoo als wij het in het oplossings proces van STRAUSS maar al te duidelijk, als een waarschuwend teeken, hebben gezien." — HAGENBACH, l. c. p. 35. Ejusdem plane sententiae sunt cl. VINKE, l. c. p. 289, rogans: „Hoe? indien de Evangelieschrijvers geloofwaardig zijn in de mededeeling van JEZUS' woorden en heiligen wandel, waarom zijn zij het dan ook niet in het verhaal van zijne daden? Zijn zij het niet in het laatste, wie zal ons dan verzekeren dat zij het zijn in het eerste?" Doct. C. P. HOFSTEDE DE GROOT, *geschiedkundige waarde der Evangeliën;* nec non: Ven. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE. „*Een woord van toelichting* etc." p. 49 et 50, scribens: „Ik geloof niet te veel te zeggen, en op instemming te mogen rekenen zelfs bij degenen die ik bestrijd, indien ik beweer, dat wij zonder de wonderen, den CHRISTUS der Evangelien, den historischen JEZUS van Nazareth ganschelijk verliezen, en dat wij slechts overhouden eenige buiten allen historischen zamenhang gerukte, algemeene Godsdienstige spreuken of verma-

ningen, die ons geenerlei persoonlijkheid vertegenwoordigen, geenerlei concreet Historisch beeld bij ons achter laten." — Illi autem Theologi, qui miracula plane rejicientes, vel sic se satis tuto ac firmo fundamento Historico niti gloriantur, hoc quaeso periculum faciant; quid ex ipsorum sententiâ de JESU verbis ac factis satis Historice constet, tam accurate definiant, ut vita et doctrina JESU construi possit; quod nisi fecerint, grandiloquis saltem verbis de CHRISTO suo vere Historico disserere desinant. Pag. 11.

26) *E* JESU *ipsius ore profecta esse.* Si JOANNES Apostolus auctor quarti nostri Euangelii creditur, lubenter admittimus, quod AUGUSTINUS, *de consensu Euangeliorum* II. 28, contendit, et cl. SCHOLTEN, l. c. p. 248, cum illo admittendum et statuendum esse duxit, Euangelistam satis fide dignum esse, etiamsi, quid sibi JESUS voluerit subinde aliis verbis dixerit. Eatenus non dissentio a Ven. BUSKEN HUET *(Brieven over den Bijbel* p. 330) „of — JEZUS was gewoon te spreken, zoo als hij spreekt bij MATTHEUS, MARKUS en LUKAS — en in dat geval zijn zijne woorden in het vierde Evangelie door JOHANNES in diens eigen taal en stijl, ons uit zijne brieven bekend, zelfstandig vertaald en overgebragt." — Et sane, uti hic auctor *Joanneam* hujus Euangelii originem in hoc suo opere adhuc sumsisse videtur; sic ad hunc fere usque diem Theologi quam plurimi inter nostrates, (e quibus hic tantum SCHOLTENIUM, HOFSTEDE DE GROOT patrem et filium, BAUMHAUER, BRIËT, PRINS, VAN HERWERDEN, RÉVILLE commemorare liceat) magni facientes atque aestimantes, quae desideratissimus NIERMEIJER (*Opp. Hag.* anni 1849) tam egregie disputaverat, *Joannei* Euangelii authentiam vindicarunt. At mirabile dictu est, quam cito, intra brevissimum temporis spatium, plane opposita sententia, a BAURII sententia vix discernenda, apud multos, qui fere unice in JOANNIS verba jurare consueverant, praevaluerit; quasi lis illa, quae tam diu de hac gravissima quaestione agitata est, nunc prorsus idque negante sensu esset diremta. — Ponamus autem quartum nostrum Euangelium minime a JOANNIS Apostoli, sed discipuli cujusdam anonymi ex ipsius scholâ

manu profectum esse; quo tandem jure gravissima dicta, qualia Joan. VIII. s. 46, s. 58. X. s. 30, XIV. s. 6, 9, XIX. s. 30. occurrunt, non tantum quod ad verba, sed etiam quod ad sensum animique voluntatem attinet, a JESU ipso profecta esse, statuere nobis licebit?

Pag. 11.

27) *Tune Christe!* — Talem sententiam his verbis tribuendam esse haud obscure significavit PECAUT l. c. p. 265 sq.

Pag. 12.

28) *Visibili ratione.* Cf. LANG, l. c. p. 200. Minime accedere possum iis Theologis, qui 1 Cor. XV: 12—18 ita interpretantur, ut PAULUS sua argumentatione haud adeo JESU ἀναστάσως ἐκ τῶν νεκρῶν proprio sensu, sed tantum ejus vitae post mortem respectum habuerit. Apostolus ad eos, quos impugnat, erroris convincendos minime merâ affirmatione utitur, JESUM revera vivere, sed ad ipsum gloriosum returrectionis factum provocat. Quod, uti ex ipsius persuasione omni dubio carebat, sic quoque JESU vitam omni dubitatione superiorem reddebat. Ejus ratiocinatio huc redit." Nisi mortui vivant vel vivere possint, JESUS etiam non in vivos revocatus est. Jam vero hoc negari nequit, hoc certo certius constat, propter ejus ἀνάστασιν, cujus nos ipsi testes sumus. — Verissime scripsit l. c. p. 145, cl. SCHOLTEN: „JEZUS kon *opgestaan* zijn en *leven* zonder aan zijne discipelen verschenen te zijn;" modo addatur: at hi tum hujus rei nescii fuissent. LANGIUS (*Versuch einer Christl. Dogmatik*, u. s. w.) 141 in nota, attentione dignum existimat, quod RÜCKERTUS de hoc PAULI testimonio scripsit: „Für PAULUS gab es keine Denkbarkeit des Lebens nach dem Tode als durch das Mittel der Auferstehung, also konnte der Gedanke: CHRISTUS war todt und ist lebendig, sich in seinem Denken nur in der Form vollziehen, er ist vom den Todten auferstanden." Cl. HENGELIUS in Comment. 1 Cor. XV, p. 63, itidem monuit formulam ἀνάστασις νεκρῶν e PAULI mente neque *animum* neque *corpus* multo minus *carnem*, sed *hominem* spectare. Neque ab HENGELIO dissentit BRIETIUS (de *Eschatologie of leer der toekomende dingen*, t. I. p. 250)

contendens, PAULUM hac formulâ utentem, totum hominem complecti. Jam vero his concessis, nonne luce clarius inde apparet, PAULUM, neque hoc loco neque alibi, talem distinctionem, qualem hodie multi Theologi commendant, cogitasse nec cogitare potuisse?

Pag. 13.

29) PAULUM *Apostolum mihi assentienten haberem*, 1 Cor. XV : 14. Si hîc repetuntur atque in memoriam revocantur, quae praecedente notâ scripsi, plane subscribere possum egregiis cl. SCHOLTENII verbis, l. c. p. 145 sqq. „Het doel van den Apostel is de Christenen te wapenen tegen het ongeloof dergenen, die de opstanding der dooden en daarmede de onsterfelijkheid des menschen (begrippen die in het N. T. identisch zijn), loochenden. Tegen de zulken wijst hij de Christenen, als bewijs voor de mogelijkheid der opstanding, op het feit, dat JEZUS opgestaan was. Bestond er geene opstanding der dooden, dan ware CHRISTUS ook niet opgewekt, maar in den dood gebleven; en ware dit zóó, dan verviel hiermede tevens de waarheid en de waarde der Evangelieprediking. — Met de waarheid, dat de gestorvene CHRISTUS leeft, hangt toch de gansche leer der verzoening en der verlossing zamen. Een CHRISTUS, die zelf voor het geweld des doods bezweken was, hoe zou hij voor anderen de levensvorst zijn kunnen, hoe anderen kunnen verlossen uit den staat des doods, waarin het menschdom, in gemeenschap met ADAM, door de zonde verkeert? Heeft CHRISTUS den dood niet overwonnen, dan blijft de menschheid onverlost, dan is er geen Verlosser, in wiens gemeenschap ook de geloovigen den dood overwinnen. Dan blijft de dood heerschen, de menschheid blijft in hare zonden, verloren zijn zij, die in CHRISTUS ontslapen zijn; met één woord, wat het Christendom leert van onze verlossing en verzoening met God houdt op waar te zijn, de Evangelieprediking wordt ijdel."

Ibid.

30) *Fingi potuisse.* „Le caractère extraordinaire de JESUS CHRIST ne peut être illusion; le portrait ne peut avoir été trâcé de la main de l'homme. l'Inventeur, pour emprunter le

mot celèbre (de ROUSSEAU), serait plus grand que le héros." EDOUARD apud PECAUT, l. c. p. 398. — „Le Christianisme est une chose, un fait. Là est, Dieu soit loué! sa valeur inattaquable. — Dirons nous que l'Histoire de l'Evangile est inventée a plaisir? Ce n'est pas ainsi qu'on invente. L'Inventeur en serait plus étonnant, que le héros." — Doct. A. RÉVILLE, *Etudes critiques sur l'Evangile selon* ST. MATTHIEU, (mox edendae.) „— Neen het Christendom zal niet alleen als *godsdienst* blijven bestaan en voortdurend zijne erkenning vinden, bij eene steeds hoogere ontwikkeling der menschheid, die zijne waarheid steeds meer zal verstaan en dieper leeren inzien; maar ook de historische herinneringen van onzen Goddelijken Stichter zullen niet verloren gaan; en wat de ontkennende kritiek dan ook moge aanvoeren tegen de Goddelijkheid in zijn persoon en tegen de waarheid der Evangelische geschiedenis: de Christen zal, met het N. T. vóór zich blijven getuigen: dat beeld, zóó goddelijk en groot, kan niet het werk zijn van verdichting, of zoo het verdicht werd, dan is de verdichter grooter dan de held der geschiedenis;" cl. SCHOLTEN, *Leer der Herv. Kerk*, p. 252.

Pag. 13.

31) *Magis vago quodam religioso sensu — rationibus ducti.* Omnino assentior PÉCAUTII censori (A. BAYSSELANCE, *Le Lien*, Oct. 1859) scribenti: M. PÉCAUT reconnaît n'avoir pas abandonné sans regret les croyances de sa jeunesse; et cependant il nous semble, que bien qu'il soit allé loin, certes très loin, il n'a pas encore suivi jusqu'au bout les conséquences de ses idées." — Nec procul a vero aberrare mihi videor statuens, nostris diebus haud paucos esse, qui, CHRISTUM tanquam *ἀναμάρτητον* laudibus suis extollentes, longe plura traditioni atque educationi debeant, quam sibi sint conscii, ac Theoria, quam de Euangeliis eorumque origine, indole et consilio amplexi sint, permittat et concedat. Cf. et hîc cl. HOFSTEDE DE GROOT l. c. p. 130 sq.

Ibid.

32) *Gravissimis criminationibus.* Vel me tacente, quisque

e meis auditoribus ac lectoribus continuo saepius in his notis citatum libellum: *Le Christ et la conscience*, cogitavit. Licet hac criminationes haud ejusmodi sint habendae, ut refelli nequeant, nullus tamen aequus rerum arbiter illas leves, futiles ac contemnendas duxerit. E nostra saltem sententia PÉCAUT nonnulla monuit, quae bene perpendi mereantur ab iis, qui, licet CHRISTUM erroribus obnoxium credant, eum tamen tanquam perfectissimae virtutis et sanctitatis humanae exemplar proponere pergunt; uti ETIENNE COQUEREL, hoc de J. C. enuncians: „Pleinement homme et sujet comme nous aux erreurs de la raison, le CHRIST à réalisé la saintete humaine parfaite." *Le Proces de la Theologie nouvelle*, *nouvelle Revue de Théologie*, 1859. Valde oppurtune Societatis *Teylerianae* Rectores huc spectantem proposuerunt quaestionem.
Pag. 14.

33) *Falsa veris*, *vera falsis esse permixta.* „M. PÉCAUT fait en effet tout ce qu'il peut pour séparer les paroles de CHRIST en deux parties; l'une rélative à sa mission divine, à son titre de fils de Dieu, l'autre contenant simplement ses enseignements moraux. Or quoi qu'il fasse, cette division nous paraît complètement illusoire." A. BAYSSELANCE l. c.
Ibid.

34) *Christi nomen abundet.* Verissimis verbis, quae ipse haud sine moerore quodam enunciare potuit, hoc expressit PÉCAUT: „Les predictions des Catholiques se sont realisées. La tradition, que les Reformateurs avaient rejettée pour mettre l'homme en rapport direct avec la Bible, a disparu. La Bible tombe à son tour, du moins comme autorité suprême. Peut on se demander sans fremir: Si J. C. lui même le dernier intermediateur entre l'homme et Dieu ne paraîtra pas à son tour *superflu* et *embarrassant?*" p. 40. — Ac sane, ex toto hujus Auctoris libro uti et e Dogmatices schemate, quod LANGIUS in usum perspicaciorum inter suos populares construendum esse duxit, satis apparet, in utriusque systemate, JESU Mediatori ac Redemtori nullum fere relinqui locum.

Pag. 15.

35) ἐλπίδα ζῶσαν, 1 Petr. I: 3.

Ibid.

36) SCHLEIERMACHERUM. E SCHLEIERMACHERI Epistolis, quas nuperrime vernacule reddidit Ven. J. W. P. FEITH, uti et e celebratissimis ejus orationibus de religione (*Reden über die Religion*) haud sine caussa LANGIUS effecit, eum diu gravissimas hac de re dubitationes animo fovisse. Ex ejus Dogmaticâ (*der Christliche Glaube*) satis superque apparet, illum nullum plane pretium statuisse argumentis, quae pro immortalitate animi afferri solent.

Pag. 16.

37) *Materialismus.* Uti ex intimo pectore cl. SCHOLTENIO acclamavi, tam strenue ac fortiter, tanquam pro aris et foeis, cum Materialistis dimicanti; ita, disputatione ejus de caussis Materialismi (*over de oorzaken van het hedendaagsch Materialisme*) perlecta, mihi dissimulare non potui quantus labor, quantum opus sit habendum tales hostes, hac demonstrationis viâ impugnandi et profligandi. Sic penitus persensi Materialistarum conamina, his nostris diebus, eo magis esse reformidanda, quo magis fides JESU CHRISTO vere mortuo ac redivivo in multorum animis concussa ac labefactata sit.

Ibid.

38) BORGERI *verba.* In praefatione Disputationis *de Mysticismo*, p. X.

Ibid.

39) *Jacturam, — quam frustra reparare et compensare conentur.* Si quis scire cupiat, quomodo nonnulli Theologi hanc jacturam reparare et compensare conentur, adeat LANGIUM, *Versuch einer Christl. Dogmatik*, p. 120—123; qui pluribus ostendere conatus est cuncta argumenta pro immortalitate animi, sive e ratione vel sensu communi, sive e Litteris Sacris petantur, esse rejicienda. Num igitur hinc concludit omnia incerta esse? — Minime gentium! — Licet, si eum audis, quicunque JESU resurrectioni fidem habet, spem suam ex arachneae filis suspendit; (an den Faden einer Spinne die Ewigkeit hangt) licet quaecunque in N. T.

de altera vitâ docentur e Judaismo fluxerint ac nihili sint habenda; licet ratio humana nullum satis validum argumentum praebeat; licet Dogmatica de Eschatologia nil certi definire queat — vel sic tamen eadem *scientia* nobis dictat, „dasz der Glaubige lebend und sterbend im Besitz des ewigen Lebens selig und befriedigt ist!" Quibus vero argumentis haec sententia vel haec hypothesis fulciatur, auctor non addidit.

Pag. 17.

40) *Complectendis.* Egregie hoc exposuit cl. PARAVIUS, in *Initiis Institutionis Christianae Moralis*, Part. III. Sect. III. § XII. *de indolis Christianae initio et perfectione* p. 403.

Pag. 18.

41) *Magis vindices, quam contemtores.* „Dasz mit dem Christenthum ein neues Lebensprincip in die Menscheit gekommen sei, durch welches eine durchgängige Umwandlung des auszern und innern Lebens der Menschheit hervorgebracht worden, dasz ist geschichtliche Thatsache. Dasz dieses neues umwandelnde, wiedergebhörende Lebensprincip eben das Euangelium von J. C. sei, d. h. die Heilbotschaft, die CHRISTUS gebracht, von der Versöhnung des sundigen Menschen mit Gott — darin stimmt die Kritik mit dem glauben der Christlichen Gemeinde überein. Dasz CHRISTUS der eigentliche Schöpfer und Begründer dieses Christlichen Geistes sei, dasz das Himmelreich, das er auf Erden verkundigt, in ihm eine Persönliche Thatsache geworden sei — steht geschichtlich fest." H. LANG, l. c. p. 197.

Ibid.

42) *Videant — ne suffocent atque extinguant.* „Vere scripsit cl. HOFSTEDE DE GROOT, l. c. p. 182. „Zij kunnen nog wel een tijd lang zich laven met het levende water, 't welk zij van CHRISTUS vroeger hebben ontvangen, maar hun voorraad wordt minder en aangezien de hoofdtoegang tot de bron is afgesloten, aangezien het Historisch Christendom niet meer wordt gevolgd, om CHRISTUS te kennen, is er, zoo zij zich zelve gelijk blijven, voor hen geene mogelijkheid, dien voorraad uit de eene zuivere bron weder aan te vullen. Hun Christendom *moet* verkwijnen."

Pag. 19.

43) *Scientiae liberari velint.* Quamquam thesi, veri nominis scientiam per se damnare et rejicere quidquid a cognitis naturae legibus discedere videatur, *petitio principii* mihi inesse videtur; optime tamen intelligo cl. OPZOOMER scribere potuisse, l. c. p. 100. „Dan staan we geheel vrij tegenover al de verhalen van het bovennatuurlijke en kunnen roem dragen op het bezit eener door niets geboeide Historische kritiek;" at vix intelligo, quomodo quis tam audacter, quam LANGIUS fecit (cf. nota 21) idem, quod de scientia valeat, *de Ecclesia* quoque asseverare ausit.

Ibid.

44) *Eo melius excultis et litteratis hominibus commendent.* — Se id ipsum egisse et eorum, quae postulet haec nostra aetas, ratione habitâ, laudabili consilio ductos esse Religionem Christianam minime impugnandi, sed contra communem hostem defendendi, palam ac publice testati sunt LANGIUS, (*Gang d. d. C. W. Dogm. Zeitstimmen*) Ven. BUSKEN HUËT, Br. o. d. B. doct. PIERSON, *een Programma van Theologisch Onderwijs: Misverstand* alibi). At quanquam hoc laudamus, non tali auxilio, non ejusmodi defensione, quae, *Historiae* basi relictâ, multa, mox quoque rejicienda, frustra tuetur et vindicat, Religionis Christianae honorem servari et Ecclesiae salutem curari, mihi persuasissimum est. Quid? quod ipsi, nisi forte, quod vix exspectare licet, retrogredi velint, hîc minime subsistendum, sed ulterius etiam progrediendum esse mox videbunt, et ocius serius vel inviti fatebuntur.

Ibid.

45) *Veritatem — ad coelum extollat.* Ven. BUSKEN HUËT, in appendice, suis Epistolis de s. Codice adjecta (*Brieven over den Bijbel*) p. 498, hoc scripsit: „Ik heb eene dwaling afgeleerd, te meenen, dat iets ophoudt waar te zijn, zoodra het niet werkelijk is gebeurd." Et profecto omni veri ac pulchri sensu destitutus essem, nisi ultro concederem, sensu aesthetico vel etiam morali et religioso, veritatem picturae, poëmati, fabulae romanensi, parabolae, fictae etiam narratio-

ni, tanquam ideae involucro, inesse vel inesse posse. (Quod pulcherrime illustravit Doct. RÉVILLE, *Essais de Critique religieuse, in sectione: La Legende aux bords du Rhin*). Quamdiu tamen verba valebunt usu, talem hujus vocis usum vel potius abusum pro concione populi, qualem hîc in meâ oratione indicavi, ex intimo pectore detestor. Orator sacer laesae veritatis criminis reus mihi videretur, qui Euangelicae cujusdam narrationis veritatem hoc sensu praedicaret, ut veram animi sententiam ejusmodi verbis obtegeret. Ipsi quoque huic sententiae multum derogandum esse existimo. Simulac sumitur vel conceditur bene multas narrationes in Euangeliis confictas esse, quae tamen optimi Conservatoris imaginem optime referant (quod esset demonstrandum!) bene perpendi meretur quod animadverti jussit PECAUT, l. c. p. 381. „l'Enseignement Evangélique gagnait un attrait et une force incomparable à se personifier en J. C., mais aussi la personne de JESUS CHRIST s'est enrichi dans la tradition de l'Eglise."

Pag. 20.

46) *Carminis Epici fragmenta.* „Wie, wenn unsere Evangeliën nichts anders wären, und als nichts Anders wollten betrachtet sein, (cf. Luc. Ev. et Act. prologus!!) denn als Epische Versuche, auf den Geschichtlichen Grunde des in der Gemeinde überlieferten und fortlebenden CHRISTUS Bildes, das Wesen und die ewige Bedeutung CHRISTI in religiösen Erzählungen, deren Stoff theils durch die Tradition, theils den Typus der Alttestamentlichen Bilder an die Hand gegeben war, zur Anschauung zu bringen?" LANG, l. c. p. 188.

Ibid.

47) *Citius serius intereunt.* „Zijn de onderzoekingen dikwerf van dien aard, dat hare resultaten den historischen bodem van het Christendom schijnen te ondergraven, men vreeze niet. Het lot van alle bespiegelingen, die niet op feiten, maar op ideën gegrond zijn, is de dood, zoodra zij namelijk hare taak vervuld hebben om mede te werken, dat de waarde van het wezen en de strekking van het historisch Christendom in het licht gesteld, en het menschdom overtuigd worde, dat nie-

mand een ander fundament leggen kan, dan 't welk gelegd is, namelijk J. C." — Dr. F. J. J. A. JUNIUS, *De oorsprong en de waarde van de verschillende verzamelingen en recensien der brieven van* IGNATIUS, p. 299.

Pag. 20.

48) *Neoplatonismum.* — „Der Neuplatonismus schloss sich sonächst an PLATON als dessen Auslegung und Vollendung, aber er wollte alle Philosophenschülen in ihrer tiefern Einheit, alle Volksreligionen in ihrer religiösen Grundlage vereinigen. — Daher *allegorische Auslegung der Mythen.* — So eine neue Macht des alten Glaubens werde der Neuplatonismus doch nothwendig auch eine Reform desselben, verbreitete sich als die Religion der Gebildeten durch das ganze Römische Reich; aber in sich selbst aus widerstrebenden Elementen zusammengesetzt, kann er nur den untergang des Heidenthums erleben und verherrlichen." — HASE, *Kirchengeschichte*, p. 52, 8ae Edit.

Pag. 21.

49) *Theophilantropinorum irritos conatus.* Plura qui de hujus sectae Historiâ, placitis, cultu scire cupiat adeat: THIERS, *Histoire de la Révolution Française*, T. V. p. 314 sq. et ARCHIBALDUM ALISON, *History of Europe from the commencement of the French Révolution*, T. III. p. 174 sq. Auctor et conditor hujus sectae idemque Pontifex notissimus fuit ille LARÉVEILLÈRE LÉPAUX, vir ob vitae morumque honestatem admodum laudabilis, qui, rogatus cur secta vel religio, cui praefuerat, tam cito interiisset, respondisse fertur, quod caruerat duce vel principe, qui mortuus post triduum resurgeret. Quod si verum est, ipse sensit et fere invitus effatus est, quid suae religioni deësset, et tam subitam illi praeparavisset ruinam. ALISON, l. c. colloquium lectu dignissimum tradit, quod NAPOLEON, Francogallicae Reipublicae Consul, cum nonnullis hujus sectae fautoribus et propugnatoribus habuerit. E libello satyrico *La Lanterne Magique Republicaine*, qui Parisiis prodiit a. 1799, apparet populum ipsum *Theophilantropinos* eorumque conatus nulla fere attentione dignos, aut magis etiam

ludibrio habuisse, eos nuncupando: *Citoyens — filoux — en troupe.*

Pag. 21.

50) *Uti statuit* ULLMANNUS: „*Historisch oder Mythisch*," imprimis in responso ad quaestionem: „*Was setzt die Stiftung der Christliche Kirche durch einem Gekreusigten voraus?*" — Quale judicium nuperrime in nostra patriâ iteratis vicibus de hac ULLMANNI disputatione enunciatum sit, hîc repetere lectoribusque meis in memoriam revocare nihil attinet. Potius hîc votum enunciare lubet, ut studiosi nostri juvenes neque in ULLMANNI neque in LANGII verba jurent, neque alto supercilio, quod e sana et lucidâ mente fluxerat, opus despiciant, sed, maxime hisce nostris diebus, supra laudatam Disquisitionem legant ac relegant. Quam, etsi ULLMANNUS haud ita Euangelicae Historiae veritatem demonstrasse videatur, ut secus sentientibus prorsus nullus contradicendi vel dubitandi relictus sit locus, plane egregiam dicere nequaquam me pudet.

Ibid.

51) *Maxime errori — victoriam.* Ultro concedo BAURIO (*das Christenthum der drei erste Jahrhünderte*, p. 39) scribenti: „dass für das Glauben der Jünger die Auferstehung JESU zur festesten und unumstösslichsten Gewissheit geworden ist. In diesen Glauben hat erst das Christenthum den festen Grund seiner geschichtlicher Entwicklung gewonnen. Was für die Geschichte die nothwendige Voraussetzung für alles Folgende ist, ist nicht so wohl das Factische der Auferstehung JESU selbst, als vielmehr der Glaube an dasselbe." At continuo gravissima tunc quaestio nascitur, unde fides tam firma et inconcussa nata sit? Quod roganti sponte mihi succurrit dictum apud PÉCAUT, quando amicum suum exclamantem facit: „Si J. C. est vrai, l'histoire présente des difficultés; s'il n'est pas vrai, l'Histoire présente des impossibilités," p. 421. Et quidquid contradicat doct. PIERSONIUS, jus hujus aenigmatis solutionem postulandi denegari nequit iis, qui, JESU resurrectionem respicientes, optime illud explicare queant, quoniam unum miraculum Physicum innumeris miraculis Psychologicis praeferendum esse

statuunt. Onus vel officium talis fidei originem et firmitatem indagandi et explicandi omnino incumbit iis, qui nulla miracula neque Psychologica neque Physica admittant. Hoc quoque agnovit ac sensit BIEDERMANNUS (Cf. relatio Ven. BUSKEN HUËT, *de Gids*, mensis Apr. hujus anni); quamquam periculum quod fecit hujus aenigmatis solvendi se admodum paucis a probabilitate commendare et probare poterit. Jam vero alterutrum omnino statuendum erit: fides illa omnesque mirifici eventus, qui inde profluxerunt, facto certissimo nituntur, — vel Christiana religio victoriam, quam reportavit, maxime debuit errori.

Pag. 21.

52) *Involucra.* Habemus hîc utrumque LANGIUM et PÉCAUTIUM confitentem, quantum religio, Historiae veluti vestimento induta, meris ac nudis ideis religiosis ac moralibus praestet. Non mirari non possum hunc audire rogantem (l. c. p. 128). „Jadis peut-être ou a trop cru au surnaturel: y croyons nous assez?" — Pulcherrima est descriptio, quam idem auctor dedit festi natalium CHRISTI, uti in Suecia ac Russia celebrari solet, p. 137, ac plane nostram mentem exprimit; p. 378 haec scribens: „Toute histoire surnaturelle emprunte la force intime à deux causes. l'Une le fait de la réalité du monde invisible, qu'elle rend présent et saisisable à tout le monde: c'est là un bienfait considérable, dont il faut remercier toute religion positive, indépendamment de son caractère et de sa valeur propre; l'autre l'élévation, la pureté, la vérité en un mot des idées morales et religieuses, que cette histoire a traduites sous une forme visible." — Lectu quoque dignissima sunt quae LANGIUS, l. c. p. 204, scripsit: „Man hat besonders zur Zeit der Aufklärung und der Rationalismus haufig der geschichtliche Religion, wie sie im Bibel und Kirche vorhanden ist, die Vernunftreligion entgegengesetzt, und jene durch diese ersetzen zu können gemeint. Aber das ist ein schwerer Irrthum. Die Vernunftreligion ist nur das, was der Verstand sich aus allen Religionen als das allen Gemeinsame abgezogen hat, und enthält die Begriffe Gott, Tugend, Unsterblichkeit, Näch-

stenliebe u. s. w. Aber diese allgemeine farblosen Bestimmungen werden bald Todlangweilig, und können kein Menschenherz auf die Daur fesseln. — Dagegen in der geschichtlichen (?) Religion — welch' unerschöpfliche Quelle vom Ideen, welche concreten Gestalte und Zustände, welche lebendige Züge, aus denen das ewige Wesen der Religion uns anschaut wie ein lebendiges Wesen, mit immer neuen Reitz für Gemuth und Fantasie!"

Pag. 21.

53) *Lentam et inevitabilem ruinam.* Et hîc HASII verba citare lubet, qui ob ea, quae praemittit: „Der religiöse Inhalt, der das Wesen des Christenthums ist, wurde Wahrheit bleiben, auch wenn das Daseyn Christi zur Fabel wurde — etiam iis, qui a nobis dissentiunt, ab omni dogmatico partium studio immunis videbitur — aber „sic pergit" wie mit der Verflüchtigung des historischen Christus zunächst im Volksleben jene ganze religiöse Macht schwinden wurde, welche die Persönlichkeit und Wirklichkeit vor der bloszen Lehre voraus hat, und wie die freudig ernste Liebe zu dem Vollender unsers Geschlechts in trauriger Oede auf die eigne Gedankenwelt zurückgewiesen wurde, *so in letzter Folge würde auch das Christenthum als geschichtliche Religionsgemeinschaft untergehn*, da es als solcher nur in Christo besteht, und durch ein als solches erkanntes Traumbild nicht auf die Länge zusammengehalten werden könnte!" *Ev. Dogm.* p. 274 sq.

Pag. 23.

54) *Fac me tecum unum Deus!* Leguntur haec verba in aureo libello *de imitatione* CHRISTI, quae, uti PECAUTIUS in praefatione saepius citati libri sua fecit, ita et ego, Orationi finem imponens, mea facere nullus dubitavi.

Ceterum haec mea oratio jam praelo data ipsaque annotatio fere tota typis excusa erat, quum plus semel laudatam Doct. PIERSON disputationem: „*een misverstand*," (*Gids*, Junij 1860) inspicerem. Quae disputatio, quamvis pro magna parte summâ cum delectatione atque admiratione perlecta, minime meam persuasionem infregit vel permutavit, at tantum me docuit

(quod sane in horum dierum certamine nobis magno solatio ac gaudio est) sincerum Dei Christique amorem, ubi hic piâ educatione atque institutione veluti in succum et sanguinem se converterit, gravissimis etiam mentis dubitationibus esse superstitem. — Nonne tamen idem ille amor apud plurimos, qui eandem Theoriam amplexi sunt (dummodo revera sibi constent) necessario refrigescere debeat, eventus docebit.

ANNOTATIO

IN ACADEMIAE FATORUM NARRATIONEM.

Pag. 25.

1) *Natione Frisius.* Natus est GROENEWOUDIUS, d. 30 M. Nov. a. 1784, in pago ROORDAHUIZEN, haud procul a Leovardiâ. Ibid.

2) *Coetus ruralis*, in pago HOOGBLOKLAND.

Pag. 26.

3) *Deo animum redderet.* Anno praecedente, d. 14 mensis Junii. Ibid.

4) *Orationes publice dictas. Fraenequerae* Litterarum Orientalium atque Antiquitatum Hebraicarum Professionem auspicatus est solenni habitâ Oratione: „*De adhibendâ ad docendas litteras Orientales popularitate Socraticâ*," quâ in oratione se non tantum admiratorem, sed etiam germanum HEUSDII discipulum probavit. Idem illud munus a. 1831 in nostrâ Academiâ in se suscepit Oratione habita: „*de aetate nostra, ad provehenda Litterarum Orientalium studia quam maxime apta.* A. 1842, Rectoris munus deponens, *de Corano* disseruit. — Tum ab eo editi notentur hi libri: *Inst. ad Gramm. Hebr. ducens;* Traj. ad Rh. 1834; — *Inst. ad Gramm. Aramaeam ducens; ibid.* 1845. Cui posteriori operi subjecit: *Specimina e Vers. Syriacâ Peschito selecta; ibid.* 1846.

Pag. 25.

5) In hujus ipsius anni *Studiosorum Calendario Rheno-Trajectino.*

Pag. 27.

6) ἦν ἀνὴρ ἀγαθός. Act. C. XI. s. 24.

Ibid.

7) *Natus* d. 12. m. Maji a. 1798.

Ibid.

8) *Ter laureâ coronatus.* Groningae ac Rhenotrajecti quaestionibus ex oeconomiâ rurali desumtis BERGSMA ita respondit, ut aureum praemium reportaret; quominus tertiâ vice idem ille honos Lugduni Batavorum illi obtingeret sors impedivit, quae ipsi infausta fuit, licet pares prorsus ejus commentationi atque ejus aemulo tribuerentur laudes.

Ibid.

9) *Medicinae Doctor creatus*, publice defensâ dissertatione: „*de Théâ.*"

Pag. 28.

10) *In Agriculturae ac Technices ruralis converteret usum.* — a. 1841 societatem Agriculturae et Botanicae dicatam condidit, cui per longam annorum seriem praefuit. — Ceterum, nostrum non esse viri defuncti merita dijudicare facile quisque intelligit. At eo magis apud nos valet honorificum judicium, quod in ejus laudem cl. VAN HALL, Professor Groninganus, in eodem *Studiosorum Calend. Rheno-Trajectino* 1860, et successor, cl. MIQUEL in oratione sua inaugurali, utpote peritissimi harum rerum judices, tulerunt.

Pag. 31.

11) *Faxit Deus!* Quod haec scribens in votis habui minime explevit eventus. Nimirum Vir illustrissimus ROËLL, cui Rex noster Hollandiae Septentrionalis gubernationem demandavit, cum familia suâ Harlemum migravit. Quod quo magis urbs ac regio Rheno-Trajectina doluit, eo laetius ac jucundius nobis est spem nobis factam esse, fore ut vinculum, quod Virum amplissimum Academiae nostrae jungit, integrum atque incolume servetur.

Pag. 34.

12) *Tres doctores doctissimi solenni habitâ oratione.* Cl. J. I. DOEDES disseruit, d. 22 m. Junii: „*de Criticâ studiose a Theologis exercendâ;*" cl. W. G. BRILL, d. 23 ejusdem mensis: „*over den eisch des tijds en de wetenschap, als geschikt om aan dien eisch te beantwoorden;*" cl. M. HOEK, subsequente die 24 m. Jun.: „*Over het tijdvak van de herleving der Sterrekunde in Europa.*

Pag. 34.

13) *Ad quaestionem a* TEYLERIANÂ *Societate propositam. — Verhandeling over de tekstkritiek des N. V. Opp. Soc. Teyl.* inserta T. XXXIV, a. 1844.

Pag. 35.

14) *Post ferias*, cl. F. A. W. MIQUEL verba fecit, d. 23 m. Sept. „*over het tegenwoordig standpunt onzer plantenkunde, en haar verband met de andere wetenschappen;*" cl. J. A. FRUIN, d. 12 m. Octobris: „*Over het nut der geschiedkundige beoefening van het Fransche regt voor de wetenschappelijke verklaring der Nederlandsche Burgerlijke Wetgeving.*"

Pag. 36.

15) SUERMANNUM *ante decem lustra.* — d. IX. m. Octobris a. 1809 habita *Orat. inaug. de iis, quae cum veteres tum recentiores, inprimis Batavi et Germani, de vitae corporeae principio philosophati sunt.* Legantur omnino, quae cl. BOUMANNUS, unus e paucis, qui, adhuc in vivis superstites, illis solemnibus interfuerunt, de hac Oratione ac SUERMANNI vitâ et Professione Harderovicenâ notavit in *Academiae Gelricae Historia*, T. II. p. 553 sqq. coll. p. 108 sq.

Ibid.

16) In parte opposita haec verba leguntur:

„BERNARDO FRANCISCO SUERMAN, per X lustra Medicinae Professori, de Academiâ deque patriâ optime merito."

Ibid.

17) *Documentum omnium nominibus sancitum.* Documentum hoc cum numismatis *icone* haec continebat verba:

„Viro clarissimo BERNARDO FRANCISCO SUERMAN in Acade-

miâ Rheno-Trajectinâ Medicinae Professori, quum singularis contigisset felicitas, ut quinquagesimum gesti muneris vegetâ mente et integrâ valetudine celebraret annum, quumque per longum illud tempus fide in fungendo munere, alacritate in sublevandis aegrotis et afflictis, prudentiâ in tuendis Academiae et civitatis commodis, fortitudine in ferendis humanis casibus justam omnium existimationem et reverentiam sibi conciliasset; Senatus Academiae Rheno-Trajectinae, ut festi illius diei memoriam consecraret, suamque erga dilectissimum collegam voluntatem testaretur, numisma aureum, signatum SUERMANNI effigie cudendum illique, pro sincerae gratulationis piaeque observantiae pignore, offerendum decrevit."

Pag. 37.

18) *Numisma nondum perfectum — dolemus.* — Nunc vero hanc annotationem scribenti mihi addere licet numisma aureum SUERMANNO nostro destinatum, egregii nostri artificis KELLENII (VAN DER KELLEN) manu confectum, typis excusum praelo exiisse, atque d. XI m. Maji a Rectore Magnifico, cum Graphiario atque Assessoribus, Senatus delegatorum munere fungentibus, admodum venerabili Seni esse traditum.

Pag. 41.

19) *Vaticinari licet.* — Nec vana auguratus sum, nec spe illâ excidi. Jam ineunte mense Martio nonnulli egregii juvenes, ab utraque parte, pacis ac concordiae restituendae opus aggressi sunt, atque hoc consilio nonnullas conditiones suis commilitonibus proposuerunt, quibus hi sub finem ejusdem mensis, paucis exceptis, lubenter suffragati sunt. Omnes Academiae Rheno-Trajectinae cives nunc, ineuntibus feriis aestivis — d. 22 m. Junii haec scripsi — unius consortii vinculo junctos esse laetamur.

ERRATA.

p. 26 reg. 4, legitur: publice dictas 4) et compendia, lege: publice dictas et compendia 4),

„ 32 in medio — ab esses, lege: adesses.

„ 45 reg. 10,. — de waarheid *in*, lege: *en*.

„ 46 „ 8, — dictâ, lege: dictae.

„ 50 sub finem — quamquan, lege: quamquam.

„ 69 reg. 5, — Apr., lege: Maji.

195177 232.97 D67
Doedes, Jacobus I.
Disseration theologica Jesu in vitam.

195177 232.97 D67

St. Mark's Library
The General Theological Seminary
175 Ninth Avenue
New York, N. Y. 10011

Please stamp date in left column, write your name legibly in center column and leave right column blank. Deposit circulation card in slot marked 'Circulation cards'.

There is no date due, but books must be returned promptly upon request. Do not lend books charged to you to others. You are responsible for them.

26 **Doedes, J. J.**, de Jesu in vitam reditu. Traj. ad Rh. 1841. 8 maj. 256 pp. — 18

4 **Stricker, J. P.**, de mutatione, homini, sec. Jesu et Apostolor. doctr., subeunda. Hag. C. 1815. 8 maj. 123 pp. — 10

76 **Hofstede de Groot, C. Ph.**, Pauli conversio, praecip. theologiae Paulinae fons. Gron. 1855. 8 maj. 175 pp. — 15